



FRANCISCI
ANNATI
SOCIET. IESV
OPVSCVLA
THEOLOGICA
AD GRATIAM SPECTANTIA

IN TRES DIGESTA TOMOS

Quorum argumenta, proxima post epistolam pagina indicantur.






LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, & SEBASTIANVM MABRE-CRAMOISY Regios Typographos, sub Ciconiis.

M. DC. LXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





LVDOVICO XIV.
REGI
CHRISTIANISSIMO
FRANCISCVS ANNATVS S. I.
Immortalitatem.

Q*VÆ pro Diuinæ gratiæ defensione aliis alia temporibus Latina lingua edidi*, REX MAXIME: *ea nunc in vnum collecta corpus Majestati Tuæ supplex dico consecroque. Munus Te dignum, si argumenti ratio habeatur; Tibi debitum, si autoris; gratum certè, vel ipso tuendæ gratiæ consilio, futurum. Illius inquam gratiæ, quam dum li-*

bris plerique defenderemus , tu edictis sanctissimis protexisti : princeps vere Christianissimus , qui populis tuis id quo Christiani sunt asserueris. Et par erat certe per eum a nouis errorum monstris cælestem gratiam vindicari , qui gratiæ opus ipse est , ac cæleste munus præter spem omnem diuinitus huic imperio concessum. Te Galliæ Deus largitus est , tibi mentem orbi terrarum regendo parem ; domi tranquillitatem , foris victorias , summam terra marique potentiam. Animum dedit amantem belli , fautorem pacis ; cujus deliciæ , arma sunt ; cujus studia , juris morumque compositio : vt in te verius quam in Iustiniano quondam Cæsare majestatem intueri liceat armatam legibus , armis de-

coratam. Quæ dum apud Te commemoro, REX OPTIME: *diuina scilicet beneficia prædico. Partem sibi quidem in iis vindicat singularis tua sapientia, quæ regiis consiliis sic præest vna, vt ad Dei exemplum per ipsam omnia moliaris: qua virtute qui sunt instructi, suæ sibi felicitatis autores videri solent. Sed illa ipsa sapientia, vt de cæteris taceam quibus præditus es imperatoriis virtutibus, habet hoc in te peculiare, vt Dei munus tota censenda sit. Cum enim eam ad res gerendas jam adultam attuleris: non vsu a te comparata, vt a cæteris solet; sed, quod proprium heroum est, hausta diuinitus, & infusa nascenti videtur. Quo fit vt in Dei beneficiis numeremus, non ea tantum, quæ tua tibi felicitas natu*

minori attulit: ſed etiam quæ certo & deſtinato conſilio per te ipſe poſtea effeciſti. Magnum pondus ſuſtinet, PRINCEPS AVGVSTISSIME, *quiſquis tantum Deo debet: qui vt eſt in largiendo benignus, ita ſeuerus eſſe in repetendo eum ab aliis, tum præſertim a regibus ſolet. Iuſta igitur & neceſſariæ tibi cauſæ fuerunt, cur & religionis, qua rex ille regum colitur; & gratiæ, qua regni ipſius opes vireſque continentur, vindicem te acerrimum præberes. Mihi vero par prope impoſita neceſſitas eſt, cum omnes meas, tum maxime ſuſceptas pro defendenda Chriſti gratia vigilias, Majeſtati Tuæ conſecrandi.*





SYNOPSIS OPVSCVLORVM.

TOMO I.

I. De scientia media, contra nouos ejus impugnatores.

II. Eugenii Philadelphi Romani, hoc est, Francisci Annati, *Exercitatio scholastica tripartita contra nouam rationem tuendi physicas præmotiones liberorum agentium, quam autor operis de libertate Dei*, hoc est, Guillelmus Gibieuf, *nuper inuexit. Cum Appendice ad Guillelmum Camerarium Scotum.*

TOMO II.

Augustinus à Baianis, hoc est, Iansenianis, *vindicatus.*

TOMO III.

I. Catholica disceptatio de Ecclesia præsentis temporis:

II. *De Incoacta libertate.* *Contra*

1. *Nouum Augustinum Iprensis Episcopi.*
2. *Vincentium Lenem.*
3. *Apologistam Iansenii.*
4. *Commentatorem quinque propositionum.*

III. *Informatio de quinque Propositionibus ex Iansenii Theologia collectis, quas Episcopi Galliæ Romano Pontifici ad censuram obtulere.*

IV. *Jansenius à Thomistis gratiæ per seipsam efficacis defensoribus condemnatus.*

V. *Cauilli Iansenianorum contra latam in ipsos à Sede Apostolica sententiam, seu, Confutatio libelli trium columnarum &c.*

His Quinque Opusculis præmissæ sunt singulæ singulis Admonitiones ad Lectorem, & Notæ in Diarium Sanctamorii.



FRANCISCI
ANNATI
SOCIET. IESV
OPVSCVLORVM
THEOLOGICORVM
AD GRATIAM SPECTANTIVM

TOMVS PRIMVS.

SCIENTIA MEDIA
CONTRA
NOVOS EIVS IMPVGNATORES
DEFENSA.



AVCTOR LECTORI
HVIVS EDITIONIS.

DEFENSIONEM Scientiæ Mediæ ante annos ſexdecim editam noua ſtatim excepit accuſatio. Ad ſupremum fidei tribunal, hoc eſt ad Petri ſedem, cauſa delata eſt. Sedebat tunc Innocentius decimus felicis recordationis, qui librum ad ſe miſſum commiſit ſacræ Congregationi Romanæ Inquiſitionis examinandum. Deſignati ſunt qui examinarent, & tempus legitimum examini datum. De doctrina num eſſet eximenda cenſuræ non fuit admodum anceps aut impedita conſultatio; difficultatem injecerunt argumenta quæſtionum & pertractata materies. Videbantur enim attingi controuerſiæ de *Auxiliis Diuinæ Gratiæ*, de quibus ne quid in publicum ederetur iteratò cautum erat poſt

decretum Pauli V. ab Vrbano VIII. Summo Pontifice. Sed hæc quoque difficultas præjudicium habuit quo facilè ſolueretur. Proſtabant tunc Romæ publicè venales tum Curſus Salmanticenſium, tum Commentarii P. Ioannis à S. Thoma in I. P. D. Thomæ, in quibus eædem omnino quæſtiones quæ agitantur hoc in libro fusè tractantur, cum aliqua ſilentii noſtri exprobratione, ac proinde cum aliqua ad reſpondendum prouocatione. Quo factum eſt, vt pro neceſſaria iudiciorum æquitate & æqualitate legum, quando Scientiæ Mediæ impugnatio non credebatur attigiſſe quæſtiones vetitas, defenſio quoque ab eadem præuaricatione abſolueretur. Atque hoc fuit judicium Sacræ Congregationis ſequenti decreto, cujus authenticum eſt apud me, ritè expreſſum.

Feria 4. die 16. Maij 1646.

„ IN Generali Congregatione S. R. & Vni-
„ uerſalis Inquiſitionis habita in Conuentu S.
„ Mariæ ſupra Mineruam, coram Eminentiſſi-
„ mis & Reuerendiſſimis S. R. E. Cardinalibus
„ in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreti-
„ cam prauitatem à Sede Apoſtolica deputatis.
„ Sacra Congregatio, audita ſæpius relatione
„ doctrinæ contentæ in Libro P. FRANCISCI
„ ANNATI è Societ. IESV, cui titulus, *Scientia*

Media, censuit posse permitti quòd liber Romæ vendatur, mutato tamen Frontispicio. "

IOAN. ANTONIVS THOMASIVS, Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius. "

Locus † sigilli. "

MVTATIO quæ præscripta est in Frontispicio facienda, non est alia, quàm omissio enumerationis eorum Auctorum cum quibus disputo. Visum enim est non fuisse in vnum catalogum vniendos ad primum Lectoris aspectum, quos fides ac religio distingueret, ne fortè quis in ipso statim aditu libri, aut falleretur dum putat hæretico cum Catholicis conuenire, aut perperam interpretaretur consensum Catholicorum cum hæretico. Cætera intacta permansere.

Placuit Academiæ Tolosanæ suo quoque suffragio testari in hac causa, quam in cæteris doctrinæ controuersiis & profitetur & seruat conformitatem cum Romanis Iudicibus. Hoc verò luculenter præstitere Theologicæ Facultatis Professores eximii sequenti testimonio.

Approbatio Professorum Theologiæ Vniuersitatis Tolosanæ.

NOs infrà scripti Theologiæ Professores Vniuersitatis Tolosanæ testamur à nobis diligenter lectum esse & accuratè examinatum librum, cui titulus est, *Scientia Media*

contra nouos ejus impugnatores defensa, propugnante P. FRANCISCO ANNATO *è Societate* IESV. Nihilque in eo deprehensum quod sacræ Scripturæ sanctisque Patribus rectissimè non congruat. Datum Tolosæ die decima septima mensis Decembris, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto.

Fr. SIMPLICIANVS Professor Regius & Facultatis Decanus.
Fr. LAVDON Professor Regius Augustinianus.
Fr. FRAYSSINOVS Professor Regius in Theologia.
Fr. ANTONIVS SOLENNE Professor Carmelitarum.

Theologicæ Facultatis judicio subscripsit Academia tota sequenti decreto.

Approbatio Vniuersitatis Tolosanæ.

CVM Theologiæ Facultas per Decanum suum nobis retulerit librum, cui titulus *Scientia Media contra nouos ejus Impugnatores defensa, propugnante* P. FRANCISCO ANNATO *Societatis* IESV, à se diligenter lectum & examinatum fuisse, nihilque in eo deprehensum quod sacræ Scripturæ sanctisque Patribus rectissimè non congruat; placuit vniuersæ Academiæ, sacræ Facultatis testimonio subscribere, & hoc decreto opus magno Theologo & Confessario Regio dignum ducere. Datum Tolosæ, die decima-septima mensis Decembris, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto.

ANTONIVS DADINVS ALTESERRA V. I. Professor & Rector Vniuersitatis Tolosanæ.

De mandato Domini Rectoris FARAMON, *Secretarius.*
Locus † sigilli.

HÆC ego te, optime Lector, præmonere volui, atque huic Editioni Defensionis Scientiæ Mediæ præmittere, vt tantæ auctori-

tatis judicio inculpatam esse constaret. Sed ne intempestiua quoque videretur aut superflua, suasit multorum desiderium, qui non vno ex loco, sed variis etiam ex regionibus postularunt vt hæc lucubratiuncula fieret communior & magis obuia. Faxit Deus vt ad cognitionem veritatis juuare possit, qui vnus scribenti mihi scopus propositus est. Vale. E Fonte Bellaquensi 20. Iunii anno 1661.



Facultas Prouincialis Prouinciæ Tolosanæ.

EGO Richardus Mercier in Prouincia Tolosana Societatis IESV Præpositus Prouincialis, iuxta facultatem mihi à R. P. Generali Mutio Vitellesco factam, permitto typis mandari Opus *de Scientia Media contra nouos eius Impugnatores defensa à P. Francisco Annato*, ejusdem nostræ Societatis Theologo elucubratum, & à tribus Theologis examinatum & approbatum. In cujus permissionis fidem has literas manu mea subscriptas & sigillo mei Officij munitas dedi Tolosæ 2. Ianuarii 1645.

RICHARDVS MERCIER.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in Regno ejus, aliisve locis ejus ditioni subditis, librum, qui sic inscribitur, FRANCISCI ANNATI Societatis IESV Opuscula Theologica ad Gratiam spectantia, in tres digesta tomos; *quouis charactere aut formâ excudere, aut alibi excusum vendere, alióve quolibet modo distrahere possit, intra decem annos, computandos à die absolutæ hujus editionis, præter Sebastianum Cramoisy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, prout fusiùs in diplomate Regio continetur, Dato Parisiis, die* 10. *Maii* 1666. *& signato de mandato Regis*, BEGVIN.

ADMONITIO
AD LECTOREM.



CVM sit in primis cauendum, ne in hisce disputationibus excedamus præscriptos à Romano Pontifice limites, qui seuerè prohibuit editionem tractatuum & disputationum in materia *de Auxilijs*; monendum putaui Catholicum Lectorem me mihi visum ea in parte dicto audientem & Vicario Christi obedientem, duplici ratione. Prima petitur ab exemplo magnorum & piorum virorum. Nam PP. Carmelitani Discalceati qui suos in primam partem Commentarios edidere post decretum ab Vrbano VIII. felicis recordationis promulgatum anno 1625. mense Maio, ita loquuntur. *Aduertendum tamen, consultò nos in hoc dubio tantùm esse loquutos de æqualitate gratuitæ voluntatis Dei, non verò auxiliorum gratuitæ quæ in voluntate creata recipiuntur, vt ne minimum quidem verbum quantùm fieri possit de his proferamus: vt ita longissimè distemus à non adeò perfecta obseruatione decreti Sanctissimi Domini nostri Romani Pontificis, quo cautum est ne tractatus & disputationes de efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ typis mandentur.* P. Ioannes à S. Thoma, qui scripsit sexennio post Patres Discalceatos, eandem præ se fert religionem, vt constat ex his verbis. *Et quidem non licere in hac parte alteram partem censurare aut qualificare ex mandato Pauli V. & Vrbani VIII. constat: nec licere etiam scribere & imprimere in materia auxiliorum diuinorum ex edicto eiusdem Pontificis iterum roborato & confirmato à Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. in Con-*

Tract. 3. de Scientia Dei, Disp. 9. Dub. 1.

Disp. 20. in 1. p. ar. 6. pag. 685.

gregatione Generalis Inquisitionis die 22. Maij 1625. manifestum est. Nunc autem quid de Scientia ista sentiri possit, &c. Est autem præterea manifestum, magnum esse numerum eorum qui ex vtraque familia & S. Dominici & PP. Discalceatorum consilia hæc atque opera comprobarunt: vt dubium esse non possit, quin quæstiones illæ quæ sunt ab ijs pertractatæ, innocenter potuerint atque impunè tractari, typisque mandari. Ego igitur qui nullam omnino difficultatem hoc in opere agito, quam illi non agitauerint priùs, vel dum agunt de Scientia media, vel dum de diuinis humanorum actuum prædefinitionibus; non possum non esse tanto talium virorum exemplo immunis ab omni præuaricationis suspicione.

Altera ratio petitur ex ipso Pontificiorum Decretorum tenore, quibus vetatur tantùm editio tractatuum, in quibus disputatur *de Auxilijs* vel *ex professo* vel etiam *incidenter*: seu quod idem est, *de Gratia & Libero Arbitrio.* De Scientia Media ne disputaretur editis in lucem Scriptis, prohibitio hactenus nulla fuit. Et ideo ex omnibus ferè Orbis Christiani partibus prodiere diuersorum Ordinum opera, quibus Scientia Media vel oppugnatur vel propugnatur liberè, nemine prorsus reclamante. Nec refert quòd facilis sit deductio ex affirmatione aut negatione Scientiæ Mediæ ad alteram partem affirmandam aut negandam in quæstione de Auxilijs, quia nusquam vetitum est, nec vetari facilè potuit, ne principia tractarentur ex quibus fieri possunt illæ deductiones cùm nulla sit ferè Theologiæ pars in qua necesse non sit talia quædam iacere fundamenta quæ alterutri parti vsui esse possint. Prohibetur ergo tantùm ad conclusiones progressus, à quo etiam ego abstineo. De *Auxilijs* enim non disputo: *Gratiam physicè prædeterminantem*, nusquam impugno: *Moraliter tantùm excitantem* nullibi adstruo: *Discrimen efficacis à sufficiente* non expono, vti prudens Lector facilè comperiet. Cum TVissio Caluinista sic ago, vt postquam argumento ad cuius solutionem omnes ille Iesuitas prouocauerat respondi; vrgeam contra illum ea vicissim argumenta quæ

trita iam sunt versataque ab omnibus in quæstione de Scientia Media, Doctorem Anonymum, Salmanticenses, Ioannem à S. Thoma ita sequor, vt hæreat pedi pes, neque vnquam diuertam nisi quorsum illi duxerint.


Nam de nupero Vrbani VIII. decreto, quo cautum est ne quis vel pro, vel contra Iansenium aliquid moueat; hoc tantum præmittam. Cum homine isto, quia pax esse non potest, inducias certè à me seruatas esse quam religiosissimè: neque illum vsquam vexatum in hac lucubratione, sed ne nominatum quidem. Aræ scilicet maiori debebatur illa victima: & iam fortè post repetita contra illius doctrinam anathemata, videri possit, nec esse necessarium litigare cum homine damnato, neque decorum insultare fulgurito. Quod si quæ ratio aliud postulabit, eritque libera eiusce disputationis facultas, parata sunt queis probari possit iustissimam fuisse quæ in eum lata est Ecclesiæ sententiam, esseque Antiquum Nouo diuersissimum Augustinum.

Hac præmissâ cautione, iam quæ me ad scribendum impulit ratio in promptu est. Silentium videlicet nostrum Aduersarij secus interpretantur. Ediderant Salmanticenses nouam & inexpectatam narrationem de condemnatione Scientiæ Mediæ à triginta vt ipsi numerant Censoribus, quibus hoc iudicium commiserant Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. item de priuata eorumdem Pontificum subscriptione. Et cùm esset maxima illius narrationis conuincendæ copia, siluimus tamen toto sexennio. En tibi Ioannem à S. Thoma, qui cùm eamdem narrationem confirmandam suscepisset, ita loquitur, *Rem hanc ab aliquibus in suspicionem vocari, aut pro indicta haberi velle audiui: quæ certè si falsitatis vitio laborasset, profectò satis temporis euolutum est (sex anni sunt ex quo liber est publicatus) vt posset ab Aduersarijs tale testimonium & historia infringi vel redargui.* SED FACTVM NON EST: ERGO FACTVM TENET. Factum tenet si nemo resistit? Quis ergo non

Disp. 10. in 1. p. Ar. 6. pag. 688.

videt naturæ quodam iure, quando silentium noxium est factam esse loquendi facultatem? Neque alia est Salmanticensium cogitatio: dum ex eo quod olim Bannis Commentaria toto quinquennio *à nemine, nec ab ipsa Molina alioue P. Societatis tanquam nouam nedum periculosam doctrinam continentia notata fuerint: & multo minùs ad Iudices fidei delata, sicut Molinæ concordia quoad suam scientiam delata fuit: quin potiùs fuerint in frequentissimo vsu & magna approbatione apud Theologos*; colligunt continuisse doctrinam, *non nouam, sed ab Antiquis Theologis perenniter decurrentem, & in omnibus Christianis Academijs receptam.* Magnopere scire velim quo iure constitutum sit, vt quinquennalis possessio ad præscribendam doctrinæ auctoritatem sufficere censeatur; cùm ea lege nec Origenes contra Celsum, nec Cyrillus contra Iulianum audiendi sint. Sed quidquid sit, satis admonemur illâ vsurpatione, respondendum esse pulsantibus.

1 p. tr. 3 disp. 10. num. 111.





INDEX
PRÆCIPVORVM ARGVMENTORVM.

DISPVTATIO PRIMA.

GVILLELMVS TVISSIVS.

DISPVTATIO SECVNDA.

AVCTOR ANONYMVS LIBRI de ordine deque Priori & Posteriori.

§. II.

DISPVTATIO TERTIA.

THEOLOGVS COLLEGII SALMANticensis Patrum Discalceatorum.




DISPVTATIO QVARTA.

P. IOANNES A SANCTO THOMA.



INDEX
CAPITVLORVM ET PARAGRAPHORVM.



SCIENTIA MEDIA

CONTRA NOVOS EIVS IMPVGNATORES DEFENSA.

DISPVTATIO PRIMA

GVILLELMVS TVISSIVS.

CAPVT PRIMVM.

TVissij consilium & scribendi ratio.



RODIT ex Hollandia Guillelmus TVissius oppugnatoribus scientiæ mediæ suppetias laturus. Talem patronum tali causæ accessisse res erat eiusmodi, de qua partis alterius deffensores minimè oporteret esse sollicitos: gaudendum potius illis fuit aduersariorum copias hoc supplemento auctiores factas. Nam,cum in omni fœderum genere fides hæreticorum meritò suspicienda sit; neque vnquam tutò credatur ijs hominibus qui Deo credere noluerunt; in hoc certè bello Theologorum adeò sunt periculosa eorum auxilia, nihil vt metuendum sit magis, quam ne cum illis, vel causæ communione, vel armorum societate coniunctus esse videare. Neque dubi-

tandum fuit, quin eorum propriè interesset, qui scientiam mediam insectantur, abigere TVissium hunc, atque inuolare degenerem vespam, quæ se apum examinibus vltrò miscet: sed neque desperandum quin exoriatur aliquis ex illo cœtu qui familiaritatem Allophylorum hanc repudiet, eluatque si quas fortè maculas conspirantium sententiarum suspicio aspersisset; verùm quia interest hoc etiam publicæ rei; & quia TVissius totam nationem Iesuitarum sæpius prouocat, operæ pretium me facturum puto, si cum hoc homine paucis agam: neque nullam priuatæ causæ rationem ducam, etiam tum cum videtur esse cum communi coniuncta. Eò verò labor iste facilior erit ac breuior, quod mihi res sit cum debilitato jam sene, cuius, *memoria labat & vigor animi fatiscit, ingenijque acies obstupescit*, in tantum vt sibi licere petat senescentium equorum priuilegio frui, quos maturè soluendos poeta monet; ita enim loquitur ipse initio libri secundi. Atqui nemo est, vt puto, huic aduersario tam iniquus, vt eum velit equorum fraudare beneficio. Fruatur certè: nec soluatur modò; sed solutus etiam consueto nihilominus gaudeat fœni atque auenæ demenso. Hoc tantum miror, quî fieri possit, vt qui se fatetur memoriæ, ingenij, animique langore insanabili correptum, adeo tamen iuueniliter insultet Iesuitis, vt neget futurum vnquam, vt tota eorum natio vni suo elencho soluendo, vel tolerabiliter eneruando sufficiat. Nisi fortè aut illos adeo plumeos arbitratur, vt vel vno caduci senis halitu statim exsufflentur: aut voluit reipsa comprobare quod dicebat: & dum non recordatur se qui triumphat, aptiorem videri velle grabato quam currui, vnâque in scena decrepitum agere simul & Olympionicen, manifestum edere tum memoriæ labantis, tum ingenij fatiscentis argumentum. Quidquid id est, non nego prouidentia quadam præmissam illam ingenij ac memoriæ senescentis denuntiationem, ne nostrum aliquis putaret, anticipata esse hominis deliria, sed suo illum tempore desipuisse.

[Marginal notes: pag. 140. — l. 1. c. 18. pag. 187.]

TVissius quis.

II. Sed age, videamus quæ propria sunt huius auctoris, eiusque consilium & methodum ac scribendi rationem

paucis perstringamus, mox tentaturi metuendam illam & Iesuitis omnibus atque assertoribus scientiæ mediæ fatalem machinam. Est igitur Guillelmus iste TVissius, quantum ex eius scriptis colligi potest, natione Teutonicus, fortunâ Batauus, Religione Caluinista, ætate senex, iudicio vti proximè visum est, in pueritiam declinante, desiderio & voto Theologus, re autem ipsa Grammaticus non ineptus, & tolerabilis poeta, vt conijci potest ex calce libri secundi, quem conclusit heroico carmine; vt ostenderet se vel inter scholasticas meditationes, atque in ipso sapientum cœlo furere potuisse. Hic ergo scholasticorum vt in senatum conscribatur, iustum volumen edidit contra scientiam mediam, tamquam vltimum ingenij sui fœtum & præteritorum studiorum aptissimam coronam.

III. Consilium illi non vnum fuit, prout tum domesticæ rationes, tum publicæ impellebant. Erat TVissius non ita pridem ab Ordinibus Frisiæ Leouardiam accitus ad profitendam in ea academia Theologiam, sub liberali pensione annua, & honorifico insuper donario ad leuandam migrationis & vadimonij molestiam. Ne igitur illi sumptus frustra essent ne ve quis suspicaretur promittendæ tantum barbæ decreta illa esse stipendia, offerre voluit suis mœcenatibus egregium aliquod & acceptis beneficijs non impar munus. Vnde alterum quoque fructum est consequutus: ne scilicet dum Pennotum & Suarem & in vniuersum Iesuitas omnes venalibus conuitijs, & conductâ maledicentiâ toto illo tractatu insectatur, vsurpare gloriantes illud possint, *quia odiò habuerunt me gratis.* — Eius consilium in impugnanda scientia media.

IV. Per hanc occasionem publico etiam bono consultum est: & Ecclesiæ Caluinianæ subuentum. Notum est illam superioribus annis in Hollandia scissam esse Arminianorum secessione: qui tandem aliquando euigilantes ad impia Caluini dogmata circa libertatem arbitrij, prædestinationem hominum ac reprobationem, efficaciam diuinæ gratiæ, & diuinas item malorum actuum prædefinitiones, tanto talis magistri pudore suffusi sunt, tanto — Arminiani contra caluinum Catholicorum armis vsi.

doctrinæ illius horrore perculsi, vt eierato, in his quidem controuersijs Caluino, eatenus ad Ecclesiæ Romanæ sententiam accesserint, quatenus ab illo recedebant. Sed cum inter ipsos quoque Catholicos partes essent, altera Prædeterminantium, altera eorum qui sine prædeterminationibus philosophantur; visa hæc est Arminianis oportunior longè aptiorque ad frangendos aduersariorum conatus, eorumque petitiones eludendas. Hinc factum vt eos Catholicorum tractatus in quibus huiusmodi quæstiones disputantur physicæque prædeterminationes reiiciuntur, & voluerent diligentius, & intentius legerent, & propensius approbarent. Et quia scientia media in primis magnas habet opportunitates ad suauem liberi arbitrij cum diuina gratia concordiam, hanc etiam propugnare, atque in vsus suos conuertere Arminiani cœperunt.

Pennotus Caluinismo infensus.

Inter eos verò auctores qui ea in quæstione diligenter ac laudabiliter sunt versati, duo maximè commendantur. Primus est Gabriel Pennotus Nouariensis ex Ordine Canonicorum Regularium sancti Augustini vir clarissimus, & mea maior prædicatione: qui in aureo illo *Humanæ libertatis Propugnaculo*, tantas explicuit tum ingenij, tum sapientiæ atque eruditionis absolutissimæ diuitias, nemo vt erectam ab eo aduersus omnes libertatis hostes inexpugnabilem munitionem inficiari iure possit. Alter est Franciscus Suares, is quem omnes Catholicorum scholæ ita celebrant, vt vel auctorem sequi cupiant, vel aduersarium habere glorientur; qui eâdem, qua cætera omnia, soliditate ingenij ac doctrinæ copia hanc etiam tractationem non vno loco complexus est. Horum igitur ex scriptis cum Arminiani non parum iuuarentur, tum in inuadendis Caluinianorum castris: tum in eorum impetu repellendo: facilem in vtraque occasione victoriam consequi visi sunt. Quod quantopere doluerit Caluinianis, satis indicat TVissius his verbis. Mundus olim miratus est, ab Ebrio Imperatore videlicet Alexandro magno, cum ebrio exercitu subactum esse orientem: an non potiori ratione nobis hodie mirandum sit, à tam vertiginosis

Lib. 2. cap. 25. pag. 161.

Theologis cum dissertationibus suis summè vertiginosis, „
res Occidentis Ecclesiasticas priùs bene constitutas, posse „
de nouo concuti & labefactari. Viget tamen hodie Pen- „
notus inter nos, & multorum manibus versatur hoc „
opus eius ad humanam libertatem propugnandam vel „
inuita gratia destinatum. „

De Suare verò ita loquitur. Sed quam me miseret for- „ Suarez etiam.
tis Christianæ, dum non nisi talibus informatoribus vsi „
præsertim in studiis Metaphysicalibus, academiarum no- „
strarum alumni, ad ardua rerum, qua lumine naturali „ l. 2. digress. 2.
progressus pateat, aspirare se posse sperant. Operæ pre- „ p. 282.
tium facturum auguror, quisquis Metaphysicas illas dis- „
putationes Suarianas, tanquam Augiæ stabulum herculeo „
labore purgandas in se recipiat, præsertim quâ ad verita- „
tem Theologicam & sacram, constuprandam & deflo- „
randam tendere comperientur. Vide, Lector, quam perni- „
ciosam Caluinismo TVissius putat Suarij doctrinam. Sed „
quid hoc rei est? Stuprum meretrix timet, & defloratio-
nem adultera: Virginem facis Guillelme, quæ lupa est.
Consilium ex aduerso cape, Suarianam illa doctrinam
amplectatur & virgo fiet.

V. Quid sit autem illud in quo sibi potissimum hic au- Scientia media Caluinismo quam sit noxia.
ctor à Suare ac Pennoto cauendum censet, ab ipso audien-
dum est sic præfante. Sciat autem Lector eruditus ac di-
uinæ veritatis studiosus, non leuem esse quæ hic agitatur
quæstionem, sed maxime momentosam. Aduertunt „
enim aduersarij veritatis, siue Iesuitæ, siue Arminiani, „
nisi doctrina ista de scientia media sarta tecta conserue- „
tur, sententiam ipsorum de gratia, & libero arbitrio sta- „
re non posse: neque nostram ipsis aduersam posse labefa- „
ctari: profligatâ verò illa sententiâ de scientia futurorum „
quam mediam vocant, & NOSTRAM DE GRATIA ET LI- „
BERO ARBITRIO SENTENTIAM INCONCVSSAM PERSTARE; „
& ipsorum oppositam nostræ ruere vniuersam. Et ite- „
rum, hæc habui Lector beneuole, quæ de operis huius in- „
stituto præfando tibi communicarem: simulque famosæ „
illius de scientia media controuersiæ discussio quam mo- „
mentosa sit ob oculos tuos ponerem. Loquitur Caluini „

discipulus, & quidem magistro suo impense addictus; vt iam hinc liquere possit, ita libratam esse huius doctoris iudicio Caluini sententiam, qua parte Dei gratiam & hominis arbitrium petit, cum scientiæ mediæ assertione, vt alterius erectio necessariò cum alterius ruinâ connexa sit, stetque Caluinus, si pereunt scientiæ mediæ assertores: aut si stare possunt isti, Caluinus pereat. Hinc est illud odium atque illa detestatio scientiæ mediæ, quam TVissius vbique præ se fert, *detestandam hæresim* vocat *& Dogma quolibet alio vertiginosius*; nullam esse sententiam *magis infamem magisque conuincibilem infamiæ*; *ne diabolum quidem illius sententiæ consortem esse: neque enim vel angelos tenebrarum adeo obbrutuisse, vt nobiscum sentiant.* Equidem, neque nos si obbrutuere dæmones eorum suffragium ambimus, cedimus illud tibi, Guillelme, patimurque non inuiti, vt si tuam in sententiam pedibus ire non possunt, saltem repant. Nam quod hæresim vocas scientiam mediam, argumentum veritatis est; & præcipua quædam commendatio quod à te infamis habeatur. Sed nimirum pungit te penitus, affligitque quod intelligas *si doctrina ista de scientia media sarta tecta conseruetur, Caluini sententiam ruere, quæ eâdem profligatâ manet inconcussa*, vt tute confiteris.

l. 1. c. 30. pag. 200 1. 2. dig. 5. pag. 219.

VI. Hæc igitur causa fuit cur TVissius vt Arminianos his priuaret auxilijs armauerit sese contra duos potissimum Scientiæ mediæ propugnatores illos Pennotum & Suaresium. Est enim hic TVissius Caluino vt dicebam in primis addictus, quem *sanctum Dei vocat*, eoque nomine Franciscum à sancta Clara Ordinis Minorum sicuti Caluini violati reum, *impudentia effrænique spiritus ac linguæ intemperantia* notatum damnat. falsum enim esse quod Franciscus assumebat, restitutam à Caluino Prædestinatorum hæresim, quæ nulla vnquam fuit, nisi quam Semipelagiani confinxere: sed orthodoxiam Augustini per omnes ætatis comprobatam, licet à nonnullis Pontificiis misere deformatam, reuocasse illum, & integritati suæ natiuæ restituisse. Nota sunt illius orthodoxiæ placita, quæ vel ipse Caluinus *horribilia* fatetur; sed quæ TVissium nihil terrent, insignem videlicet monstrorum domitorem,

TVissius quam sit addictus Caluino.

In fine præf.

Hæresis prædestinatorum nulla si credimus TVissio.

quique tum suopte ingenio tum magistri exemplo consueuit cum illis, seu draconibus seu chimæris viuere familiariter ac ludere.

VII. Sed hoc vnum restabat ad Arminianos penitus conficiendos, vt quando illi quorumdam Pontificiorum tum armis tum Auctoritate tuerentur sese; ita & Caluiniani eodem ex genere inuenirent quos eiusmodi subsidio possent obijcere. In eo igitur laborauit huius hominis industria, verba illius sunt. Interea hoc nos recreat, quod non modo Protestantes huic commento resistant, sed & vniuersæ ni fallor familiæ Dominicanorum, hoc est, Thomistarum omnium. Et cum Franciscus à S. Clara obiecisset, puritanos Caluinum sequutos Prædestinatorum hæresim restituentem; An non etiam, inquit TVissius, Dominicani vestri, quippe quibus solemne est Iesuitis vestris etiam hoc nomine Caluinismum exprobare? In eo verò Iesuitas calumniatur, qui Thomistis Caluinismum non magis exprobrant, quàm Thomistæ Iesuitis Pelagianismum: viuunt vtrique sub eodem tecto Catholicæ, communique Parenti, ac Magistro subsunt, cuius edicto cautum est, ne alij aliorum sententiæ notam aliquam inurant. Sed cum vtrisque minimè dubium sit, Caluinum pariter & Pelagium detestabiles esse; disputando inuicem exigitur vt probemus, quantum ab illis sententiâ distinguamur. Id quod adeo præstamus sollicitè, vt quo quisque modo in eo se minus probabilem præbuerit; ita se quoque in hoc certamine inferiorem fuisse fateatur, vel ipso infœlicitatis suæ sensu satis ostendens, quam non iis consentire velit, quibus se dolet videri similem.

Caluiniani de quorundam Catholicorum consensu gloriantur.

l. 2. c. 3. pag 444

In præf.

Huc etiam spectat quod Suari respondet obijcienti Physicam determinationem destruere libertatem. Sic enim contra TVissius. Verùm hic Suario renitimur, cum vniuersa fere Dominicanorum familia, negantium prædeterminationem Physicam libertati creaturæ damnosam esse. Et quia dixit Suares hoc ab ipso fuse demonstratum esse libro secundo; respondemus paucis, physicam prædeterminationem ad agendum necessariò libertati quidem humanæ inimicam esse; non sic Physicam prædeter-

l. 2. c. 1. pag. 432.

„ minationem ad agendum congruenter humanæ naturæ,
„ hoc eſt de liberatè & liberè: licet minimè diffitear diuinæ prouidentiæ myſterium hic ſubeſſe. Myſterium prætexit ne nullum habeat inexplicabilis ſententiæ velum: nullumque aſylum quo fugere tutò poſſit à contrariorum argumentorum vexatione. Cæterum huius myſterij magna pars eſt, quæſtio illa quæ poſtulat, quæ poſſit eſſe ratio diuino intellectui cognoſcendi futura contingentia.
l. 1. dig. 3. pag. 98. Quam ille rationem cum peteret ex æterna voluntate qua futura decernuntur, ne peccatis quidem exceptis,
„ ſubdit. Sed facilè dignoſces quam minimè faciat ad Pen-
„ noti palatum iſta philoſophia. Multo melius concoquere
„ poterunt iſtam doctrinam Dominicani, quam cum ſuis
„ Ieſuitis, quorum ſpiritum totus ſpirat Nouarienſis. Falleris tamen Guillelme, falleris, dum ſperas fore vt Dominicani eaſdem tecum opiniones *concoquant* qui probe norunt in olla Caluini mortem eſſe.

l. 1. c. 4. pag. 431. Iucundum etiam illud & ſcitu dignum, quod habet de gratiæ efficacia; quam cum ſupponat vel ex præſcientia conditionatâ, vel ex Phyſica prædeterminatione petendam, cum iam probatum ſit, inquit, ſcientiam iſtam
„ quam fingunt Ieſuitæ, merum potius ſpectrum ſcientiæ
„ eſſe, quam ſcientiam: & gratiam per ipſam ſcientiam,
„ efficacem, per ludibrium tantum efficacem dici; vel hinc
„ conſequens eſt ſi vel nullis alijs argumentis concludere-
„ mus, omnem gratiæ efficaciam ex efficacia Phyſica pro-
„ manare & prædeterminatione cauſæ. Iſtum tamen mo-
„ dum efficaciæ impoſſibilem eſſe crepant Ieſuitæ & liber-
„ tati contrarium; at in aduerſum crepant Dominicani; nec
„ crepant modo (O ſenem inuerecundum, ſed vide hos
Appl. c. 5. inter crepitus quod oraculum fundat) ſed conferunt
„ infeſtis obuia ſignis ſigna, pares aquilas & pila minantia
„ pilis. Sed quid dico pares aquilas, cum ad Theologiam
„ Scholaſticam quod attinet, ne digni quidem ſint Ieſuitæ
„ qui eodem die nominentur cum Dominicanis. Æmulationis pomum proiicit, Thomiſtis ad inuidiam Ieſuitarum commendatis; & tanti ſtuporis eſt vt non intelligat, eo iudicio Ieſuitas efferri: cum viris ſapientibus probe

cognitum

cognitum sit: quod olim Tertullianus de Nerone prædicabat, non nisi grande aliquod bonum ab illo damnari posse; ita præclarum aliquid esse oportere, quod corruptissimi sensus homines auersantur ac vituperant. Qua cogitatione moueor vt silentio prætercam alia Thomistarum præconia, quæ sparsim habentur apud TVissium, quod certò sciam viros maximè Catholicos id genus hominis approbatione ac laudibus offendendos.

VIII. Et verò quam proditoriè cum illis agat TVissius ostendit, dum illos in ipso prælij discrimine positos non deserit modò, sed impellit etiam in præceps. Vrgebat Pennotus argumentum contra Didacum Aluares, vt probaret decretum subtrahendi auxilium efficax non esse Deo sufficientem rationem præsciendi peccatum futurum: vel enim, aiebat, posito illo decreto labitur homo necessariò in peccatum, vel non: si non labitur necessariò, ergo non est vnde sciatur certò peccaturus ex tali suppositione: si labitur necessariò, ergo ruit auctoritas Tridentini definientis Deum non priùs deserere peccatorem quam ab illo deseratur. Priùs enim decernere subtractionem illam ex qua necessariò sequitur lapsus, est prius deserere. Hoc argumentum quo modo potest dissoluit TVissius; sed vbi ventum est ad Tridentinum, quia non habebat quod posset commodè respondere, „*Nec omnino est*, inquit, *cur fundamus lachrymas, si hinc fiat vt tota Concilij Tridentini argumentatio ruat in interitum. Nam procul dubio poterimus sine ea viuere. Veruntamen iam dedi operam vt ostenderem quàm ludicra sit hæc tua ratiocinatio.* Et cum instaret deinde Pennotus in eodem argumento, *Quidquid fuerit,* inquit, TVissius, *de distinctione ista, eiusque ad legitimam Concilij Tridentini interpretationem accommodatione (quod quidem Concilium seu potius conciliabulum tanti meretur esse apud nos, quanti mysterium iniquitatis) Pennoti tamen refutatio nullius pretij est.* Sed quare suscipiebas Didaci patrocinium contra Pennotum, si mens erat hoc eum in loco deserere? An illum etiam vis *posse viuere sine Tridentino?* An illi *conciliabulum esse* non Concilium? Et tanti faciendum quanti *mysterium iniquitatis?* Fare age, Guillelme, da gloriam Deo.

Separare Thomistas nititur à Tridentino.

L. 1. c. 21. pag. 141.

Ib. pag. 142.

Vel putas conciliari posse quæ sentis cum Tridentini sanctionibus, vel non: si possunt, quare suffragium illud respuis quod tuæ causæ plus prodesset, quàm decem millium Thomistarum? Si non possunt, quid fiet Didaco Aluares cuius tu sententiam facis tuam?

TVissius eo nomine Pennotum improbat quod eius doctrina redoleat Romanum Pontificem

IX. Addam hoc etiam, vt magis constet quomodo hic Auctor communem causam prodat, dum eo nomine suspectum esse vult Pennotum, quod sit Romanus. Cœperat ille suas lucubrationes Romæ sub Paulo V. absoluerat sub Gregorio XV. à quo etiam facultatem obtinuerat in lucem edendi, diligenti discussione iam præmissâ: denique sub Vrbano VIII. feliciter etiam num regnante ediderat.

L. 1. c. 27. p. 167.

Ib. cap. 30. pag 201.

Hinc autem vide quid inferat TVissius. *Hìc verò depositâ histrioniâ ad se & ingenium suum redijt*, Pennotus, *vafrum illud quidem & nullo candore redemptum à veteratorio. Nempè Romæ degebat tanquam Procurator generalis Ordinis sui; & qui vel in vmbra degit mysterij iniquitatis, mirandum non est si de mysterio illo sapiat aliquid.* Et iterùm vbi lusit in Romanum Pontificem ineptè admodum & vt scurram decet inficetum ac stupidum, de Pennoto *Neque mirum*, inquit, *cuius sub vmbra degit, si ab eius ingenio nonnihil hauriat.* Atqui hæc illa est vmbra quæ serpentes interficit, scorpionesque fugat: & ad quam nullum perfidiæ accessum patere, iam olim pronuntiatum est. Et quid cogitat TVissius dum Thomistis infensos putat qui Romani Pontificis vmbram ingeniumque redolent?

Iudicium TVissij de gratia efficaci. ib. c. 28. pag 185.

X. Sed est quod mirere magis. In Pennotum & Iesuitas iocatus more suo, hoc est, seruiliter & illepidè ac sine sale, *Christi gratiam, inquit, à Pennoto pro fabulâ haberi, mihi tam compertum est, quàm Pontificem Romanum esse Antichristum; quem Christus, in dies conficiet spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolebit.* Gratiam à Pennoto assertam, hoc est, ex directione scientiæ mediæ infallibiliter connexam cum effectu, fabulam esse: & Pontificem Romanum esse Antichristum, huic Doctori παράλληλα sunt; & ad eundem radium vtraq; illi veritas illuxit. Ego verò & mihi, & Pennoto, & omnibns qui nobiscum vnâ de diuina gratia Philosophantur, testimonium hoc gratulor hominis hæretici,

XI. Iam quæ sit illius methodus, vno verbo dicam: qualis nimirum esse potest Commentatoris Grammatici. Suarem & Pennotum transcribit, & perpetuo deinde sequitur commentario: ad singulos fere versus rixatur, nunc Amanuensium imperitiam accusat, nunc Typographorum diligentiam desiderat, nunc propositâ textus obscuritate Scriptorum mentem diuinat tandem, nunc supplet, nunc resecat. Diceres Seruio propositum esse Virgilium ad interpretandum, vel Homerum Eusthathio. Digressiones instituit adeo intempestiuas, vt facilè appareat ille *fatiscentis ingenij stupor*, quem præfatus est. Vix cœperat contra Pennotum progredi, cùm occasione sumptâ ex eo quod ille dicebat de coëxistentia futurorum in æternitate, digreditur contra Didacum Aluarez, cuius ea in quæstione sententiam minus probabat, & mox contra Nauarretum: ac deinde pagina 85. ad Pennotum redit. Sed & à Pennoto ad Pennotum ipsum digressionem instituit aliam atque aliam, cum pergere iter posset, eodemque in argumento versaretur: adeò illi aberrare iucundum, & difficile atque insolitum rectâ ire. Librum secundum inscribit de scientia media, in quo nullum eo de argumento verbum facit; cùm sit totus de scientia absoluta futurorum contingentium. Hîc etiam à Suare ad Suarem digreditur: item ad Gregorium de Valentia: iterum ad Nauarretum, ad Ferrariensem, ad Capreolum. Mirabar erronem hunc, cùm in eum locum incidi, in quo ille laudat Don-Quixotam; ex quo intellexi hominem assuetum vel scribendis vel legendis Romansium historijs, quorum ars est fortuitis semper casibus fallere Lectoris animum, & inexpectatis narrationibus abrumpere cogitationem spemque differre, id imitatum in Scholastica tractatione, quod in fabulis obseruarat.

Marginalia: Τὺ τῆς Methodus. — L. 3. cap. 5. pag. 454.

XII. Scribendi ratio eadem est illi quæ Caluino: neque vnquam ouum ouo similius fuit; siue morem illum perpetuum spectes plasticen exercendi, fingendiq; laruas idoneas tegendæ tum propriarum immanitati sententiarum, tum speciei rationum aduersantium: siue hominis genium ad maledicta & conuitia pronum. Familiare est ac quoti-

Marginalia: Scribendi ratio conuitiis fœcunda.

l. 2. c. 4. p. 450. dianum, quod ijs quibuscum agit *insaniam*, *impudentiam*, *amentiam*, *stuporem*, *imposturam*, *spurcitiam exprobrat*. Quando altius aliquid atque insolentius tonat, Iesuitæ illi sunt *Primarij Satellites diaboli*; *inimici gratiæ Dei efficacis quam videlicet verbo tantùm ponunt*, *reipsa tollunt*. Iidem *Atheismi* rei, quòd aliquid futurum putent independenter à decretis prædefinientibus. Pennotus *inter porcos grunnit*, & si cui porcus non satis videtur infamis; negat in vniuersum *bestiam vllam esse Pennoto impuriorem*, *& magis irrationalem*: seque fingit cum eo dum disputat, Apostolum imitati, *congressum Ephesi cum bestijs*. Causa verò quæ *bestiarium* hunc disceptatorem commouit, in summa hæc est. Dixerat Pennotus non eandem esse rationem immutabilitatis in intellectu & voluntate Dei, si comparentur ad obiectum secundarium: intellectum enim, quia non agit ipse per se, non posse reddere obiectum suum de non scibili scibile: ideoque quantum in ipso est, circa idem obiectum eâdem semper scientiâ versari. At verò quia ratio qua diuinæ voluntatis obiectum fit volibile variatur, illam ideo ex se de non volente aliquid fieri volentem: non eâ mutatione quam in se recipiat, sed eâ quam in obiecto causat. Quod quia capere non potuit Guillelmus iste quem videtis, Hospites, nihil occurrit opportunius quàm vt Pennotum damnaret ad siliquas. Aliquando etiam ad cauponam ducit & *ebrietatem* improperat Teutonicus Italo, & ieiuniorum hostis viro Religioso. Sed ne videatur in luto semper, aut inter pocula versatus: nec alias nosse metaphoras, nisi quas stabularij suggerunt & caupones; exserit aliquando militarem eloquentiam, & quod vnum licet eminus posito, generosè conuitiatur. Pennotum videlicet constituit *Capitaneum sub quo diabolus stipendia mereatur*. Plus scilicet ille in castris aduersariorum quam Iesuitæ profecit: isti enim *Satellites* tantùm; ille *diaboli Capitaneus* euasit. Volebam opponere, non facile passuros dæmonas alterius quàm sui generis duces: sed concedendum est TVissio, vt ipse inferorum mores atq; instituta melius nosse credatur.

[Marginalia: l. 2. c. 1. pag. 256. — L. 1 c. 33. pag. 149. — Ib. digr. 5. pag. 221 — L. 1. c. 25. pag. 160. 161. — L. 1. digr. 5. pag. 218.]

Ex his verò iam satis constat, quantopere illi bilem vtramque accenderit amor partium, & digna illa quæ in-

primatur Academiarum omnium in frontibus persuasio, *profligatâ scientiâ mediâ Caluini sententiam de gratia & libero arbitrio inconcussam perstare.*

CAPVT II.

Elenchus TVissij soluitur.

XIII. MAGNAM habeo gratiam TVissio, quòd longum æquè ingratumque laborem meum suo beneficio redemerit, dum immensam horrentemque syluam argumentationum suarum, vnum in manipulum redegit. Hoc est illud argumentum in quo vim ille omnem suarum ratiocinationum positam putat: ad cuius solutionem *Iesuitas ad vnum omnes prouocat:* quod in omnes sui operis partes ita versat, vt numerauerim aliquando quater & quinquies in eadem pagina de integro repetitum. Diceres imitatũ Indiarum nemora quædam vnâ ex arbore consita, dum vno ex argumento sine fine reproducto, librum conflat. Sed nimirum, *ita est clarum ita euidens, vt* L. 1. cap. *omnem humanam autoritatem quantacumque fuerit, non modo* 13. p. 148. *Thomæ, sed Scholasticorum ad vnum omnium in aduersum nitentem prorsus obruat.* Atque hoc est totius negotij caput Ib. c. 19. & belli summa, *Ecce Rhodus*, inquit, *ecce saltus.* Ergo in pag. 192. hoc saltu agitabimus senem hunc, & si saltauerit, salua res erit.

Argumentum illud est. Omne quod transiit ab æterno Argumende conditione merè possibilis, in conditionem futuri, tum contra debuit supponere ab æterno aliquam illius transitus cau- scientiam sam: futurum, quod dicitur conditionatum, transiit ab mediam. æterno de conditione merè possibilis in conditionem futuri: Ergo futurum hoc conditionatum debuit supponere ab æterno aliquam illius transitus causam: Atqui nullam supponere potuit præter diuinam voluntatem, quam tamen illi qui scientiam mediam propugnant non

agnoſcunt eſſe cauſam iſtius tranſitus: Nullum eſt igitur tale futurum, & conſequenter nulla eius ſcientia. En tibi coloſſum illum quo ruente obruendi ſunt omnes Scholaſtici. Sed vt ſit integra reſponſio, tribus illam quæſtionibu diſtinguit Auctor, quas ſigillatim explicari vult.

L. 5. cap. 5. pag 454.

XIV. *1. An vlla propoſitio conditionalis dicenda ſit vera, quæ non ſit neceſſaria?*

2. An res naturâ ſuâ merè poſſibilis & indifferenter ſe habens tam ad futuritionem, quàm ad non futuritionem, tranſire poſſit è conditione merè poſſibilis & indifferentis, in conditionem rei futuræ; ſiue ad futuritionem determinatæ, citra cauſam?

3. Vtrum vlla huius tranſitus cauſa fingi poſſit præter diuinæ voluntatis determinationem?

Hi ſunt, inquit, *articuli illi vnici quorum deciſione controuerſiæ iſtæ de ſcientiâ futurorum contingentium faciillimè tranſigerentur.*

Argumentum ad hominem.

Decidamus ergo articulos hos: aut certè præcidamus. Sed priùs ad hominem reſpondeo. Cum TVıſſius *execrandam hæreſim* vocet doctrinam de ſcientiâ mediâ; & in ea quoque ſit ipſe hæreſi, quæ docet omnem hæreſim vnâ ſcripturæ regulâ efficaciter confutari, ſecluſa Patrum omnium, Conciliorum, & Eccleſiæ totius auctoritate; peto vt indicet nobis quo ex loco Scripturæ ſeu noui ſeu veteris inſtrumenti argumentationem illam eruerit? Hoc enim, cùm millies eam repetat, ne ſemel quidem ab eo præſtitum eſt.

Non eſſe idem propoſitionem aliquã eſſe verãm & iſſe neceſſariam.

XV. Deinde ad primum articulum quo poſtulat, *An vlla propoſitio conditionalis dicenda ſit vera quæ non ſit neceſſaria?* ℞. breuiter, dicendam (neque enim hic agimus de neceſſitate conſequente, quam ipſa rei liberæ ſuppoſitio inducit) & viciſſim peto, An vlla propoſitio abſoluta dicenda ſit vera, quæ non ſit neceſſaria? ſi enim eſt aliqua; quidni & conditionalis eſſe poſſit? Si nulla eſt; quid ſomniauit vniuerſa hucuſque Dialecticorum natio, dum contingentes propoſitiones contra neceſſarias ita diſtinxit, vt eas eſſe non dubitaret, tum veras, tum falſas, prout & caſus obiectorum, & prudentia iudicantium ferre ſolet? Quid ais, inquam, Guillelme: oratio hæc, *Deus vult creare mun-*

dum, est ne propositio? est ne vera? est ne tamen necessaria? hæc item, *si Deus infundat aliam animam in hoc corpus, vult illam iustificare beneficio baptismi*, vel certè ista, *non vult illam iustificare beneficio baptismi*, est ne vera? est ne etiam necessaria? Quod si diuina libertas contingentiam in suis propositionibus cum veritate coniungit; quidni & libertas humana, si vlla superest, id ipsum præstare possit? Quomodo enim libertas erit, si nihil ab ea liberè fit? Quid autem liberè fiet, sinon fiat contingenter, ac proinde non necessariò? Et vnde venis, mi homo, aut quam hactenus incoluisti solitudinem, vt ea nescias quæ ne elementarijs quidem Philosophis ignota sunt? Sed Caluinum oles, & liberum arbitrium occultè petis, dum interrogas, *an aliqua propositio sit vera quæ non sit necessaria?* Caue autem ne tecum pugnes, dum huic interrogationi respondes ipse, nullam esse. Sic enim loqueris. *Nulla propositio conditionalis vera, nisi sit necessaria.* Et iterum: *Ad eundem modum concedimus, omnem enuntiationem conditionatam de futuris conditionatis, esse necessariam.* Item. *Nec omnino dubitandum est, quin Christus nouerit quinam prædicationi eius repugnaturi essent, idque per consequentiam necessariam. Quare de scientia conditionata procedunt ista fateor, sed per consequentiam necessariam futura, hoc est per consequentiam veram: non autem per consequentiam falsam, qualis est omnis consequentia quæ non est necessaria; cuius generis est illa vestra scientia conditionata.* Ac deinde non solùm confirmat necessitatem illam, sed ostendit insuper vnde sit, dum sic loquitur. *Interea non diffiteor futura conditionata agnoscenda esse, non qualia vos fingitis secundum consequentias prorsus inconsequentes. Quoties autem obuersantur nobis futura conditionata secundum consequentias verè consequentes, cuius generis occurrunt non pauca; toties horum scientiam Deo tribuimus: non quæ sit visionis, sed potiùs simplicis intelligentiæ, qualia sunt quotquot,* EX SVPPOSITIONE DETERMINATIONIS VOLVNTATIS DIVINÆ *futura esse dicuntur aut possunt dici.* Ex quo loco perspicuè liquet, necessitatem illam quam TVissius agnoscit in omni propositione quæ vera est, refundi in *determinationem voluntatis diuinæ.* Vide autem, Lector, hominis caput, qui non meminit se iam ante nega-

l. 3 cap. 1. pag. 428.
pag. 430.
ib. p. 440.
Ib. pag. 442.
Supra l. 2. pag. 431.

uisse prædeterminationem Physicam obesse libertati, eo quod non sit prædeterminatio *ad agendum necessariò sed congruenter humanæ naturæ*, hoc est, *deliberatè & liberè*. Vbi vides apud hunc Auctorem duo hæc opponi, *agere necessariò*, & *agere congruenter humanæ naturæ*, hoc est, *deliberatè ac liberè*. Vnde sequitur propositionem quæ est de obiecto libero, esse posse de obiecto & *vero* & *non* necessario: postquam ex TVissio, liberum opponitur necessario, ac consequenter poterit ipsa propositio esse & *vera* & *non necessaria* contra quam ipse supponat: sequitur etiam si futura non possunt esse vera nisi sint necessaria ex *suppositione determinationis voluntatis diuinæ*, vt ipse loquitur, determinationẽ diuinæ voluntatis inducere illam necessitatem in rem futuram, loquimur autem de libera. Rursus, si prædeterminatio Physica per quam Deus suam voluntatem exequitur, non determinat ad agendum *necessario* sed *congruenter humanæ naturæ*, hoc est, *deliberatè ac liberè*, sequitur ex suppositione determinationis voluntatis diuinæ, futurum liberum *non esse necessarium:* Atque ita eadem actio ex eadem suppositione est necessaria & non est necessaria: & determinatio diuinæ voluntatis inducit & excludit necessitatem à futuro libero. An non bellè ista cohærent? Sed hoc vrgebo fortasse postea. Nunc quia partes subeo defensoris, hoc solum obseruari cupio. TVissium pro primo ineluctabilis argumenti fundamento, monstrum opinionis produxisse, scilicet *omnem propositionem conditionalem veram, esse necessariam*. Quod neque ratione vllâ, nec auctoritate idoneâ nititur: quinimo & manifestis conficitur instantijs, & omnium Philosophorum calculo reprobatur.

XVI. Secundum TVissij postulatum est. *An res naturà suà merè possibilis, & indifferenter se habens tam ad non futuritionem quam ad futuritionem, transire possit è conditione merè possibilis & indifferentis, in conditionem rei futuræ, siue ad futuritionem determinatæ, citra causam?* Suppono in primis quæstionem intelligi potissimum de futuris conditionatis, Quis sit sensus v. c. *futurum est vt si Dauid in Ceila maneat, tradant eum Ceilitæ in manus Saul.* Ac deinde iterum suppono, id quod ita

ita dicitur futurum, eo quod sit ex positione conditionis omnino suspensum, non esse propriè futurum: sed tale vt de eo non alio sensu affirmetur τὸ, erit, quam τὸ, esset. Quod, inquam, dicitur, si Dauid maneat apud Ceilitas tradetur in manus Saul, non habet alium sensum quàm cùm dicitur, si maneret, traderetur. Sed priore modo loquimur dum decretum de ponenda conditione adhuc pendet, aut nobis ignotum est; dum enim de illo non dubitamus, posteriore modo potiùs loquimur: & ita quia non dubitamus quin nullus alius mundus creandus sit, aptiùs dicimus; si crearetur alius mundus, essent in eo alij hominum mores, quam si creetur.

enunciationis futuri conditionati.

De his ergo futuris non tam dicendum est quòd sint futura, quàm quòd essent: nec alio sensu quod *transeant* de conditione possibilis in conditionem futuri, quàm quòd *transirent*. Et hæc apertissima est Augustini sententia, dum Pelagianos, qui dicebant, Deum bonis & malis meritis conditionatè futuris moueri, vt è duobus infantibus alterum eriperet non suscepto baptismo, alterum non nisi post baptismum, hac vrget interrogatione, *Quomodo futura dicentur quæ nulla erunt?* Quod ipsum alias quoque significat dum hæc vocat, *futura quæ non sunt futura*. Atque hoc ipsum indicat alicubi Suares, dum ait has propositiones *abstrahere à tempore*. Cùm enim tempus omne designetur per est: vel, erit, vel fuit, id de quo nihil horum dici potest: aut non alio sensu quàm dum dicitur tantum *esset, fuisset, foret*, rectè dicitur abstrahere à tempore, isto nostro scilicet. Nam suo etiam modo tempus adsignificant voces illæ, nimirum conditionatum. Id quod eo libentiùs edissero, quòd sciam me cum Grammatico disputare; cuius est tempora verborum exactè distinguere, & indicatiuum ab optatiuo, seu subiunctiuo.

Ep. 105.

XVII. Hoc igitur constituto, cùm effectus non alium existentiæ modum prerequirat in suâ causâ, quam habeat in seipso, ineptè requiri dico causam quæ iam sit, illius effectus qui tantùm esset: & sufficere, si quo modo pronuntiatur futurum vt esset effectus, eo etiam modo supponatur futurum vt esset causa. Non, inquam, debet peti,

Causa existens absolute non potest esse necessaria ad effectũ conditionatè tan-

tùm futurum. an sit modò aliqua causa cur Ceilitæ Dauidem proderent, sed an esset. Et ita respondeo directè ad postulatum propositum; *An res merè possibilis transire possit de conditione merè possibilis in conditionem futuræ citra causam?* Distinguo: citra causam quæ modo sit; potest: citra causam quæ erit vel quæ foret, non potest. Et manifestam Augustini rationem adhibeo viceuersa. Existimat enim ille causam de qua dicitur tantùm quòd esset, absurdè admodum & falsò existimari causam effectus de quo dicitur modò, quòd sit; mala v. g. infantis merita, de quibus nihil aliud concipi potest quàm quòd essent, si viueret; esse causam acceleratæ mortis, quæ modò est, non expectato baptismo: vel alterius bona merita quæ similiter essent, si viuere sineretur; esse causam mortis quæ iam est, suscepto baptismo. Atqui est paris omnino absurditatis, postulare causam quæ modò sit, illius effectus qui tantùm esset; hoc est causam existentem absolutè, illius effectus qui existit tantùm conditionatè. Intelligo semper causam efficientem, vel quæ reducatur ad efficientem, cuiusmodi est causa meritoria, & quæ causa est per quam & cur sit effectus. Nam de causa finali cuius gratia est effectus, philosophandum aliter est. Fatendum nimirum est, necessariam esse catenam hanc, & illationem à præsenti ad futurum absolutè, & à futuro absolutè ad futurum conditionatè. Nempe, sicut præsens causa effectus liberi, est causa sufficiens vt & sit & affirmari possit determinata effectus præsentia; ita absolutè futura eiusdem effectus causa, sufficit vt & sit & affirmari possit effectus determinatè futurus. Quod enim facit causa præsens, hoc faciet causa futura: Ergo si præsens præsentiam dat effectui determinatam, futura dabit etiam præsentiam determinatam: & ex nunc verum est daturam illam præsentiam: ergo etiam ex nunc verum est effectum illam præsentiam accepturum: atqui effectum esse accepturum determinatam præsentiam, est esse determinatè futurum: ergo ex nunc verum est effectum esse determinatè futurum.

Rursus, quod faciet causa libera absolutè futura, hoc

faceret futura conditionatè. Esset enim eiusdem facultatis ac dominij: Ergo si absolutè futura datura est determinatam præsentiam effectui, & hoc ex nunc verum est; conditionatè futura daret etiam determinatam præsentiam effectui: & hoc ex nunc verum atque affirmabile est. Ergo sicut ex eo quòd absolutè futura datura est talem præsentiam, verè dicitur effectum illam absolutè accepturum, ac proinde absolutè futurum; ita ex eo quod conditionatè futura daret præsentiam similiter determinatã effectui, verè dici potest effectum conditionatè illam accepturum, ideoque esse conditionatè futurum.

Et in eo se TVissius admodum tardum præbet, quod rationem adeò perspicuam adeòque expositam assequi non possit; cùm fateatur ipse in sententia Iesuitarum *non deesse determinationem qua contingentia fiant præsentia: sed nullam esse qua fiant futura.* Atqui quæ determinatio est in præsentibus, eadem erit in futuris absolutè, & esset in futuris conditionatè: & ita quâ certitudine potest affirmari determinatio illa seu causa determinans absolutè futura, vel futura conditionatè, eâdem certitudine affirmari quoque potest effectus, vel absolutè, vel conditionatè futurus. Hoc ipso, inquit TVissius, quòd est hæc voluntas libera in his circunstantijs, datur causa determinationis quâ dici possit est talis volitio determinata & non opposita, quæ tamen etiam ipsa esse potest; quare ergo hoc ipso quòd erit hæc voluntas libera in his circunstantijs, quia Deus decreuit illam creare, non dabitur causa determinationis, quâ iam dici possit, erit talis volitio determinata & non erit ei opposita? Et quare eo ipso quòd esset hæc voluntas in talibus circunstantijs, si Deus id decerneret, non daretur causa determinationis quâ iam dici possit, esset talis volitio & non esset opposita? Dum ex me quæritur, quare voluntas hîc & nunc sequitur hoc obiectum potiùs quàm fugit, cùm æquè vtrumque præstare possit, non deest inquit TVissius quod respondeam & causam assignem dicendo, Quia libera est; & si petatur, quare sequetur potiùs quam fugiet, non aptè pariter respondebo, quia libera erit? Rursus si petatur, quare sequeretur po- l. 2. c. 2. p. 153.

tius quam fugeret, non occurret vt dicam quia libera esset? Et vt sufficit existentia præsens libertatis vt assignetur causa præsentis similiter effectus, non sufficiet existentia eiusdem libertatis absolutè futura, vt assignetur causa effectus absolutè futuri: & existentia ex aliqua conditione suspensa, vt assignetur causa effectus futuri, sed ex eadem conditione suspensi? Hæc responsio plana est; nec habet à TVissio quid timeat.

Quæ possit assignari præsens causa futuri conditionati. Sed potest alio etiam modo interrogatio illa solui, & concedi reipsâ dari causam aliquam propter quam dicatur futurus effectus ille contingens, qui dicitur conditionatè futurus, quemadmodum aliqua datur propter quam effectus etiam necessarius conditionatè quoque futurus sit, ex TVissio. Fatetur enim ille veras esse ac legitimas propositiones quibus ex hypothesi necessariarum causarum enuntiantur effectus necessariò & conditionatè futuri, v. g. si produceretur alius sol, futuri essent alij dies: ita enim loquitur. *Etenim videtur extra*

L. 3. pag. 427. „ *controuersiam statuendum, tam futura dici posse quæ pendent à* „ *conditione causarum necessariarũ: quàm quæ pendent à conditio-* „ *ne causarum liberarum: etiam illa tam cognoscibilia esse in gene-* „ *re futuri, quàm sint ista.* Ergo si tam sunt futura necessaria „ hæc, tam postulant aliquam suæ futuritionis causam. Non contendo parem esse in omnibus futurorum istorum, & liberorum rationem: aut perinde transire necessaria de conditione merè possibilis atque indifferentis in conditionem rei determinatè futuræ, ac transeunt libera: si tamen hic loquendi modus ferendus est. Hoc tantùm contendo, cùm perinde sint futura, perinde requirere causam aliquam cur futura sint. Neque hoc, vt opinor, negat TVissius; sed putat causam illam in futuris necessarijs facilè assignari, cùm tamen assignari non possit in liberis. Ego verò è contrario eâdem facilitate assignari posse dico in liberis atque in necessariis. Quod quia pertinet ad solutionem tertij postulati restat vt illud exponamus.

XVIII. Est igitur tertium postulatũ. *Vtrum vlla huius transitus causa fingi possit, præter diuinæ voluntatis determinationem?*

In primis condonandum est Aduersario, vt transitum

agnoſcat vbi eſſe non poteſt. Cùm enim neque tempus ſit vllum, neque inſtans in tota æternitate, in quo id quod dicitur conditionatè futurum non fuerit futurum; non poteſt dici trăſijſſe è ſtatu merè poſſibilis in ſtatum futuri; cum neceſſe ſit id quod tranſit ab vno ſtatu in alium, ſi verè tranſeat, priùs extitiſſe ſub termino *à quo*, quàm ſub termino *ad quem*. Neque aliud hîc quæri poteſt quàm, cùm id quod dicitur conditionatè futurum, perinde atque ex eâdem hypotheſi poſſet eſſe non futurum, quæ ſit cauſa cur futurum ſit potiùs, quàm non futurum? Cùm, inquam, Dauide apud Ceilitas manente, ac Saüle accedente, perinde poſſet fieri vt non traderetur Dauid in manus Saül, atque vt traderetur; quæ ſit cauſa cur verum ſit tradendum potiùs quàm non tradendum, ſi non recurritur ad diuinæ voluntatis determinationem?

Futurum conditionatum malè dicitur tranſire è conditione poſſibilis in conditionem futuri.

Reſpondeo iuxta priorem dicendi rationem paulò ante expoſitam, non eſſe neceſſariam cauſam quæ ſit, ſed quæ eſſet. Cauſa verò illa eſſet hypotheſis ex quâ pronuntiatur effectus ſequuturus. *Traderetur Dauid in manus Saul*, hic eſt effectus conditionatè futurus. Cauſa vero eſſet *libertas Ceilitarũ habentium Dauidem in ſua poteſtate, acceſſu Saulis tentata ſeu minis ſeu precibus ac promiſſis; à Deo verò non tantùm non impedita; ſed adiuta potiùs oblatione concurſus qui cauſis liberis congruit*. Si eſſet tota illa hypotheſis, eſſet cauſa cur Dauid traderetur potiùs quàm non traderetur in manus Saül: & ab æterno verum eſt talem hypotheſim fore talem cauſam. Et ſicut præſens hypotheſis cauſat præſentem effectus liberi & contingentis determinationem, & abſolutè futura eandem cauſabit: ita & conditionatè futura, cauſaret ſimiliter. Item ſicut modò verum eſt quòd præſens hypotheſis cauſat, & poſt ſæculum quòd cauſauerit, immo & per totam æternitatem poſteriorem: ita verum eſt quòd ſimilis hypotheſis cauſabit abſolutè, & ante ſæculum & ab æterno id ipſum verum fuit: pariterque verum eſt quod eadem hypotheſis id ipſum cauſaret, idque per omne tempus præteritum præſens, & futurum. Neque inueniet vnquam Aduerſarius quod opponat huic doctrinæ, quantumuis excutiat ſeſe.

Præsens causa futuri conditionatitum necessarij tum liberi.

XIX. Altero modo respondeo. Esto danda sit iam aliqua causa effectus contingentis conditionatè futuri; dico illam posse rectè assignari reclusâ præsenti diuinæ voluntatis determinatione, si rectè assignatur in effectibus necessarijs conditionatè quoque futuris: & quæro ab Aduersario quæ causa modo assignari possit, cur *futuri sint alij dies si alius crearetur Sol?* Et quia ipse non putat in his futuris recurrendum ad determinationem diuinæ volun- luntatis, *quòd ea sint in suis causis naturalibus determinata*, semperque petit recursus illius difficultatem ex indifferentia causarum liberarum: hoc tantùm relinquitur, vt dicat illam *aliorum dierum futuritionem* causam habere in possibili creatione ac motu alterius solis; adeo vt hoc quod est *ab æterno possibilem esse alium solem, aliumque illius motum*, causa sit propter quam *alij quoque dies cōditionatè sint futuri.*

L. 2. p. 153.

Dico ego pariter, quemadmodum possibilitas causæ necessariæ quæ est ab æterno, est sufficiens ratio & causa propter quam effectus necessarius est conditionatè futurus; ita possibilitatem causæ liberæ omniumque necessariorum ad hoc vt liberè agat, quæ est etiam ab æterno, esse sufficientem rationem & causam propter quam illius effectus liber, sit conditionatè futurus. Neque hic gestiat TVissius. Intelligo enim quid statim sit obiecturus, esse nimirum disparem vtriusque causæ rationem: necessariam enim esse determinatam ex se ad effectum, ideoque illius possibilitatem inferre determinatum effectum; liberam autem indeterminatam esse tam ad ponendum quàm ad non ponendum effectum, & ideo ex huius possibilitate non magis sequi effectum futurum, quàm non futurum. Verum secluso illationis ac sequelæ nomine, quæ si necessitatem vllam inuoluant, locum hîc habere non possunt; hoc solum dico, quàm determinata est causa necessaria ad vnum effectum; tam sui determinatiuam esse causam liberam ad vnum ex duobus illis quos indistinctè potest producere. Neque enim est passiuè indifferens, ita vt expectare ab alia debeat determinationem suam; sed actiuè, & ex dominio quod habet in alterutrum, vt effectum ponat aut supprimat; quod est esse indeter-

minatam cum poteſtate determinandi ſeipſam. Vnde iterum dico, quâ ratione cauſa ex ſe determinata ad vnum, eſt cauſa cur illud vnum futurum ſit, eâdem ratione cauſam indifferentem ad duo, ſed ſui determinatiuam ad vnum ex illis, eſſe cauſam cur vnum illorum ſit futurum: Et ſicut ideo quòd ſupponatur cauſa determinata ex ſe cum omnibus ad agendum neceſſarijs (hæc enim ſemper inuoluuntur) ſit vt æterna illius poſſibilitas ſit ſufficiens ratio dicendi, determinationem illius ad effectum eſſe conditionatè futuram; ita ex eo quòd ſupponatur cauſa ſui determinatiua cum omnibus ad hoc neceſſariis, ſit vt æterna huius ſuppoſitionis poſſibilitas ſit ſufficiens ratio dicendi determinationem illius eſſe conditionatè futuram. Hoc enim etiam addendum eſt, cauſam ſui determinatiuam vltimò completam, eſſe ſimul cauſam ſe determinantem ad alterutrum: vnde ſi verè dicitur atque abſolutè *exiſtit talis cauſa*; verè dicitur atque abſolutè, *determinat vtrum è duobus ſit*: & ſi verè dicitur atque abſolutè, *exiſtet*; eodem modo verè dicitur atque abſolutè *determinabit* vtrum è *duobus erit*: Et ſi verè dicitur ac conditionatè *exiſteret ſi Deo placeret*; eodem modo verè dicitur ac conditionatè: *determinaret vtrum è duobus eſſet*: vt ſit idem ſupponere cauſam determinatiuam ſui vltimò completam, ac ſupponere illam determinantem ſe vel determinaturam.

Vnde videat iam Lector quid hominis ſit, qui capere poteſt quomodo ſuppoſitio poſſibilis cauſæ determinatæ ad vnum, ſit ſufficiens ratio cur effectus ſit conditionatè ac determinatè futurus: non poteſt autem capere quo modo ſuppoſitio poſſibilis cauſæ determinantis ſe, vel determinaturæ, ſit etiam ſufficiens ratio cur eius effectus ſit conditionatè ac determinatè futurus: quaſi verò ſuppoſitio cauſæ determinatæ ſit ſufficiens cauſa cur ſit determinatio: & ſuppoſitio cauſæ ſe determinantis non ſit.

Cauſa libera determinat ipſa ſui indifferentiam.

XX. Non dubito quin TVиſſius hîc animam agat, ſed eſt excipiendus vltimus ſenis flatus. In hoc enim perpetuò videtur facere vim, quòd ſuppoſitio ex quâ tam

potest sequi effectus quàm non sequi, quæ est suppositio causæ liberæ completæ, non possit esse ratio & causa cur sequuturus sit effectus potiùs quàm non sequuturus. Atqui planum fit ex iam dictis quid sit respondendum. Nempe suppositio ex qua perinde sequi ac non sequi potest effectus, si inuoluat vim determinatiuam & determinantem alterum ex illis, non potest esse ratio & causa, cur vnum sit futurum potiùs quàm aliud, nego: si talem vim non inuoluat, esto. Suppositio autem causæ liberæ vim illam inuoluit, vt ex illius conceptu patet. Et est instantia manifesta tum in libertate Dei, quæ idonea est causa seu ratio cur dicatur esse volitio producendi mundi, quamuis eâdem positâ perinde potuerit esse illius rei nolitio: tum in libertate creatâ iuxta

suprà num. 26. TVissium hunc, qui putat in sententiâ Iesuitarum *non deesse determinationem quâ contingentia fiant præsentia.* Quasi diceret, in libertate eius qui peccat in præsenti, esse sufficientem rationem cur dicatur peccare potiùs quam non peccare; cùm tamen eâdem libertate suppositâ perinde possit non peccare: Ergo stat, in hypothesi ex qua sequi potest alterutrum è contradictorijs, esse sufficientem rationem & causam, cur sequatur vnum ex illis determinatè. Atque ille proprius est character causæ liberæ, vt quamuis æquè sit indifferens ad opposita, sit tamen à seipsa causa, cur vnum ponatur potius quàm aliud. Quòd si præsens atque absoluta positio causæ liberæ talis est causa respectu effectus eodem modo præsentis; hoc erit & eius absoluta futuritio respectu effectus futuri absolutè: & possibilitas seu futuritio conditionata, respectu effectus conditionatè futuri.

Respondetur iuxta formam argumenti propositi suprà num. 13.

XXI. Atque hæc est illa, quam TVissius requirebat, articulorum decisio, quâ tota hæc, vt ipse quidem putat, controuersia dissoluitur: quam si lubet accommodare ad formam argumenti antea propositi, Primò distingui poterit Maior propositio in hunc modum, Omne quod transijt ab æterno de conditione merè possibilis in conditionem futuri, debuit supponere ab æterno aliquam illius transitus causam, absolutè positam, nego maiorem; ponendam

accom-

accommodatè ad rationem futuri, concedo maiorem: Atqui futurum conditionatum transiit ab æterno de conditione mere possibilis in conditionem futuri; Esto minor, intelligendo semper transijsse in conditionem futuri conditionati, & de quo dicitur tantùm quod esset vel fuisset: Ergo futurum hoc conditionatum debuit supponere ab æterno aliquam illius transitus causam, actu positam aut ponendam absolutè, nego consequentiam; ponendam conditionatè, hoc est accommodatè ad rationem ipsius futuri conditionati, concedo consequentiam. Et cùm subsumitur, atqui nulla est alia causa idonea præter determinationem diuinæ voluntatis; similiter distinguo: nulla est actu posita; esto: nulla est ex hypothesi ponenda, nego. Est enim causa ipsa libera quæ ab æterno supponitur futura, si Deus eam ponere velit; nec aliud asseritur quàm quòd si poneretur, causaret determinatè talem effectum.

Secundò responderi poterit, transeat totus ille syllogismus: & ad id quod subsumitur, nullam esse aliam causam &c. Nego subsumptum. Est enim alia causa, nempe possibilitas suppositionis ex qua futurum enuntiatur conditionatè sequuturum, quæ est possibilitas causæ liberæ vltimò completæ; & est ab æterno absolutè; nec minus sufficit vt aliquis effectus sit & dicatur liberè futurus conditionatè; quam possibilitas causæ necessariæ, vt dicatur effectus conditionatè etiam ac necessariò futurus vt antea monstratum est. supra num. 19.

Denique dici potest maiorem & minorem propositi syllogismi implicare contradictionem; quòd assumant dari ab æterno transitum à statu merè possibilis in statum futuri quem esse iam impossibilem ostendimus. Atque hæc est illa moles insuperabilis argumenti, quâ humana omnis auctoritas *& Thomæ ac Scholasticorum omnium* erat obruenda. Moles insana fateor, sed & fictilis, contra quam non diu fuerit arietandum vt in testas dissiliret. supra num. 13.

CAPVT III.

Expenditur TVissij solutio de futura ex hypothesi Ceilitarum perfidia in prodendo Dauide.

XXII.  VANTVS sit TVissius in imprimendo impetu ex superioribus constat: reliquum est vt experiamur propulsantem. Ex multis argumentis quibus satisfacere conatur pauca seligam: non enim vacat omnibus telis configere hominem: neque nulla nos decet *ingenij fatiscentis & animi stupescentis* misericordia.

1. Reg cap. 23. Sit ergo primum argumentum vulgare illud, quod ex Regum historia sumitur vbi Dauid Deum consulit *si tradent me viri Ceilæ & viros qui sunt mecum in manus Saul: & dixit Dominus, tradent.* Est autem interrogatio illa & responsio de futuro conditionatè libero, quod reuera non accidit, sed accidisset tamen si Dauid expectasset in Ceila Saülis aduentum. Vnde sequitur habere Deum scientiam futuri conditionati liberi.

§. I.

TVissius agnoscit decreta conditionata vel inuitus.

cap. 27. p. 268. ARgumentum soluit Aduersarius lib. 1. & ex eius solutione in primis hoc liquet, certò cognitam fuisse Deo conditionalem illam, ita enim loquitur. Nos verò damus Deum hoc futurum esse sciuisse, nempe traditum iri Dauidem in manus Saul si mansisset in Ceila Dauid, & Saul descendisset. Item. Nemo quod sciam hoc negat aut dubitat, quin si Saul descendisset & Dauid in vrbe Ceilæ

Et certò & conditionatè tantùm futura cōceditur traditio

permansisset, Ceilitæ tradituri fuissent Dauidem in manus Saul. Et ideò ijs qui causabantur tribui Deo coniecturalem tantùm cognitionem, si exponeretur prophetia illa de dispositione causarum ex quaconijci potest sequuturus effectus; ita respondet. *Nos Deo nullam cognitionem tribuimus quæ non sit certa atque infallibilis: quare neque nos, neque Dominicanos ferit ista refutatio; viderint potiùs hac de re Iesuitæ.* „ Ceilitarum. „ Ib. p. 170.

Secundò liquet etiam huius certitudinis causam refundi ab hoc Auctore in diuinum decretum, vt verum sit, ideo sciuisse Deum id esse futurū, quia vt esset decreuerat. Patet hoc ex citato loco dum ait. At nos minimè diximus Deum futura ista conditionata prænoscere solùm considerata dispositione causarum secundarum; sed simul in considerationem venire decretum Dei, de causis secundis omnibus ad agendum ciendis congruenter naturis ipsarum. Et in vniuersum de quâlibet propositione conditionatâ sic censet. *Sed & nos, vti tam dictum est, determinari posse iudicamus extrinsecè conditionales istas per voluntatem & decretum Dei. Seclusâ verò diuinæ voluntatis determinatione iam sæpius demonstraui non esse veritatis determinatæ.* Et iterum. *Nos autem huiusmodi propositiones iuxta hunc sensum explicatas veras esse prorsus negamus, seclusâ de horum membrorum connexione voluntatis diuinæ determinatione.* Et hactenus quidem intelligendum se præstat Aduersarius: sed quæ restant inclusit labyrintho, vbi tenebris & erroribus omnia confusa. Certitudo illa ex Dei decreto dicitur petenda. l. 3 p. 455. pag 456. ib.

Nam cum dicat, quod est conditionatè futurum, Dei decreto futurum fieri, nihil propius erat quam vt inferremus admittere hominem hunc in Deo decreta conditionata ratione obiecti, quamuis ea existant absolutè: quemadmodum conditionata dicitur illa scientia cuius quidem existentia minime suspensa est, sed quæ fertur in obiectum ex conditione suspensum: ea, inquam, proportio quæ debet esse inter tale decretum & talem scientiam in eam nos cogitationem impellebat, adiuuante TVissio ipso qui sic loquitur, *secluso autem istiusmodi decreto* (quod Suares supponebat esse conditionatum ex parte obiecti) *libenter fateor non posse Deum habere scientiam conditionalium.* Et supe- l. 3. c 7. p. 473.

l. 2 digr. 5. pag. 268. riùs, *verissimum est nullam Dei voluntatem esse conditionatam; sed omnem esse absolutam quoad actum volendi; licet quoad res volitas dici & possit & debeat esse conditionata. Quod & alijs demonstrationibus nihilo minus illustribus quam quibus vsus est Brauardinus, ad liquidum conuinci potest*; verùm ab illâ cogitatione reuocat uos idem qui prius induxerat TVissius, dum sic monet. Decretum Dei absolutum & simpliciter, constituit in genere futuri simpliciter quotquot simpliciter fieri decreuit. Quatenus verò quidquid fieri, quantumcumque simpliciter decreuit per causas secundas, non nisi congruenter causis ipsis fieri decreuit: hinc oritur denominatio futurorum quorumdam conditionatorum: qualia scilicet futura essent si modò sic comparata essent causæ secundæ vt naturis ipsarum congruenter agendo non nisi ad talia peragenda causas cieret efficaciter & moueret: VT NVLLVM OMNINO SIT APVD DEVM DECRETVM CONDITIONATVM. Et lib. 3. Cum Suarem attulisset eorum sententiam referentem qui volunt Deum cognoscere futura conditionata in decreto suæ voluntatis *includente eandem conditionem in obiecto*: hoc est, in decreto conditionato ex parte obiecti; sic excipit. *Ego verò* DECRETVM CONDITIONATVM AGNOSCO NVLLVM, *ne de consequentijs quidem necessarijs, quales sunt huiusmodi: si plures crederent, plures salutem consequuturi essent*. Addit enuntiationes conditionatas nasci ex decreto absoluto, & mox. Quia fieri non potest vt Deus aliquid faciat frustra; si plures Angelos condidisset, certè decreuisset vt etiam illi agerent aliquid in gloriam Dei: nec tamen decretum aliquod huiusmodi decenter Deo tribui potest, quasi constituisset, quod si Angeli aliqui conderentur illi agerent aliquid in gloriam Dei. Et Paulo ante. *Si fingatur huiusmodi decretum* Petrum peccaturum si in tali occasione constituatur (*cuius generis decreta Deo tribuenda esse nondum dixi*) *sin, inquam, fingatur tale decretum, vera erit ista hypothetica*, si Petrus creetur in tali occasione peccabit.

(Margin: l. 1. p 178 cap. 7. p. 472. — pag. 461)

XXIII. Hic iam videas, Lector, quid huic homini rationis sit, & tria hæc pronuntiata confer.

1. *Scit Deus certò futuram conditionatè traditionem Dauidis*

in manus Saul, si Dauid in Ceila maneat.

2. *Nullum Dei decretum conditionatum agnoscendum est.*

3. *Secluso istius modi decreto, libenter fateor non posse Deum habere scientiam conditionalium.*

Iterum hæc duo confer.

1. *Enuntiationes conditionatas nasci ex decreto absoluto*, Quod significat decretum absolutum ad earum veritatem sufficere.

2. Quod proximè positum est, *secluso istiusmodi decreto*, de quo Suares loquebatur & quod tendere supponebat in obiecta conditionata, *libenter fateor Deum non habere scientiam conditionalium.* Denique hæc etiam duo vide qui fieri possit vt conueniant.

1. *Voluntas Dei quoad res volitas dici & solet & debet esse conditionata*, id quod putat à se conuinci demonstrationibus.

2. *Nullum omnino est apud Deum decretum conditionatum. Ego decretum Dei conditionatum agnosco nullum, huius generis decreta Deo tribuenda nondum didici.*

XXIV. Tertiò, sed quamuis secum ipse pugnet suaque destruat, dari tamen in Deo decreta ex parte actus absoluta, ex parte obiecti conditionata, iuxta ipsius principia, nec viuus nec mortuus effugiet quin concedat. Sic enim argumentor 1. Voluntas Dei non potest esse per se causa cur aliquid sit futurum, nisi tendat in illud tanquam in effectum suum, vt est notum ex terminis: Atqui est causa per se & sola cur futura sit traditio Dauidis in manus Saül, ex te ipso: Ergo tendit in illam traditionem tanquam in effectum suum. Rursus, vt voluntas diuina tendat in aliquid tanquam in effectum suum, debet in illud tendere tanquam in obiectum (nisi fortè priuilegium est Leouardiensis Theologiæ, vt externum aliquem effectum diuinæ voluntati per se tribuat, qui non sit eius obiectum, sitque productus ab ea, nec tamen volitus) Atqui diuina voluntas tendit in traditionem Dauidis tanquam in effectum suum: Ergo tendit in illam tanquam in obiectum. Denique voluntas quæ tendit in obiectum conditionatè tantùm futurum, est voluntas ex parte obiecti.

Decretum illud esse conditionatum ex parte obiecti probatur argumentis.

conditionata, quantumuis absoluta sit ex parte actus per ipsum Aduersarium: Atqui talis est voluntas Dei quæ versatur circa traditionem Dauidis: Ergo illa est, prædicto modo conditionata: & si dicatur decretum, debet dici decretum conditionatum, perinde atque scientia ipsa de tali obiecto conditinata dicitur.

l.1.pag.168 XXV. 2. Decretum quod præmittit Aduersarius huic scientiæ Dei de futura Dauidis traditione, est *decretum mouendi Ceilitas ad agendum iuxta dispositionem suam in traditione Dauidis*. Ita enim loquitur ipse: Ergo expressè tendit hoc decretum in traditionem Dauidis vt terminum ad quem erant mouendi Ceilitæ à Deo: Atqui & illa motio & illa traditio fuit tantùm conditionatè futura: Ergo quod exprimit diuinum decretum est tantùm conditionatè futurum: Ergo est volitio conditionata sicuti & l.3 pag.456 scientia. Et hoc ipsum confirmat, dum postulat *vt diuina determinatio* quam requirit ad conditionalium veritatem, *sit de connexione consequentis cum antecedente*. Illa enim connexio non est nisi conditionatè futura: Ergo requirit vt diuina determinatio sit de re tantùm conditionatè futura: atque adeo vt sit ipsa conditionata.

Suprà ex l.3.p.471. XXVI. 3. Quomodo vis, Guillelme, nasci ex decreto absoluto *enuntiationes conditionatè veras*? Per necessariam inquis sequelam. At sequela illa quæ te non fugit, an fugiet Deum? Quòd si præcognoscit Deus dum aliquid absolutè decernit quidquid ex tali decreto sequuturum est, quare negas ita comprehendere illud volitione, quemadmodum cognitione comprehendit, censesque implicitam esse volitionem eius cuius explicita cognitio est? *vult*, inquis *Deus mouere Ceilitas secundùm eorum dispositionem*: benè habet. Et quia si Dauid apud illos maneat accedente Saüle, dispositi erunt ad traditionem, inde sequitur conditionalis ista vera, *mouendos ad traditionem, atque adeo tradituros, si Dauid apud illos maneat*. At, sequîtur ne conditionalis illa citra expressam Dei præcognitionem? quare igitur sequi putas citra expressam Dei volitionem? Cùm, inquam, motio ex hypothesi futura non magis dedeceat diuinam voluntatem, quàm motitio ab-

ſolutè futura; quare ſicut extenditur diuina præcognitio ad illam motionem, non extenditur ad eandem diuina volitio? An non decet Deum tam perfectè velle quæ vult; quam cognoſcere quæ cognoſcit? Quare igitur vis vt confusè tantùm velit, quæ cognoſcit diſtinctiſſimè?

XXVII. 4. Sed vt video cum Brachmanis hoc habes commune, vt Deum pingas tuis coloribus. Nos qui homines ſumus intelligentiæ finitæ ac modicæ, diſtinctis actibus attingimus vniuerſa & ſingula: nec cùm volumus v.c. eleemoſynam dare omnibus pauperibus, cenſemur adhuc Lazarum expreſſiſſe. Hunc ipſe næuum affingis Deo, cum negas euentus particulares vniuerſali eius decreto expreſſos eſſe. Verùm exuendæ ſunt ſpecies Anthropomorphitarum, & cogitandum Deo idem eſſe homines concipere; ac concipere hos & illos diſtinctiſſimè, atque adeo Ceilitas: & concipere, futuram hominum diſpoſitionem idem eſſe, ac concipere hanc & illam, atque adeo quàm Ceilitæ habituri erant: & concipere motionem idem eſſe ac concipere motionem ad hunc & illum animi affectum, atque adeo ad traditionem Dauidis. Noſtrum quidem eſt ex vno aliud colligere, & ex communi deducere particulare: ſed quidquid nobis eſt conſequens, Deo eſt antecedens: & quæ ipſi per ſequelas deducimus, primâ Dei propoſitione continentur expreſſa. Expreſſerit ergo decretum Dei tum Ceilitas, tum futuram eorum diſpoſitionem, tum motionem diſpoſitioni congruam: & quia fieri aliter non poteſt, hac expreſſione ſuppoſitâ fuerit ex eâ parte formaliſſimè *decretum conditionatum* ratione obiecti. Sed vt opinor non ad hoc acceperas annuam penſionem ab Ordinibus Friſiæ vt hæc ſcires.

XXVIII. 5. Cum ex motione ſuâ intelligat Deus Dauidem à Ceilitis certò tradendum, motionem verò ipſam ex decreto mouendi accommodato futuræ illorum diſpoſitioni, vt tu quidem putas; futuram diſpoſitionem illam vnde intelligit? Iterum, inquies, ex decreto abſoluto quo ſtatuit vt pro ratione cauſarum concurrentium & varietate circunſtantiarum atque obiectorum, variæ ab

hominibus dispositiones susciperentur. Atqui nullum est in vniuersum huiusmodi decretum: quod probo ex tua doctrina, cum dicis *Penes Deum esse*, præter illum causarum & obiectorum concursum, *vel vertigine percutere: vel*
§ 1.pag.174 *saniora & nunquam antea cogitata consilia suggerere: vel diabolicis illusionibus prostituere: vel à diabolicis præstigijs immunes custodire, etiam facie rerum externarum subito mutatâ, nouorum consiliorum concipiendorum materiam suppeditare.* Non potest igitur reduci futura illa dispositio in commune quoddam atque absolutum decretum. Ergo necessarium est vt sit decretum particulare, quo statuerit Deus vel inducere dispositionem præter ordinem causarum & circunstantiarum, si eam illæ non ferebant: vel si ferebant, nihil immutare aut impedire, sed potiùs concurrere. Elige autem vtrum mauis. Nam primum decretum ita necessariò concipiendum erit. *volo vt si Dauid apud Ceilitas maneat, Ceilitæ sint dispositi ad traditionem, quamuis aliud rerum status postulet.* Secundum verò in hunc modum, *Volo vt si Dauid apud Ceilitas maneat causæ naturales & circumstantiæ suum cursum teneant, habeantque proprium in disponendis eorum animis effectum*, Atqui vtrumque hoc decretum proprijssimè conditionatum est: Ergo velis nolis admittere debes decretum proprijssimè conditionatum.

XXIX. 6. Denique dum asseris Deum absoluto decreto velle homines mouere secundum ipsorum dispositionem, interrogo quam dispositionem intelligas? an futuram absolutè tantùm vt sensus sit, *mouendo tantùm secundùm dispositionem quam habebunt?* An etiam futuram conditionatè; vt sensus sit, *mouendos secundùm dispositionem quam vel habebunt vel haberent si quid aliud contingeret?* Si primum, nihil inde sequitur de futurâ Ceilitarum traditione; quia eorum dispositio ad tradendum Dauidem nulla fuit absolute: nec fuit absolutè futura. Quandiu enim Dauid apud eos mansit, erant erga illum benè animati, tum recenti beneficio liberationis à Philistæis, tum cognationis officio, quippe qui contribules essent. Et hoc fateris etiam ipse cum dicis *habitualem dispositionem Ceilitarum erga Dauidem non possum suspicari fuisse inimicam,*

præsertim cùm vrbs illa sita esset in tribu Iuda: & illam insignibus officijs Dauid nuper sibi demeruisset. Vis ergo fuisse mutandam illam dispositionem si Saül accessisset. Quod si Dei decretum hoc supponit, quod erat secundum; non vides ita esse concipiendum vt sit conditionatum; cum nihil aliud esse possit, *volo mouere homines iuxta dispositionem quam haberent*, quàm, *volo vt si aliter sint dispositi, aliter sint mouendi.* 1 1.pag 171

§. II.

Decreta de liberis actibus conditionatè futuris. Repugnare SS. Patrum doctrinæ.

XXX. MIRABITVR fortè aliquis cur TV illius caligauerit in illâ luce: neque hoc admiserit quod tam euidenter sequebatur ex datis & concessis ab eo, quodque illi quorum partes sequitur vltrò fatentur: cùm dicunt, scientiam conditionatam supponere decretum pariter conditionatum, ideoque non esse scientiam mediam, quod hæc tali decreto vt eius vtar verbo, *præcedanea* fingatur. Ego verò prouidentiam in eo aliquam huius senis agnosco. Vidit enim, si hoc concederetur, clausum esse aditum ad scientiam mediam nouitatis accusandam. Quis enim accusare iure possit, qui eam negare non potest, nisi sententiâ inductâ peræque aut magis nouâ?

Age, inquam, proponitur nobis hic locus ex scriptura, *si tradent me viri Ceilæ in manus Saül: & respondit Dominus tradent,* ita interpretaris ipse, vt decretum supponatur & voluntas Dei exprimenda his aut similibus verbis, *Volo vt si maneat Dauid in Ceilà, tradant eum Ceilitæ in manus Saül*: atque ita voluntatem fingis scientiâ illâ priorem. Ego scientiam defendo priorem voluntate. Obijcis mihi nouitatem sententiæ meæ; Ostende antiquitatem tuæ. Quis ante Molinam, inquis, agnouit scientiam illam in Deo voluntati diuinæ præuiam? Sed quis etiam ante Molinæ suppares, agnouit in Deo præuiam illam diuinæ scientiæ

Retorquetur argumentum de nouitate scientiæ mediæ.

voluntatem? Nupera est, inquiunt, cognitio futuri conditionati. Volitio futuri conditionati quàm antiqua est? Posses indicare quâ Olympiade primùm apparuerit? Nonne iniquissima est illa vexatio, idipsum accusare quod ipse pecces, aliosque ad eam exigere regulam quam tute confregeris?

XXXI. Quanquam neque hoc ego tibi do, nos in ea causa pares esse: quippe cum meam ipse sententiam in scripturâ simpliciter legam, re nullâ vel additâ vel detractâ. Vide enim an non germana sit ista ratiocinatio & sponte fluens? Vnum tantùm beneficium à te peto: ne de Deo benedicto tam malè sentias, vt nescire putes quid dicat. Gratiam hanc si concedere mihi potes, vel saltem Deo, sic argumentor, Scit Deus quod dicit: Atqui dicit, si Dauid in Ceila maneat, tradendum in manus Saül: Ergo hoc scit. Maiorem tuæ liberalitati acceptam refero; minor ipsa est scriptura sacra; consequentiam sibi vendicat Aristoteles & omne animal rationale; conclusio ipsissima est scientia conditionata sine decreto præuio.

Tu quid facies vt inibi legas scientiam conditionatam ex decreto sequacem. Ita nimirum argumentabere. *Quidquid futurum dicit Deus, hoc futurum prædefiniuit: Atqui futurum dicit, vt si Dauid in Ceilâ maneat tradatur in manus Saul: Ergo prædefiniuit vt si maneat tradatur.*

Non esse prædefinitum quidquid à Deo Scitur esse futurum probatur ex Scriptura & Patribus.

Maiorem propositionem quo iure vsurpas? Scriptura illius tibi copiam facit? Nempe omnibus ijs locis quæ significant futura hominum peccata non esse diuinæ voluntatis, quæ tamen sunt diuinæ prædictionis atque præscientiæ. Patres igitur? Iustinus videlicet, qui dum fidei Christianæ rationem reddit Imperatori; *fatum* admittit & quidem *ineluctabile, quo præmia & pœnæ eorum qui benè aut malè vixerunt determinentur*; negat autem *quo sit destinatum quempiam esse bonum aut malum.* Quod perinde est atque admittere voluntatem prædefinientem præmium & pœnam præscitæ virtutis & vitij; negare verò ipsam virtutem aut vitium prædefinientem, cum tamen eorum non negetur præscientia.

Iust. Apol. 2. ad Anton. num. Pium.

Athenagoras, qui negat in Legatione ad Imperatorem *esse Dei mouere ad ea quæ sunt præter naturam*, & consequenter ea decernere, cùm tamen eius sit ea præscire? Athen.

Minutius Felix in Octauio, qui cum Iustino fatum etiam admittit posterius præscientiâ meritorum? *Quid est*, inquit, *fatum quam quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est? qui cum possit præscire materiam, promeritis & qualitalibus singulorum etiam fata determinat.* Non ergo fata ista seu determinationes, hoc est prædefinitiones præscientiam præcedunt. Minutius.

Tatianus, qui cum fateatur, in Oratione ad Græcos, præsciuisse Verbum quæ ventura essent; negat tamen ea præsciuisse *ex fato*: aut aliter *quam ex libero eligentium proposito*: & consequenter non ex decreto? Tatian. Arnob l. 1.

Arnobius, qui *sceleratam atque immanem* vocat eam persuasionem, qua putat aliquis *ipsos actus quibus vita transigitur & celebratur humana ordinasse iussisse, & à suâ fluere constitutione præcepisse?* An igitur illos actus ideò præscit Deus, quia prædefiniuit?

Origenes, qui perpetuam affert causam cur diuina præscientia libertati non noceat, *quia non ideò liberi actus futuri sunt quia præsciuntur: sed ideo præsciuntur quia futuri sunt?* Quæ ratio ridicula sit, si sunt ideo futuri liberi actus quia prædefiniuntur? Quid quod Celso disertè negat [a] *dispensari omnia per Dei voluntatem; & mala procedere à diuina prouidentiâ?* Num concedet procedere à diuina prædefinitione? Orig. l. 2. contra Celsum. a l. 7.

[b] Eusebius Cæsariensis, [c] Chrysostomus, [d] Epiphanius, [e] Damascenus qui eadem cum Origine & dicunt & sentiunt? b de præp. l. 6. c. 9. c Hom. 27. in 1. ad Cor. d l. 1. aduersus hæres. 38. e dial. aduersus Manichæos.

Theodoretus, qui cum Platone *modis omnibus pugnandum censet: ne Deus qui bonus est, dicatur esse malorum causa?* Qui *negat ideo producta esse mala vt ad bonum seruiant; sed quandocumque fieri ea contingit; vti Deum illis ad bonum?* An est admissurus Deum ea prædefinientem quæ mala sunt, cum tamen admittant præscientem? Theod. l. 5.

§. III.

Etiam Augustino decreta illa repugnare.

XXXIII. SEd hæc fortasse inanis videatur esse contentio si TVissium solum spectemus, qui fatetur vltrò Patres ita sensisse vt ipsi volumus, *omniaque à Deo præsciri facilè concessisse; non autem omnia decerni: Augustinum etiam antequam illum acueret hæresis pelagiana.* Augustinum igitur scrutemur, cuius est ea vox in primis. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo: & ideo non scriptum est, quia verum non est.* An negat à Deo cognosci voluntatem quam à Deo esse negat? & tamen in eo libro iam acuebatur in Pelagianos. Acuebatur & in Ep. ad Honoratum, dum dicit *Deum prædicere peccata hominum, non facere.* Et nequis putet quoquo modo pertinere peccata ad Dei voluntatem, id excludit omnino dum negat, vel ad minantem pertinere, vel ad promittentem. *Quamuis*, inquit, *mala inferat; mala, non peccata, sed supplicia; minatur tamen ea potiùs quàm promittit. Omnia largitur & præscit: Supplicia minatur: beneficia pollicetur.* Nec hebes erat illius acies in libris de Ciuitate Dei; in quibus mirum est quam multa occurrant quæ ostendunt non prædefiniri à Deo quæcumque præsciuntur. Producam de multis pauca.

Lib. 1 cap. 16. pag. 163.

de spiritu & lit. c. 31.

Ep. 110. cap 19.

L. 5. cap. 9.

Sicut omnium naturarum Creator est Deus, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt: quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. Quomodo non ab illo sunt malæ voluntates, si prædefiniuit vt essent? Atqui sunt tamen præscitæ.

L. 11. cap. 17. Eòdem spectat & hoc aliud. *Sicut Deus naturarum bonarum optimus Creator est; ita malarum voluntatum iustissimus ordinator, vt cum malè illæ vtuntur naturis bonis, ipse benè vtatur etiam voluntatibus malis.* Malarum voluntatum ordinatio procul distat à prædefinitione, quæ ipsas præuenit, cum ordinatio malas supponat, & malè vtentes naturis bonis, vt hoc loco dicit Augustinus, & apertius explicat in commentario Psalmorum, vbi de hæreticorum excæ-

Psal. 7.

catione in scripturis interpretandis, quæ nonnisi diuinâ prouidentiâ disponente illis contingit, *Non quia ipsa*, inquit, *peccatores facit*; *sed quia ipsa ordinat cùm peccauerint.* Est igitur etiam hîc præscientia sine prædefinitione.

Decisiuum hoc quoque *Neque ideo peccat*, homo, *quia Deus illum peccaturum præsciuit: immò ideo non dubitatur ipsum peccare cùm peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest*, NON FATVM, NON FORTVNAM, NON ALIQVID ALIVD *sed illum peccaturum esse præsciuit.* Non præsciuit Deus *aliquid aliud*, si prædefinitio fuit illi ratio præsciendi peccatum futurum? 5. de ciu. cap. 10.

Et hoc etiam: *Anima non deserta est vt desereret; sed vt deseretur deseruit. Ad malum quippe eius, prior est voluntas eius: ad bonum verò eius, prior voluntas creatoris eius; siue vt eam faceret, quæ nulla erat: siue vt reficeret, quæ lapsa perierat.* Si fuit prædefinitio actus mali cuius fuit præscientia, euidentissimum est, & desertam fuisse voluntatem priusquàm ipsa desereret: & ipsam non esse ad malum priorem, cùm supponat prædefinitionem, quæ voluntas quædam Dei est. Ib l.13.cap. 15.

Neque illud omittendum, *Bona voluntas opus Dei, cum eà quippe ab illo factus est homo: mala verò voluntas prima, quoniam omnia mala opera præcesserit in homine, defectus potiùs quidam fuit ab opere Dei ad sua opera, quàm opus vllum.* Quo sensu neget Augustinus malam voluntatem esse opus Dei, colligi potest ex libro de prædestinatione Sanctorum, cùm dicit. Quando promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium.... Non de nostræ voluntatis potestate; sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat; non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum: IPSE FACIT VT IPSI FACIANT quæ præcipit: non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit. Quo ex loco manifectum est hoc censeri *opus Dei*, quod Deus *facit vt homines faciant*: & proinde quod prædefinit, & ad quod mouet: vt sit idem negare primam voluntatem malam *esse opus Dei*; ac negare prædefinitam esse, ac Dei motione excitatam, cum tamen constet esse præscitam. l 14. cap. 11. Cap. 10.

Quod etiam regerit in Porphyrium, qui dicebat Chri-

ſtum Chriſtianos erroribus fataliter implicuiſſe, tantumdem hîc valet contra Prædefinientes actûs malos. *Si fataliter*, inquit, *dedit Deus Christianis erroris implicationem, vtrùm volens an nolens dedit? Si volens; quomodo iuſtus? Si nolens, quomodo beatus?* Dicam ſimiliter, Si Deus prædefinit actus qui ſciuntur eſſe non poſſe niſi mali, vel volens prædefinit, vel nolens; ſi volens, quomodo iuſtus? Si nolens, quomodo beatus & omnipotens? Stet igitur non omnium eſſe prædefinitionem quorum eſt præſcientia, ſi creditur Auguſtino.

Cap. 10. Et ne ſit vllus eâ de re locus dubitandi, apertiſſima eſt illius ſententia in libro de prædeſt. SS. quæ ſic habet. *Prædeſtinatio eſt quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit quæ fuerat ipſe facturus: vnde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt; præſcire autem poteſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.*

11 pag. 191 Prædefinitos à Deo non tamen prædeſtinatos malos actus oſtendit TViſſius.

XXXIII. Sed reſpondet TViſſius negare quidem Auguſtinum aliquorum actuum prædeſtinationem; non autem » prædefinitionem. Ita enim loquitur. Licet ſcientia excedat prædeſtinationem modo prædicto; tamen hinc nequaquam ſequitur eam excedere quodcumque Dei decretum, quaſi in nullo Dei decreto fundaretur. Neque » dicit Thomas, aut Auguſtinus, aut Damaſcenus actus liberos voluntatis creatæ non eſſe à Deo prædefinitos, ſed » quod ex parte pronuntiant, illud de prædeſtinatione » pronuntiant: idque propriè & ſtrictè procedente vocis » huius ſignificatione ſecundùm Aquinatem: non autem de » prædefinitione.

Sed ſecum pugnat. ib. pag. 130.

Opponam primò TViſſium TViſſio, vt videat Lector *labantem hominis memoriam & animum ſtupeſcentem.* Paulò ante propoſuit ſibi Pennoti obiectionem, quæ ſic habet, *Tertiò probari poteſt hæc propoſitio innumeris auctoritatibus Patrum dicentium Deum multa præſcire quæ non prædefinit nec prædeſtinat: nihil autem prædefinire aut prædeſtinare quod non præſcierit.* Ad hæc TViſſius, *Agnoſco*, inquit, *ita eſſe.* Nunc *agnoſcit*, ex vſu Patrum aliqua præſciri quæ *neque prædeſtinantur neque prædefiniuntur*: nunc præſciri quidem

aliqua quæ *non prædestinantur: nulla vero quæ non prædefinian-tur.* Sed est in quo magis appareant huius Senis deliramenta, dum ita loquitur. Quid aliud est ad vitam prædestinari, quàm ab æterno destinari ad vitam iuxta phrasiologiam antiquorum? Et prædestinationem agnouerunt illi, non modò ad vitam æternam; sed & ad mortem æternam. Agnosco ita veteres distinxisse inter præscientiam & prædestinationem vt omnia à Deo præsciri dicerent, etiam mala, non autem prædestinari, Hinc etiam inualuisse fateor vt in Scholis præsciti vulgarirer vsurparentur pro reprobatis. Nimirum cùm nomina sint ab instituto, voluerunt illi prædestinationem ad ea tantùm extendere quæ aliquando facturus erat ipse Deus, non autem ad ea quæ permissurus. Agnoscit ex Patrum sententia prædestinationem non modo ad vitam æternam, sed etiam *ad mortem æternam*, ac proinde ad reprobos pertinere; & simul agnoscit, ex eo quod Patres latiùs extenderent nomen *præscientiæ* quàm nomen *prædestinationis*, factum esse vt reprobi, ad quos scilicet prædestinatio non extendebatur sicuti præscientià, dicerentur vulgariter *præsciti.* Ego cum hæc legerem existimabam vel Librariorum, vel Typographorum vitio locum esse corruptum: sed quando constat probè recognitam esse ab Auctore paginam hanc: atque in eâ nescio quid aliud leuiculum admodum emendatum; restat vt dicam consuetas esse has *ingenij fatiscentis* rimas. Præsertim cùm alio ipse loco, quasi vellet morem illum modumque loquendi Patrum Antiquorum castigare, rotundè pronunciet. *Esse de fide certum, quæcumque eueniunt ea à Deo prædestinata fuisse vt eueniant:* & constat mala etiam illum inuoluere. Et iterùm, *dicimus, & verè, destinatos esse damnationi non paucos antequam nascantur,* Quasi vellet esse de fide certum, Augustinum esse mentitum, dum aliqua negat esse prædestinata quæ tamen eueniunt.

l. 1 c. 22. pag. 136.

l. 3. pag. 405

Secundò. Cùm secluso Patrum vsu *prædestinari & prædefiniri*, aliquid idem sit: euidens est non posse nos cum ratione asserere Augustinum contractiùs vsurpasse nomen prædestinationis quàm prædefinitionis, nisi constet

Confutatur prædicta distinctio inter prædefinitio-

nem, & prædestinationem. Ex Augustino.

apud illum negari quorundam prædestinationem, quorum tamen asseratur prædefinitio: Atqui ne apex quidem extat apud Augustinum, vnde colligatur permittere illum vt prædefinita dicantur quæ non possunt dici prædestinata. Quod confirmatur vel ex eo ipso loco quem TVissius subinde regerit ad hoc probandum. *Non aliquid fit nisi omnipotens fieri velit: vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo*; quòd apertum sit, dici non posse nisi omni exuto pudore assumptâque inscitiæ professione, voluntatem *sinendi* vt aliquid fiat, esse illius prædefinitionem.

loc. cit. de prædest. SS. c. 10.

XXXV. Tertiò. Constat Augustinum extendere prædestinationis vocem ad ea omnia quæ Deus ipse facturus est. Ita enim ipse loquitur *prædestinatione quippe Deus ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus, præscire autem potest, etiam quæ ipse non facit*: Ergo vt sit amplior acceptio prædefinitionis, complecti debet etiam ea quæ Deus *non est ipse facturus*. Iterum constat ex eodem Augustino, inter ea quę dicitur *Deus ipse facturus*, comprehendi quæ homines quoque faciunt, si Deus facit vt illi faciant. Hæc enim sunt eius verba. *Promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcipit: non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit.* Ergo si sunt aliqua non prædestinata, & tamen prædefinita, debent illa ita fieri ab hominibus, vt Deus non possit dici *facere vt illi faciant*. Hoc autem implicat. Quid enim est aliud prædefinire aliquid, quàm antecedenter atque efficaciter velle vt illud fiat; ac proinde illius causas præuenire *faciendo vt faciant*? Est igitur manifestum apud Augustinum ista coincidere, & errore gratuito ac voluntario spatiari, qui contendunt prædefinita esse quæ prædestinata negantur.

» Eòdem hæc alia verba pertinent, Non autem sic cre-
» didit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo, quo-
» niam qui promisit potens est & facere: non ait prædice-
» re; non ait prescire (Nam & aliena facta potest prædice-
» re atque præscire) sed ait potens est & facere: ac per hoc
» non aliena facta: sed sua. Quæ sunt amabo aliena illa facta,

quæ

quæ & præsciuntur & prædicuntur? An sunt prædefinita? Si non sunt; ergo datur aliquid & præscitum & non prædefinitum: si sunt, quomodo aliena dicuntur? Prædefinitio an est minùs actio Dei quàm prædestinatio? An minùs antecedens? An minùs efficax? Quod ergo ex illâ sequitur, quare non dicetur *factum Dei*, perinde atque id quod sequitur ex prædestinatione?

XXXVI. Quartò, Confirmatur hoc ipsum vel ex illo D. Thomæ loco ex quo TVissius auctoritatem furari conatus est. Cum enim etiam D. Thomas neget prædestinata esse quæcumque sunt præscita: ideoque distinguat propheriam prædestinationis à prophetia præscientiæ, quâ prædicuntur ea in quibus præscientia prædestinationem excedit; distinctionis illius causam affert ex Damasceno, *Quia ea quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis, vnde & prædestinatio quasi quædam Dei præparatio dicitur, hoc autem aliquis præparat quod facturus est ipse, non quod alius.* Ex quo loco in primis hoc liquet, illius restrictionis quâ prædestinatio angustiùs patet quàm præsciẽtia, non peti rationem ex peculiari Patrum vsu; sed ex communi vocum ipsarum institutione atque acceptione, dum dicit, *vnde & prædestinatio quasi quædam Dei præparatio dicitur. Hoc autem aliquis præparat, &c.* Deinde liquet eandem rationem prædestinationi ac prædefinitioni communem esse: neque vnam magis excedi à præscientiâ quàm aliam. Quid enim rationis habet hæc oratio, *ea quæ Deus prædestinat non sunt in nobis*, magis quàm ista, *ea quæ Deus prædefinit non sunt in nobis?* Et ista, *Prædestinatio quasi quædam præparatio Dei dicitur*, magis quàm ista, *Prædefinitio quasi quædam præparatio dicitur?* Item ista, *Hoc aliquis prædestinat quod facturus est ipse, non quod alius?* magis quàm ista, *Hoc aliquis prædefinit quod facturus est ipse, non quod alius?* Quis non videt substitutâ in locum *prædestinationis*, *prædefinitione*, eandem omnino esse vim orationis neruumque sententiæ? Quâ ergo verisimilitudine dicetur vnam excedi à præscientia Dei, non autem aliam?

Item ex S. Thoma. S. Th. de veritate q. 12 ar. 10. in corp.

XXXVII. Quintò, vt planum fiat non esse hanc tantùm nominis quæstionem; & Augustinum non negare solam

tùm ordinator: Aliquam, quæ ideo imputatur ad culpam, quia cùm futura præsciretur, nihil aliud præsciebatur quàm ipsam esse futuram: Aliquam, quâ non sit prior Dei voluntas: Aliquam quæ non sit opus Dei. Quis enim possit adeo cæcutire, vt hæc & alia id genus pati credat æternam ac prædefinientem Dei voluntatem circa malos hominum actus; vt ideo putet non negari antecedenter decerni, dum negantur prædestinari?

§. IV.

Patres Augustino posteriores independentem à prædefinitionibus præscientiam agnouisse.

XL. SED quæ fuerit Augustini mens requirendum est ex Prospero Aquitanico, & Fulgentio Affricano: quorum ille in vltimos incidit Augustini annos: hic proximè subsecutus est: vtrique autem illius & nomen & doctrinam strenuè propugnarunt continuato in Pelagianos eorumque reliquias bello.

Non prædestinantur quæcumque præsciûtur apud Prosperum. Resp. 15. Sent. 15

Ergo Prosper id ipsum quod Augustinus affirmat multis locis, esse nimirum aliqua præscita, neque tamen à Deo prædestinata. Id enim habet in responsionibus ad „ capitula Gallorum dum ita loquitur. Potest itaque sine „ prædestinatione esse præscientia; prædestinatio autem si„ne præscientia esse non potest. Et iterùm. In malis operi„ bus nostris sola præscientia Dei intelligenda est: quia si„ cut præsciuit & prædestinauit quæ ipse facit & vt facere„ mus dedit; ita præsciuit tantùm, non etiam prædestina„ uit, quæ nec ipse fecit: nec vt faceremus exegit.

Ib. Resp 14 sent. 6. & Resp 10. ad obiect. Vincent.

Hinc etiam illud *Prædestinatio Dei semper in bono est*: & *Prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustiam est.*

Prosper inter prædefinitionem & prædestinationem

Iam videndum vtrum ita inter prædestinationem & prædefinitionem distinguat, vt quod negat prædestinationi, concedat tamen prædefinitioni. Et occurrit in primis quod iam retulimus, in malis operibus nostris *solam*

præſcientiam ideo eſſe intelligendam, quia in illis intelligi non poteſt prædeſtinatio; quam dico ineptam eſſe ſententiam, ſi prædeſtinatio non complectitur omnem voluntatem antecedentem & abſolutam, atque adeo prædefinitionem. Cùm niſi hoc detur, manifeſtum ſit ſecluſa prædeſtinatione non ſequi quod Proſper aſſumit, reſtare *ſolam præſcientiam* circa mala opera; cùm poſſit adhuc reſtare prædefinitio. ſtinationem non diſtinguit.

2. Iuuat enim quod eſt in reſp. 12. ad capitula Gallorum, „ Si Deus hominem ſibi obedientem à pietate deturbat, & „ benè currentem cadere facit; ergo pro bonis mala retri- „ buit: & iniuſtè punit, quod vt fiat impellit. Quid tam „ peruerſum, quid tam inſanum dici aut cogitari poteſt? „ Sed in talem ſenſum trahuntur qui putant in omnibus hoc „ eſſe præſcientiam Dei, quod & voluntatem: cum volun- „ tas eius numquam velit niſi bona; præſcientia autem, „ &c. En tibi quæ ſit illa prædeſtinatio quam Proſper ne- „ gat adæquari præſcientiæ: nempe illa *voluntas* Dei eſt, quæ nunquam fertur niſi in bona: vt idem ſit Proſpero *Dei prædeſtinationem ſemper in bono eſſe:* aut *nunquam extra bonitatem eſſe:* ac, *Dei voluntatem ſemper in bono eſſe, nunquam extra bonitatem.* Quid igitur fiet illâ prædefinitione, illoue decreto, quod & voluntas Dei quædam eſt; & præſcientiæ dicitur adæquari, etiam conditionatæ?

3. Addo ſententiam 14. quæ ſic habet. Qui dicit quod „ qui Euangelicæ prædicationi non credunt ex Dei præde- „ ſtinatione non credunt: & quod Deus ita definierit vt „ quicumque non credunt ex ipſius conſtitutione non cre- „ dant; non eſt Catholicus. Sicut enim fides quæ per dile- „ ctionem operatur Dei donum eſt; ita infidelitas conſti- „ tutio Dei non eſt. Hîc etiam quis non videt, prædeſtinationem quæ negatur à Proſpero præſcientiæ coëxtendi, cum diuina *definitione*, & *conſtitutione* ita conuerti: vt vbi negatur prædeſtinatio, & *definitio*, & *conſtitutio*, negetur? Vbi eſt ergo prædefinitio comes illa indiuidua præſcientiæ? Comes autem? Ducem potiùs dicere oportuit, ſi credimus TViſſio.

4. Addo & reſponſionem 14. ex Vincentianis, hoc eſt

voluntatem? Nupera est, inquiunt, cognitio futuri conditionati. Volitio futuri conditionati quàm antiqua est? Posses indicare quâ Olympiade primùm apparuerit? Nonne iniquissima est illa vexatio, idipsum accusare quod ipse pecces, aliosque ad eam exigere regulam quam tute confregeris?

XXXI. Quanquam neque hoc ego tibi do, nos in ea causa pares esse: quippe cum meam ipse sententiam in scripturâ simpliciter legam, re nullâ vel additâ vel detractâ. Vide enim an non germana sit ista ratiocinatio & sponte fluens? Vnum tantùm beneficium à te peto: ne de Deo benedicto tam malè sentias, vt nescire putes quid dicat. Gratiam hanc si concedere mihi potes, vel saltem Deo, sic argumentor, Scit Deus quod dicit: Atqui dicit, si Dauid in Ceila maneat, tradendum in manus Saül: Ergo hoc scit. Maiorem tuæ liberalitati acceptam refero; minor ipsa est scriptura sacra; consequentiam sibi vendicat Aristoteles & omne animal rationale; conclusio ipsissima est scientia conditionata sine decreto præuio.

Tu quid facies vt inibi legas scientiam conditionatam ex decreto sequacem. Ita nimirum argumentabere. *Quidquid futurum dicit Deus, hoc futurum prædefiniuit: Atqui futurum dicit, vt si Dauid in Ceilà maneat tradatur in manus Saul: Ergo prædefiniuit vt si maneat tradatur.*

Non esse prædefinitum quidquid à Deo Scitur esse futurum probatur ex Scriptura & Patribus.

Maiorem propositionem quo iure vsurpas? Scriptura illius tibi copiam facit? Nempe omnibus ijs locis quæ significant futura hominum peccata non esse diuinæ voluntatis, quæ tamen sunt diuinæ prædictionis atque præscientiæ. Patres igitur? Iustinus videlicet, qui dum fidei Christianæ rationem reddit Imperatori; *fatum* admittit & quidem *ineluctabile, quo præmia & pœnæ eorum qui benè aut malè vixerunt determinentur*; negat autem *quo sit destinatum quempiam esse bonum aut malum.* Quod perinde est atque admittere voluntatem prædefinientem præmium & pœnam præscitæ virtutis & vitij; negare verò ipsam virtutem aut vitium prædefinientem, cum tamen eorum non negetur præscientia.

Iust. Apol. 2. ad Anton. num. Pium.

Athenagoras, qui negat in Legatione ad Imperatorem *esse Dei mouere ad ea quæ sunt præter naturam*, & consequenter ea decernere, cùm tamen eius sit ea præscire? Athen.

Minutius Felix in Octauio, qui cum Iustino fatum etiam admittit posterius præscientiâ meritorum? *Quid est*, inquit, *fatum quam quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est? qui cum possit præscire materiam, promeritis & qualitalibus singulorum etiam fata determinat.* Non ergo fata ista seu determinationes, hoc est prædefinitiones præscientiam præcedunt. Minutius.

Tatianus, qui cum fateatur, in Oratione ad Græcos, præsciuisse Verbum quæ ventura essent; negat tamen ea præsciuisse *ex fato*: aut aliter *quam ex libero eligentium proposito*: & consequenter non ex decreto? Tatian.

Arnobius, qui *sceleratam atque immanem* vocat eam persuasionem, qua putat aliquis *ipsos actus quibus vita transigitur & celebratur humana ordinasse iussisse, & à suâ fluere constitutione præcepisse?* An igitur illos actus ideò præscit Deus, quia prædefiniuit? Arnob l.1.

Origenes, qui perpetuam affert causam cur diuina præscientia libertati non noceat, *quia non ideò liberi actus futuri sunt quia præsciuntur: sed ideo præsciuntur quia futuri sunt?* Quæ ratio ridicula sit, si sunt ideo futuri liberi actus quia prædefiniuntur? Quid quod Celso disertè negat [a] *dispensari omnia per Dei voluntatem; & mala procedere à diuina prouidentiâ?* Num concedet procedere à diuina prædefinitione? Orig. l. 2. contra Celsum. [a] l. 7.

[b] Eusebius Cæsariensis, [c] Chrysostomus, [d] Epiphanius, [e] Damascenus qui eadem cum Origine & dicunt & sentiunt? [b] de præp. l. 6. c. 9. [c] Hom. 27. in 1. ad Cor. [d] l. 1. aduersus hæres. 38. [e] dial. aduersus Manichæos.

Theodoretus, qui cum Platone *modis omnibus pugnandum censet: ne Deus qui bonus est, dicatur esse malorum causa?* Qui *negat ideo producta esse mala vt ad bonum seruiant; sed quandocumque fieri ea contingit; vti Deum illis ad bonum?* An est admissurus Deum ea prædefinientem quæ mala sunt, cum tamen admittant præscientem? Theod. l. 5.

§. III.

Etiam Augustino decreta illa repugnare.

XXXIII. SEd hæc fortasse inanis videatur esse contentio si TVissium solum spectemus, qui fatetur vltrò Patres ita sensisse vt ipsi volumus, *omniaque à Deo præsciri facilè concessisse; non autem omnia decerni: Augustinum etiam antequam illum acueret hæresis pelagiana.* Augustinum igitur scrutemur, cuius est ea vox in primis. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo: & ideo non scriptum est, quia verum non est.* An negat à Deo cognosci voluntatem quam à Deo esse negat? & tamen in eo libro iam acuebatur in Pelagianos. Acuebatur & in Ep. ad Honoratum, dum dicit *Deum prædicere peccata hominum, non facere.* Et nequis putet quoquo modo pertinere peccata ad Dei voluntatem, id excludit omnino dum negat, vel ad minantem pertinere, vel ad promittentem. *Quamuis*, inquit, *mala inferat; mala, non peccata, sed supplicia; minatur tamen ea potiùs quàm promittit. Omnia largitur & præscit: Supplicia minatur: beneficia pollicetur.* Nec hebes erat illius acies in libris de Ciuitate Dei; in quibus mirum est quam multa occurrant quæ ostendunt non prædefiniri à Deo quæcumque præsciuntur. Producam de multis pauca.

Lib. 1 cap. 16. pag. 163.

de spiritu & lit. c. 31.

Ep. 120. cap 19.

l. 5. cap. 9.

Sicut omnium naturarum Creator est Deus, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt: quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. Quomodo non ab illo sunt malæ voluntates, si prædefiniuit vt essent? Atqui sunt tamen præscitæ.

l. 11. cap. 17. Eòdem spectat & hoc aliud. *Sicut Deus naturarum bonarum optimus Creator est; ita malarum voluntatum iustissimus ordinator, vt cum malè illæ vtuntur naturis bonis, ipse benè vtatur etiam voluntatibus malis.* Malarum voluntatum ordinatio procul distat à prædefinitione, quæ ipsas præuenit, cum ordinatio malas supponat, & malè vtentes naturis bonis, vt hoc loco dicit Augustinus, & apertius explicat in commentario Psalmorum, vbi de hæreticorum excæ-

Psal. 7.

catione in scripturis interpretandis, quæ nonnisi diuinâ prouidentiâ disponente illis contingit, *Non quia ipsa*, inquit, *peccatores facit; sed quia ipsa ordinat cùm peccauerint.* Est igitur etiam hîc præscientia sine prædefinitione.

Decisiuum hoc quoque *Neque ideo peccat*, homo, *quia Deus illum peccaturum præsciuit: immò ideo non dubitatur ipsum peccare cùm peccat, quia ille cuius præscientia falli non potest,* NON FATVM, NON FORTVNAM, NON ALIQVID ALIVD *sed illum peccaturum esse præsciuit.* Non præsciuit Deus *aliquid aliud*, si prædefinitio fuit illi ratio præsciendi peccatum futurum? 5. de ciu. cap. 10.

Et hoc etiam: *Anima non deserta est vt desereret; sed vt deseretur deseruit. Ad malum quippe eius, prior est voluntas eius: ad bonum verò eius, prior voluntas creatoris eius; siue vt eam faceret, quæ nulla erat: siue vt reficeret, quæ lapsa perierat.* Si fuit prædefinitio actus mali cuius fuit præscientia, euidentissimum est, & desertam fuisse voluntatem priusquàm ipsa desereret: & ipsam non esse ad malum priorem, cùm supponat prædefinitionem, quæ voluntas quædam Dei est. Ib l.13. cap. 15.

Neque illud omittendum, *Bona voluntas opus Dei, cum eâ quippe ab illo factus est homo: mala verò voluntas prima, quoniam omnia mala opera præcesserit in homine, defectus potiùs quidam fuit ab opere Dei ad sua opera, quàm opus vllum.* Quo sensu neget Augustinus malam voluntatem esse opus Dei, colligi potest ex libro de prædestinatione Sanctorum, cùm dicit. Quando promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium.... Non de nostræ voluntatis potestate; sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat; non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum: IPSE FACIT VT IPSI FACIANT quæ præcipit: non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit. Quo ex loco manifestum est hoc censeri *opus Dei*, quod Deus *facit vt homines faciant*: & proinde quod prædefinit, & ad quod mouet: vt sit idem negare primam voluntatem malam *esse opus Dei*; ac negare prædefinitam esse, ac Dei motione excitatam, cum tamen constet esse præscitam. l 14. cap. 11. Cap. 10.

Quod etiam regerit in Porphyrium, qui dicebat Chri-

ſtum Chriſtianos erroribus fataliter implicuiſſe, tantumdem hîc valet contra Prædefinientes actûs malos. *Si fataliter*, inquit, *dedit Deus Chriſtianis erroris implicationem, vtrùm volens an nolens dedit? Si volens; quomodo iuſtus? Si nolens, quomodo beatus?* Dicam ſimiliter, Si Deus prædefinit actus qui ſciuntur eſſe non poſſe niſi mali, vel volens prædefinit, vel nolens; ſi volens, quomodo iuſtus? Si nolens, quomodo beatus & omnipotens? Stet igitur non omnium eſſe prædefinitionem quorum eſt præſcientia, ſi creditur Auguſtino.

Cap. 10. Et ne ſit vllus eâ de re locus dubitandi, apertiſſima eſt illius ſententia in libro de prædeſt. SS. quæ ſic habet. *Prædeſtinatio eſt quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit quæ fuerat ipſe facturus: vnde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt; præſcire autem poteſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.*

11 pag. 191. Prædefinitos à Deo non tamen prædeſtinatos malos actus cõtendit TVißius.

XXXIII. Sed reſpondet TViſſius negare quidem Auguſtinum aliquorum actuum prædeſtinationem; non autem „ prædefinitionem. Ita enim loquitur. Licet ſcientia exce- „ dat prædeſtinationem modo prædicto; tamen hinc ne- „ quaquam ſequitur eam excedere quodcumque Dei de- „ cretum, quaſi in nullo Dei decreto fundaretur. Neque „ dicit Thomas, aut Auguſtinus, aut Damaſcenus actus li- „ beros voluntatis creatæ non eſſe à Deo prædefinitos, ſed „ quod ex parte pronuntiant, illud de prædeſtinatione „ pronuntiant: idque propriè & ſtrictè procedente vocis „ huius ſignificatione ſecundùm Aquinatem: non autem de „ prædefinitione.

Sed ſecum pugnat. ib. pag. 130. Opponam primò TViſſium TViſſio, vt videat Lector *labantem hominis memoriam & animum ſtupeſcentem.* Paulò ante propoſuit ſibi Pennoti obiectionem, quæ ſic habet, *Tertiò probari poteſt hæc propoſitio innumeris auctoritatibus Patrum dicentium Deum multa præſcire quæ non prædefinit nec prædeſtinat: nihil autem prædefinire aut prædeſtinare quod non præſcierit.* Ad hæc TViſſius, *Agnoſco*, inquit, *ita eſſe.* Nunc *agnoſcit*, ex vſu Patrum aliqua præſciri quæ *neque prædeſtinantur neque prædefiniuntur*: nunc præſciri quidem

aliqua quæ *non prædeſtinantur: nulla vero quæ non prædefiniantur.* Sed eſt in quo magis appareant huius Senis deliramenta, dum ita loquitur. Quid aliud eſt ad vitam prædeſtinari, quàm ab æterno deſtinari ad vitam iuxta phraſiologiam antiquorum? Et prædeſtinationem agnouerunt illi, non modò ad vitam æternam; ſed & ad mortem æternam. Agnoſco ita veteres diſtinxiſſe inter præſcientiam & prædeſtinationem vt omnia à Deo præſciri dicerent, etiam mala, non autem prædeſtinari, Hinc etiam inualuiſſe fateor vt in Scholis præſciti vulgarirer vſurparentur pro reprobatis. Nimirum cùm nomina ſint ab inſtituto, voluerunt illi prædeſtinationem ad ea tantùm extendere quæ aliquando facturus erat ipſe Deus, non autem ad ea quæ permiſſurus. Agnoſcit ex Patrum ſententia prædeſtinationem non modo ad vitam æternam, ſed etiam *ad mortem æternam*, ac proinde ad reprobos pertinere; & ſimul agnoſcit, ex eo quod Patres latiùs extenderent nomen *præſcientiæ* quàm nomen *prædeſtinationis*, factum eſſe vt reprobi, ad quos ſcilicet prædeſtinatio non extendebatur ſicuti præſcientià, dicerentur vulgariter *præſciti.* Ego cum hæc legerem exiſtimabam vel Librariorum, vel Typographorum vitio locum eſſe corruptum: ſed quando conſtat probè recognitam eſſe ab Auctore paginam hanc: atque in eâ neſcio quid aliud leuiculum admodum emendatum; reſtat vt dicam conſuetas eſſe has *ingenij fatiſcentis* rimas. Præſertim cùm alio ipſe loco, quaſi vellet morem illum modumque loquendi Patrum Antiquorum caſtigare, rotundè pronunciet. *Eſſe de fide certum, quæcumque eueniunt ea à Deo prædeſtinata fuiſſe vt eueniant:* & conſtat mala etiam illum inuoluere. Et iterùm, *dicimus, & verè, deſtinatos eſſe damnationi non paucos antequam naſcantur,* Quaſi vellet eſſe de fide certum, Auguſtinum eſſe mentitum, dum aliqua negat eſſe prædeſtinata quæ tamen eueniunt.

[Margin: l. 1 c. 22. pag. 136.] [Margin: l. 3. pag. 405]

Secundò. Cùm ſecluſo Patrum vſu *prædeſtinari & prædefiniri.* aliquid idem ſit: euidens eſt non poſſe nos cum ratione aſſerere Auguſtinum contractiùs vſurpaſſe nomen prædeſtinationis quàm prædefinitionis, niſi conſtet

[Margin: Confutatur prædicta diſtinctio inter prædefinitio-]

nem, & prædestinationem. Ex Augustino.

apud illum negari quorundam prædestinationem, quorum tamen asseratur prædefinitio: Atqui ne apex quidem extat apud Augustinum, vnde colligatur permittere illum vt prædefinita dicantur quæ non possunt dici prædestinata. Quod confirmatur vel ex eo ipso loco quem TVissius subinde regerit ad hoc probandum. *Non aliquid fit nisi omnipotens fieri velit: vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo*; quòd apertum sit, dici non posse nisi omni exuto pudore assumptâque inscitiæ professione, voluntatem *sinendi* vt aliquid fiat, esse illius prædefinitionem.

loc. cit. de prędest. SS. c. 10.

XXXV. Tertiò. Constat Augustinum extendere prædestinationis vocem ad ea omnia quæ Deus ipse facturus est. Ita enim ipse loquitur *prædestinatione quippe Deus ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus, præscire autem potest, etiam quæ ipse non facit*: Ergo vt sit amplior acceptio prædefinitionis, complecti debet etiam ea quæ Deus *non est ipse facturus*. Iterum constat ex eodem Augustino, inter ea quę dicitur *Deus ipse facturus*, comprehendi quæ homines quoque faciunt, si Deus facit vt illi faciant. Hæc enim sunt eius verba. *Promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcipit: non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit.* Ergo si sunt aliqua non prædestinata, & tamen prædefinita, debent illa ita fieri ab hominibus, vt Deus non possit dici *facere vt illi faciant*. Hoc autem implicat. Quid enim est aliud prædefinire aliquid, quàm antecedenter atque efficaciter velle vt illud fiat; ac proinde illius causas præuenire *faciendo vt faciant*? Est igitnr manifestum apud Augustinum ista coincidere, & errore gratuito ac voluntario spatiari, qui contendunt prædefinita esse quæ prædestinata negantur.

» Eòdem hæc alia verba pertinent, Non autem sic cre-
» didit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo, quo-
» niam qui promisit potens est & facere: non ait prædice-
» re; non ait prescire (Nam & aliena facta potest prædice-
» re atque præscire) sed ait potens est & facere: ac per hoc
» non aliena facta: sed sua. Quæ sunt amabo aliena illa facta,

quæ

quæ & præsciuntur & prædicuntur? An sunt prædefinita? Si non sunt; ergo datur aliquid & præscitum & non prædefinitum: si sunt, quomodo aliena dicuntur? Prædefinitio an est minùs actio Dei quàm prædestinatio? An minùs antecedens? An minùs efficax? Quod ergo ex illâ sequitur, quare non dicetur *factum Dei*, perinde atque id quod sequitur ex prædestinatione?

XXXVI. Quartò, Confirmatur hoc ipsum vel ex illo D. Thomæ loco ex quo TVissius auctoritatem furari conatus est. Cum enim etiam D. Thomas neget prædestinata esse quæcumque sunt præscita: ideoque distinguat prophetiam prædestinationis à prophetia præscientiæ, quâ prædicuntur ea in quibus præscientia prædestinationem excedit; distinctionis illius causam affert ex Damasceno, *Quia ea quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis, vnde & prædestinatio quasi quædam Dei præparatio dicitur, hoc autem aliquis præparat quod facturus est ipse, non quod alius.* Ex quo loco in primis hoc liquet, illius restrictionis quâ prædestinatio angustiùs patet quàm præscietia, non peti rationem ex peculiari Patrum vsu; sed ex communi vocum ipsarum institutione atque acceptione, dum dicit, *vnde & prædestinatio quasi quædam Dei præparatio dicitur. Hoc autem aliquis præparat, &c.* Deinde liquet eandem rationem prædestinationi ac prædefinitioni communem esse: neque vnam magis excedi à præscientiâ quàm aliam. Quid enim rationis habet hæc oratio, *ea quæ Deus prædestinat non sunt in nobis*, magis quàm ista, *ea quæ Deus prædefinit non sunt in nobis?* Et ista, *Prædestinatio quasi quædam præparatio Dei dicitur*, magis quàm ista, *Prædefinitio quasi quædam præparatio dicitur?* Item ista, *Hoc aliquis prædestinat quod facturus est ipse, non quod alius?* magis quàm ista, *Hoc aliquis prædefinit quod facturus est ipse, non quod alius?* Quis non videt substitutâ in locum *prædestinationis*, *prædefinitione*, eandem omnino esse vim orationis neruumque sententiæ? Quâ ergo verisimilitudine dicetur vnam excedi à præscientia Dei, non autem aliam?

Item ex S. Thoma. S. Th. de veritate q. 12. ar. 10. in corp.

XXXVII. Quintò, vt planum fiat non esse hanc tantùm nominis quæstionem; & Augustinum non negare solam

cap. 12. *prædestinationis* vocem rebus omnibus à Deo præscitis, sed verò etiam ipsam rem; hoc est antecedentem & absolutam & efficacem Dei voluntatem, vno verbo, prædefinitionem; ex pendendus est locus ex libro de bono perseuerantiæ, vbi refertur illa Massiliensium prosopopœia quâ traducere conabantur Augustini doctrinam, inducto

„ qui sic concionaretur Oratore. Ita se habet de prædesti-
„ natione definita sententia Dei, vt alij ex vobis de infide-
„ litate veneritis ad fidem, cæteri verò qui in peccatorum
„ delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia
„ necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit: & si
„ qui obedistis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahen-
„ tur vobis obediendi vires, vt obedire cessetis.

Vbi hoc in primis considerandum est, Massilienses hos qui & eruditi erant & in Ecclesiæ communione viuebant adhuc, quantum coniicere licet ex Epistola Prosperi atque Hilarij ad Augustinum: quique ipsius Augustini libros & doctrinam habebant familiarem, & commercium cum Prospero atque Hilario aliisque Augustini studiosis; non magis quàm TVissium potuisse nescire, quæ significatio prædestinationis esset vsu recepta, quæue illius & prædefinitionis differentia: nec adeo fuisse incautos, vt cùm perinde conferret eorum instituto vox *præordinationis*, aut *prædefinitionis*, contra morem tamen vsurpare maluerint vocem *prædestinationis*, cum dicunt, *si prædestinati estis reijciendi*, idque in ea oratione in quâ putabant se germanam Augustini sententiam repræsentaturos. Hoc, inquam, satis ostendit ipsos nequaquam errauisse circa vocem; sed circa rem ipsam, cum Augustino affingerent eam sententiam quæ reuera eius non erat, antecedentem videlicet & positiuam circa ea, quæ mala sunt, Dei voluntatem. Et hoc ipsum Augustinus satis ostendit, dum hunc ipsum vocis abusum silentio præterit, totamque illam, quæ Augustiniana putabatur, orationem ita reformat, vt rem potiùs ea voce significatam negare videatur. Cum enim nolit ea verba dirigi ad ipsos Auditores *per secundam*; *sed per verbi personam tertiam*, vt ipse loquitur; ita vt *de alijs ad ipsos sermo fiat, non de ipsis ad ipsos*; illius mutationis speciem ita ex-

hibet ipse, vt verba illa quæ sequutura erant, *si prædestinati sunt reijciendi*, quæque positiuam atque antecedentem reprobationem significant, consultissimâ prouidentiâ mutauerit in hæc alia, quæ significant tantùm negatiuam, *si in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt*; itáque sententiam integram exhibuerit, *quæ falsa sunt resecans, quæ vera sunt temperans* vt ait Prosper ad excerpta Genuensium, *Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt: nec vsque ad finem in eadem obedientia permanebunt.* dub. 10.

XXXVIII. Sextò expendendus & ille locus, in quo Augustinus eorum calumniam refellit qui fati assertorem ipsum esse mentiebantur. Hac autem inter alias ratione refellit; Deinde fati assertores & bona & mala hominum fato tribuunt: Deus autem in malis, hominum merita debitâ retributione persequitur: bona verò per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur, vtrumque faciens non per stellarum temporale consortium; sed per suæ seueritatis & bonitatis æternum altumque consilium. Si malas hominum actiones antecederet æternum Dei decretum sicuti bonas antecedit, quid prodesset ad diluendam fati calumniam obijcere, illud fatum ad bona & mala pertinere; cùm illud etiam decretum, quod Pelagianis fatale videbatur, Augustinus perinde diceret actiones, quæ tum bonæ tum malæ sunt, prædefinire? Quid etiam iuuaret illa distinctio æterni Dei consilij quo Deus persequitur in malis hominum merita, quæ suâ gratiâ in bonis præuenit? An persequitur tantùm & non etiam præuenit mala hominum merita; si ea nec esse, nec præsciri potuerunt nisi in antecedente decreto quo prædefiniebantur? Ecquis non inde manifestò colligat, incognita esse Augustino isthæc decreta? nec prædestinationis tantùm nomen ipsum negare ijs actibus qui mali sunt, sed rem ipsam? l. 2. Cont. Ep. Pelagianorum.

XXXIX. Huc refer quæ paulò antè produximus, Esse aliquam voluntatem que non est à Deo: Esse aliquam, quæ neque ad minas, neque ad promissa Dei pertinere possit: Aliquam, cuius Deus nec creator nec dator sit; sed tan- suprà num. 32.

tùm ordinator: Aliquam, quæ ideo imputatur ad culpam; quia cùm futura præſciretur, nihil aliud præſciebatur quàm ipſam eſſe futuram: Aliquam, quâ non ſit prior Dei voluntas: Aliquam quæ non ſit opus Dei. Quis enim poſſit adeo cæcutire, vt hæc & alia id genus pati credat æternam ac prædefinientem Dei voluntatem circa malos hominum actus; vt ideo putet non negari antecedenter decerni, dum negantur prædeſtinari?

§. IV.

Patres Auguſtino poſteriores independentem à prædefinitionibus præſcientiam agnouiſſe.

XL. SED quæ fuerit Auguſtini mens requirendum eſt ex Proſpero Aquitanico, & Fulgentio Affricano: quorum ille in vltimos incidit Auguſtini annos: hic proximè ſubſecutus eſt: vtrique autem illius & nomen & doctrinam ſtrenuè propugnarunt continuato in Pelagianos eorumque reliquias bello.

Non prædeſtinantur quæcumque præſciũtur apud Proſperum. Reſp. 15. Sent. 15

Ergo Proſper id ipſum quod Auguſtinus affirmat multis locis, eſſe nimirum aliqua præſcita, neque tamen à Deo prædeſtinata. Id enim habet in reſponſionibus ad capitula Gallorum dum ita loquitur. „ Poteſt itaque ſine „ prædeſtinatione eſſe præſcientia; prædeſtinatio autem ſi„ne præſcientia eſſe non poteſt. Et iterùm. In malis operi„bus noſtris ſola præſcientia Dei intelligenda eſt: quia ſi„cut præſciuit & prædeſtinauit quæ ipſe facit & vt facere„mus dedit; ita præſciuit tantùm, non etiam prædeſtina„uit, quæ nec ipſe fecit: nec vt faceremus exegit.

Ib. Reſp 14 ſent. 6. & Reſp 10. ad obiect. Vincent.

Hinc etiam illud *Prædeſtinatio Dei ſemper in bono eſt*: & *Prædeſtinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iuſtiam eſt.*

Proſper inter prædefinitionem & præde-

Iam videndum vtrum ita inter prædeſtinationem & prædefinitionem diſtinguat, vt quod negat prædeſtinationi, concedat tamen prædefinitioni. Et occurrit in primis quod iam retulimus, in malis operibus noſtris *ſolam*

præſcientiam ideo eſſe intelligendam, quia in illis intelligi non poteſt prædeſtinatio; quam dico ineptam eſſe ſententiam, ſi prædeſtinatio non complectitur omnem voluntatem antecedentem & abſolutam, atque adeo prædefinitionem. Cùm niſi hoc detur, manifeſtum ſit ſecluſa prædeſtinatione non ſequi quod Proſper aſſumit, reſtare *ſolam præſcientiam* circa mala opera; cùm poſſit adhuc reſtare prædefinitio. ſtinationem non diſtinguit.

2. Iuuat enim quod eſt in reſp. 12. ad capitula Gallorum, „ Si Deus hominem ſibi obedientem à pietate deturbat, & „ benè currentem cadere facit; ergo pro bonis mala retribuit: & iniuſtè punit, quod vt fiat impellit. Quid tam „ peruerſum, quid tam inſanum dici aut cogitari poteſt? „ Sed in talem ſenſum trahuntur qui putant in omnibus hoc „ eſſe præſcientiam Dei, quod & voluntatem: cum voluntas eius numquam velit niſi bona; præſcientia autem, „ &c. En tibi quæ ſit illa prædeſtinatio quam Proſper negat adæquari præſcientiæ: nempe illa *voluntas* Dei eſt, quæ nunquam fertur niſi in bona: vt idem ſit Proſpero *Dei prædeſtinationem ſemper in bono eſſe:* aut *nunquam extra bonitatem eſſe*: ac, *Dei voluntatem ſemper in bono eſſe, nunquam extra bonitatem.* Quid igitur fiet illâ prædefinitione, illoue decreto, quod & voluntas Dei quædam eſt; & præſcientiæ dicitur adæquari, etiam conditionatæ?

3. Addo ſententiam 14. quæ ſic habet. Qui dicit quod „ qui Euangelicæ prædicationi non credunt ex Dei prædeſtinatione non credunt: & quod Deus ita definierit vt „ quicumque non credunt ex ipſius conſtitutione non credant; non eſt Catholicus. Sicut enim fides quæ per dilectionem operatur Dei donum eſt; ita infidelitas conſtitutio Dei non eſt. Hîc etiam quis non videt, prædeſtinationem quæ negatur à Proſpero præſcientiæ coëxtendi, cum diuina *definitione*, & *conſtitutione* ita conuerti: vt vbi negatur prædeſtinatio, & *definitio*, & *conſtitutio*, negetur? Vbi eſt ergo prædefinitio comes illa indiuidua præſcientiæ? Comes autem? Ducem potiùs dicere oportuit, ſi credimus TViſſio.

4. Addo & reſponſionem 14. ex Vincentianis, hoc eſt

ad articulũ nonum ex falso impositis Augustino. Obiectio sic habet. *Quod omnes illi fideles & sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.* Ex quibus videas Anti-Augustinos prædestinationem secus interpretatos. Ita verò Prosper respondet. *Idem blasphemiarum spiritus perseuerat.* Blasphemiam vocat malorum prædestinationem: quæ verò sit hæc prædestinatio mox
„ explicat cum dicit; Si verò à iustitia & pietate quis deficit,
„ suo in præceps fertur arbitrio: suâ concupiscentiâ trahi-
„ tur: suâ persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Fi-
„ lius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio QVID-
„ QVAM DIVINÆ VOLVNTATIS INTERVENIT; cuius opere
„ multos scimus ne laberentur retentos; nullos autem vt
„ laberentur impulsos. Hoc nimirum est non esse prædestinatos hominum lapsus, *his negotijs nihil interuenire diuinæ voluntatis*: & hæc est *blaspemia* quam Prosper detestatur, *diuinæ voluntatis aliquid* in his casibus reperiri. Quid igitur dicent qui diuinam tamen prædefinitionem interuenire contendunt? An non illa aliquid est diuinæ voluntatis? Et quid facient qui hæc ideo præscita volunt, quia priùs decreta?

XLI. Sed hæc opinor sufficiunt vt intelligat TVissius Prosperum sibi aduersum fuisse, videamus si quam possit à Fulgentio lucem expectare.

Fulgentius quoque negat eodem modo prædefinitionem malorum actuũ & prædestinationem.

Repetit Fulgentius eadem quæ Augustinus, quæ Prosper etiam, ex libro de Prædest. SS. *Sine prædestinatione præscientiam* Dei *esse posse, prædestinationem verò sine præscientia esse non posse.* Ita ille tum aliis locis, tum maximè cap. 29. libri primi ad Monimum: atque hæc quæstio est vnirum cum illius libri argumentum. Nam cùm docuisset Fulgentius & veram & S. Augustini sententiam esse, quæ prædestinationem intra bonorum sphæram claudit, cum præscientia etiam ad mala protendatur; opposuerat Monimus locum ex commentario in Psalmum 14. vbi Augustinus aliquos dicit prædestinatos ad interitum. At Fulgentius & illam diluit obiectionem: & propositam senten-

L. 1. cap 3.

tiam toto libro confirmat. Distinguit ergo duplicem interitum, *alterum supplicij*; *alterum delicti*: & duplicem animæ mortem, primam *in qua nascuntur paruuli*, *vel in quam recidunt criminosi*: secundam *quam necesse est vt ijdem patiantur retribuente iustissimo iudice*: Primi ergo interitus & primæ mortis prædestinationẽ nullã esse docet; sed tantùm præscientiam, quâ positâ sit etiam prædestinatio secundi interitus & secundæ mortis. Verba illius sunt. Proinde fidelibus congruit credere & fateri, Deum bonum & iustum præscisse quidem peccaturos homines: quia nihil eum latere poterat futurorum (Neque enim vel futura essent, si in eius præscientia non fuissent) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum.... Itaque quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos. In quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis; ita prædestinatio iustissimæ laudanda est vltionis; vt agnosceret non ab eo prædestinatum hominem ad qualecumque peccatum, quem prædestinauit peccati merito puniendum. *Et iterum*. Ostensurus itaque Deus quid reddendum præsciuerit & quid donandum, prædestinauit illos ad supplicium, quos à se præsciuit voluntatis malæ vitio discessuros: & prædestinauit ad regnum, quos ad se præsciuit misericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros, *Et iterum*, Non itaque frustra talis est ab eo facta inter puniendos glorificandosque discretio, vt illos vocaret vasa iræ, istos autem vasa misericordiæ, nisi vt ostenderet, tam in vasis iræ, quàm in vasis misericordiæ, iniquitatem propriam præcessisse.... Vasis verò iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homini inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam.... Hæc igitur ira ideo talibus vasis interitum reddidit, quia in eis meritum voluntariæ iniquitatis inuenit. *Et rursus*. Prima igitur mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa: & secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna.... Peccata itaque

Ib. cap. 5.

cap. 25.

cap. 24.

cap. 26.

„ hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præsciuit
„ futura: & quia ipse non ea prædestinauit facienda; iusto
„ prædestinauit iudicio punienda. Atque hoc infert ex allatis à Monimo Augustini verbis, quibus prędestinationis ad interitũ causam reddit, Quia *super hoc*, id est, super non facientes bonũ *respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.*
„ Nempe, *inquit Fulgentius*, satis atque euidenter his dictis
„ ostendit, quia Deus peccata hominum præscientiâ vidit,
„ quibus sententiã prędestinatione dictauit.... Iustè autẽ ad
„ punitionem diuinâ æquitate prædestinatur; qui peccator
„ est diuina cognitione præscitus: vt pote qui iniquitatem,
„ ad quam à Deo non est prædestinatus, propriâ esset vo-
„ luntate facturus; vt in quo præscientia Dei videbat futu-
„ rum opus iniustum, huic per prædestinationis sententiam
„ pararet supplicium iustum. Et initio libri secundi, vbi prioris libri doctrinam compendio colligit, ea tantùm dicit ad diuinam prædestinationem pertinere, in quibus aliqua ratio reperiri potest, vel misericordiæ vel iustitiæ: & quia in peccatis nec misericordia reperitur, nec iustitia; ideo omnem iniquorum malam voluntatem qua peccant præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam: *quia verò præscita est: ideo sibi præparatam inuenisse pœnam iustæ retributionis.* Quæ referre placuit vt notaretur obiter, quàm sit ab Augustino & Augustinianis illis Patribus antiquis aliena immanis illa & Phalaridi cuipiam, quàm Optimo Deo conuenientior sententia Caluini, de positiua reprobatione præscientiam peccatorum antecedente.

Hoc vnum modò restat, vt videamus vtrùm Fulgentius qui tam disertè negat prædestinationem malarum voluntatum, nomen ipsum prædestinationis solum negauerit, admissâ re, hoc est, antecedenti, & absoluto & efficaci decreto circa malas etiam voluntates; an potiùs neget hoc ipsum decretum.

Et illud negare conuincitur primò, ex eo quòd illi sit idem, negare prædestinationem hanc, & negare Dei vo-
„ luntatem. Patet hoc ex cap. 20. cùm dicit, Ad hoc au-
„ tem, *id est ad inordinatam creatorum dilectionem* non est à
„ Deo prædestinata rationalis creatura. Neque enim alia
est

est eius prædestinatio nisi futurorum operum eius æterna „
præparatio : in qua nullius causa mali poterit inueniri ? „
QVIA EX VOLVNTATE DEI NVNQVAM PROCESSIT ORIGO PECCATI. Non vides in tantum negari à prædestinatione procedere peccatum, in quantum negatur procedere à voluntate : ac proinde voluntatem & prædestinationem hanc haberi pro eodem ?

Conuincitur secundò ex cap. 30. vbi rectâ fide Augustinum à Prospero defensum esse contendit in suis ad capita Gallorum responsionibus, refertque obiectionem 14. Quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credunt : & quod Deus ita definierit, vt quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant, quam vocat *prauitatem* B. Augustini dictis; *non ex veritate*; *sed ex liuore obiectam*; subiungitque Prosperi verba dicentis, *infidelitatem non credentium, non ad* CONSTITVTIONEM *Dei sed ad præscientiam pertinere*. Vnde patet prædestinationem, definitionem, constitutionem diuinam, pro eodem positam : vt necesse sit erubescere illos qui fatentur esse aliqua iuxta sententiam Augustini non prædestinata, quæ sint tamen prædefinita & decreta : nisi fortè cauillantur vt non *definita* quidem concedant; non tamen non *prædefinita* : item esse non *constituta*; non tamen non *decreta*. Quod si est ita, vestram ô Grammatici censuram !

Conuincitur tertiò, ex iis rationibus quibus adducitur Fulgentius vt neget malarum voluntatum prædestinationem. Quæ nullo modo impugnant nomen hoc : sed rem potiùs eo nomine significatam : & ideo peræquè ipsam prædefinitionem excludunt. Negat Fulgentius *esse posse vllam causam prædestinationis ad peccata* : *nec habituros quid respondeant qui eam admittunt*. Quis non videt, si sit tantùm quæstio de nomine facilem illos rationem reddituros : esse nimirum antiquam hanc & vsu communi confirmatam vocum institutionem, quæ immeritò priuatâ quorumdam auctoritate restringatur, cum dicitur voluntatem eorum tantùm quæ bona sunt dicendam esse prædestinationem ? Negat *iniquos dici posse à Deo, si non misericorditer, saltem*

iustè operante prædestinatos, vt ex bonis fierent mali: & intolerabilem esse vult Christianis auribus sententiam, *vt causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati.* Qui vero sunt illi adeo inter Christianos delicati, vt ferre non possint aliquid dici *prædestinatum, quod tamen ipsi fatentur prædefinitum*? Et quare causa peccati Deo potiùs tribuitur, si æterna illa & antecedens voluntas circa malas hominum actiones dicatur *prædestinatio*; quàm cùm dicitur *prædefinitio*? *Vituperari* putat *diuinam iustitiam si prædestinasse dicatur Deus vt homo fieret ex bono malus*: an ergo ea laudabitur, si hoc ipsum dicatur *prædefiniuisse*? Censet illâ *prædestinatione* fieri, vt diuina iustitia *puniendum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur*: an non sequitur id ipsum ex *prædefinitione*? Iniquam fore clamat pœnæ retributionem homini lapso, *si Deus stantem prædestinauerit ad ruinam*: iusta nimirum erit atque innocens, si Deus eandem prædefinierit ruinam? Ecquid malum habent hæc nomina, vt eadem Dei voluntas, si *prædestinatio* dicatur, iniusta sit, ac detestanda; si dicatur *prædefinitio*, sancta subitò atque adoranda videatur?

Sed excutere iuuat initium cap. 23. vt hoc ipsum denique conuincatur. Quæro, *inquit Fulgentius*, cur primum „ hominem quem, sicut scriptum est, fecit Dominus re- „ ctum, prædestinare potuerit ad peccandum: id est ad vo- „ luntatem malam, quæ est totius origo peccati? quam „ vtique aut attribuisse Deum nondum peccanti homini, „ aut retribuisse credendum est peccatori. Hanc itaque si „ nondum peccanti homini tribuit; ipse, quod absit, au- „ ctor iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit ho- „ mini bono, per quam peccans æterno meretur puniri „ supplicio. Et vbi est, quia Deus mortem non fecit? &, „ quia non est iniquitas apud Deum? &, quia iustus domi- „ nus & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius? Si „ autem malæ voluntatis initium peccatori homini non tri- „ buit, sed retribuit, &c. Non occurrit Fulgentio ratio vlla propter quam potuerit Deus *prædestinare* Adamum ad primam illam *voluntatem malam* quam habuit; quare non hîc valeat, si vlla foret illa, propter quam potuerit

eandem voluntatem *prædefinire*? *Prædestinatione* fieri putat vt Deus meritò dicatur hanc ei voluntatem tribuisse; hoc autem quare non fit etiam *prædefinitione*? Ex illa *prædestinatione* sequitur apud Fulgentium, Deum homini auctorem iniquitatis extitisse; quare non etiam sequitur ex *prædefinitione*? Scriptura ex aduerso stat; quomodo autem ex aduerso? Et quare potius ex aduerso prædestinationis, quam ex aduerso prædefinitionis? Nonne oportuit turbine quodam circumagi TVissium, dum ita loqueretur & commentitiam illam distinctionem induceret?

XLII. Longum esset referre quæ fuerit eorum sententia qui Patres illos sunt sequuti. Arausicanum Concilium cum anathemate *detestatur eos qui dicere volunt aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos*. Quod quo sensu dictum sit intelligi potest ex canone superiori vbi definit *suam voluntatem homines facere non Dei, quando id agunt quod Deo displicet*. Hoc enim est ex æquo negare tum prædestinationem tum prædefinitionem eorum quæ Deo displicent. Valentinum tertium Arausicano apprimè congruit, alijsque Patribus antiquioribus, quorum etiam fidem se profitetur amplecti. In eo verò distinguit præscientiam, quâ Deus præsciuit bonos bonos futuros; ab illa qua præsciuit malos malos futuros: quòd Deus præsciuerit omnino *bonos per suam gratiam bonos futuros: malos verò præsciuerit per propriam malitiam malos futuros*. Quare autem præsciuit Deus bonos per suam gratiam bonos futuros, nisi quia necesse fuit vt præscientiam illam præcederet gratiæ prædestinatio? atqui fuit etiam ex aduersariorum hypothesi necessarium, vt hominum malitiam præcederet prædefinitio actus mali: quare igitur per illam non diceretur præscita hominum malitia? Vel si non obstante necessitate illâ prædefinitionis, præsciti dicerentur mali, per ipsorum malitiam mali futuri: quare concessâ licet necessitate præuenientis gratiæ, non dicerentur præsciti boni tanquam per propriam bonitatem aut libertatem boni futuri?

Idem probatur ex Arausicano Concilio can. 25. can. 23.

Item ex Valentino. Can. 2.

Eòdem pertinet quod subiungit nulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem vt aliud esse non posset; „

„ sed quod ille futurus erat ex propria voluntate præscisse
„ se Deum ex sua omnipotentia & incommutabili maie-
„ state: nec ex præiudicio Dei aliquem, sed ex merito pro-
„ priæ iniquitatis condemnari. Fac esse prædefinitum actum qui malus est, cum omnibus circunstantijs à quibus est inseparabilis malitia: idque decreto antecedenti & ineluctabili: & omnia illa verba ludus fient. Quomodo enim non imponet necessitatem decretum ineluctabile? Quomodo item ideò non imponit præscientia„ quia præscitur tantùm quid ille futurus sit ex propria voluntate, si propria illa voluntas non nisi ex prædefinitione & prædeterminatione præsciatur? Quomodo tandem ex merito propriæ iniquitatis & non ex præiudicio condemnamur, si neque meritum sit vllum, nec iniquitas, quam non præcesserit sententia diuinæ prædefinitionis?

Sed neque illa cohærere possunt quæ subiunguntur, *in electione saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere iustum Dei iudicium.* Quid? meritum malum non est insuperabili necessitate connexum cum antecedenti Dei decreto prædefiniente actum qui malus est cum omnibus circumstantijs ad malitiam prærequisitis? Quare ergo Dei iudicio præuium dicitur meritum malum, potiùs quàm decretum illud quod ipsi etiam merito malo & præuium & necessarium est? Et quare nobis illuditur, dum dicitur merito bono præuiam esse Dei misericordiam: quasi verò non aliqua etiam causa ex parte Dei præuia esset merito malo: & quidem talis, vt huius cum illa connexio sit indissolubilis.

Serm. de Pass. 16. XLIII. His adde Leonem magnum qui distinguit in Christi passione *id quod est de Iudæorum malignitate præcognitum; & quod est dispositum à Deo:* diuersaque ponit principia *voluntatis interficiendi*, quæ Iudæorum fuit: & *voluntatis moriendi* quæ fuit Christi. *Impias furentium manus non immisisse Dominum, sed admisisse, &c.*

de quæst. difficilibus Adde Eucherium Lugdunensem, dum pronuntiat in excæcatione Iudæorum *præscientiam diuinam agnoscendam;*

non autem prædestinationem, quòd Deus ad peccandum *non compellat*: nec indurare possit *adiuuando*; sed tantùm *deserendo*. veteris & Noui Testamenti. Ep. ad Petrum Episc.

Adde Leonem Nonum, qui fidem suam hisce verbis testatur *Credo Deum prædestinasse solummodo bona; præsciuisse autem bona maláue.* de fide Orthod. lib. 2. cap. 29.

Adde iterum Damascenum, dum distinguit duplicem in Deo voluntatem, *præcedentem* vnam & quæ ex ipso est, qua vult omnes homines saluari, indignum ratus condi aliquos vt puniantur: *sequentem* alteram & permissiuam, quæ est voluntas puniendi ex nostra causa existens. Vt sit facile intelligere quid deinde velit, dum negat Deum omnia prædefiniri, προορίζειν, etiam si omnia præcognoscat. Illam scilicet voluntatem antecedentem excludit, quæ non existit ex nostra causa: seu cui motiuum non exhibet vllius libertatis nostræ meritum.

XLIV. Adde Anselmum, qui casus diaboli nullam aliam dicit esse rationem, quàm quia ipse voluit: & hanc voluntatem negat *vllam aliam habuisse causam, qua impelleretur aliquatenus aut attraheretur; sed ipse*, inquit, *sibi efficiens causa fuit si dici potest effectus*. Et mox dum explicat quomodo fuerit à Deo ipsum velle diaboli cadentis quod erat malitiæ substratum, nempe, *inquit*, non solum hoc habet „ aliquis à Deo quod Deus sponte dat; sed etiam quod in- „ iustè rapit Deo permittente: & sicut dicitur Deus facere „ quod permittit fieri; ITA DICITVR DARE QVOD PER- „ MITTIT RAPI. Quoniam igitur permittente Deo Ange- „ lus malus vsus est potestate à Deo sponte data; à Deo „ habuit vti: quod non est aliud quàm ipsum velle: non est „ enim aliud velle, quàm vti potestate volendi; sicut idem „ est loqui, & vti potestate loquendi. Qua oratione nulla „ vnquam efficacior esse potuit ad hæc tria confirmanda. Primum est, Nullam esse voluntatis, quæ mala est, prædefinitionem, cum dicit *non aliâ de causâ voluisse diabolum cadere; quàm quia voluit*: nec quicquam fuisse *quo impelleretur aut attraheretur.* Vide an credere potuerit fuisse aliquid quo præmoueretur & prædeterminaretur. Et hoc confirmat dum negat, *Deum sponte dare illud velle*, quod lib. de casu diaboli c. 27. & 28.

Vera ratio ex Anselmo cur Deus non sit causa peccati.

procul abest à prædefinitione: vnde patet etiam Secundùm, nempe rectissimè atque omnino ad mentem Anselmi Philosophari eos, qui eam afferunt rationem quare Deus non sit causa vel auctor peccati, quia nimirum non concurrit ad actum, qui malus est, ex propria determinatione atque inclinatione in talem actum; sed ex generali principio quo vult, id quod ipsius prouidentiam decet, non deesse causis secundis concursum primæ causæ naturis suis accommodatum exigentibus. Eam enim omnino vim habet illud, Deum non *sponte dare illud velle*; quia scilicet Deus ita concurrit ad illud velle vt similior sit necessarium soluenti debitum; quàm vltro aliquid danti. Tertium quoque hinc perspicuè colligitur, Deum scilicet concursum suum ad actus qui mali sunt ita indifferentem exhibere, vt eo vti vel non vti sit in potestate creaturæ, malit autem Deus vt creatura non vtatur. Quid enim est aliud, Deum *non sponte dare illum concursum*, & hominem atque Angelum dum peccant *rapere illum ipso permittente*? Nempe rapi dicitur quod tollitur ab inuito: & quia Deus ita concursum exhibet causæ liberæ ad actum qui malus est, vt eius vsus illi displiceat, non vsus è contrario potiùs optetur; voluntas dum eo vtitur, hoc sumit quod Deus retrahit, in quantum patitur necessitas accommodandi se libertati creaturæ: ideoque voluntas creaturæ illam rapit: Deus autem similior est inuito ac permittenti, quàm à seipso decernenti.

Quomodo concurrat Deus ad malos actus ex Anselmo.

Confer iam cum illis Anselmi cogitationibus speciem hanc, Dei scilicet æterno, absoluto, efficaci & immutabili decreto præoccupantis voluntatem creatam nihil dum mali cogitantem: & in executionem talis decreti efficaciter excitantis, præmouentis, prædeterminantis illam ad eliciendum liberè actum quem scit esse malum: & in illis omnibus circumstantijs à quibus scit implicare vt absit malitia, tali ac tantâ immissâ necessitate agendi quod malum est; vt componere cum illo decreto atque impulsu antecedenti suspensionem mali actus, inter impossibilia sit recensendum: & videbis non tantam esse inter vtrumque polum distantiam, quanta est

inter sententiam Anselmi atque TVissij.

Sed vt etiam pateat, quomodo exsufflet Anselmus nugas illas TVissij, qui prædefinitum à Deo putat id quod à sanctis Patribus negatur esse prædestinatum; exhibendus est Anselmi locus ille in quo prædestinationis notionem ipse dat, cum dicit, Prædestinatio videtur idem esse quod „ præordinatio, siue præstitutio: & ideo quod Deus præ- „ destinare dicitur, intelligitur præordinare, QVOD EST „ STATVERE FVTVRVM ESSE. Si definitio cum definito con- „ uertitur, sicut *prædestinare* idem est quod *præstituere*, *præordinare*, *statuere futurum esse*; numquid ipsum quoque *præstituere*, *præordinare*, *statuere futurum esse*, idem erit ac, *prædestinare*? Et cùm *prædefinire* hoc ipsum sit; an non sequitur apud Anselmum idem esse *prædefinire* quod *prædestinare*? Confirmaturque hoc ex ijs quæ postea subiungit; dum & prædestinationem latiùs sumptam aptari etiam docet ad mala: & in eo tantùm esse positam malorum prædestinationem, quòd ea permittantur. Vt enim dicitur Deus indurare cùm non emollit, inducere in tentationem cùm non liberat; ita & malos prædestinare cùm non corrigit. Vide an putet Anselmus esse aliquam malorum prædefinitionem: & si foret, an ei sit prædestinationis nomen negaturus, qui concedit illud & permissioni.

lib. de concordia. Nulla prædestinationis & prædefinitionis differentia.

XLV. Adde Magistrum sententiarum cùm dicit, Mala „ verò scit Deus & præscit antequam fiant; sed SOLA NO- „ TITIA NON BENEPLACITO, præscit enim Deus & prædi- „ cit etiam quæ non est ipse facturus, sicut præsciuit & præ- „ dixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit: nec ideo „ quia præsciuit ad peccatum infidelitatis eos coëgit: nec „ præsciisset vel prædixisset eorum mala, nisi essent ea ha- „ bituri, *& deinde*, Præsciuit ergo illa solâ notitiâ; sed non „ beneplacito auctoritatis. Nouitius sit inter Scholasticos „ qui nesciat prædefinitionem ad voluntatem beneplaciti reuocandam, quatenus ea distinguitur contra voluntatem signi: Ergo cùm negat Magister voluntatem beneplaciti circa mala; manifestum est negari ab eo prædefinitionem. Quod etiam confirmatur, dum *solam* circa ea *notitiam* admittit, cùm circa bona & beneplacitum ad-

1. dist. 38. D. Magister solâ Deo notitiâ malorũ concedit, beneplacitum negat: atque adeo prædefinitionem.

mittat, & vt paulò ante significauit *dispositionem*. Nam quod illud beneplacitum vocauit *beneplacitum auctoritatis*, expressit tantùm id quod beneplacitum importat; nempe vt sit & credatur Deus Auctor eorum quorum habet voluntatem beneplaciti: possitque dici causa cur sint, cum aliorum sit tantùm causa sinè qua non sunt, vt antea dixit, *in malis præscientiam Dei esse causam tantùm sine qua non fiunt*.

Consentit Magistro S. Thomas. XLVI. Magistro denique addendus est S. Thomas, cuius est illud quod iam attulimus, *diuinam præscientiam excedere in quibusdam prædestinationem*. Cui sententiæ lucem afferent quæ docet in primum sent. Nam in primis do-
„ ctrinam Magistri iam allatam approbat, dum negat scien-
dist. 38. „ tiam Dei habere perfectam rationem causalitatis, nisi se-
q. 1. ar. 1. in corp. „ cundùm quòd adiungitur voluntati: ideoque dictum in
„ litera, quòd scientia beneplaciti est causa rerum. Deinde effectuum necessariorum & contingentium eam agnoscit
art. 5. in corp. differentiam; quòd necessarij cognoscit possint in causis suis, contingentes ad vtrumlibet non possint. Quæ causa est vt rationem cognoscendi effectus hos refundat in eam quam habent in seipsis existentiam atque præsentiam pro aliqua temporis differentia: fieri enim inde vt Deo cui, nihil potest esse futurum aut præteritum, præsentes ab æterno sint, ac proinde cognoscibiles. Lubet
„ apponere illius verba. Causæ quædam sunt ex quibus ne-
„ cessariò sequitur effectus, quæ impediri non possunt: &
„ in istis causis habet causatum esse certum & determina-
„ tum; adeò quòd potest ibi demonstratè sciri, sicut est or-
„ tus solis & eclipsis & huiusmodi..... Sed quædam causæ
„ sunt quæ se habent ad vtrumlibet: & in istis causis effe-
„ ctus de futuro nullam habet certitudinem vel determina-
„ tionem: & ideò contingentia ad vtrumlibet nullo modo
„ cognosci possunt. Sed quando iam efficiuntur in rerum
„ natura tunc habent in seipsis esse determinatum: & ideo
„ quando sunt in actu certitudinaliter cognoscuntur, vt pa-
„ tet in eo qui videt Socratem currere; quia Socratem cur-
„ rere dum currit necessarium est, & certam cognitionem
„ habere potest. Dico igitur quod intellectus diuinus intue-
tur

tur ab æterno vnumquodque contingentium, non solùm „ prout est in causis suis; sed prout est in esse suo determi- „ natum, *ac deinde*. Quia cognitio Dei æternitate mensura- „ tur, quæ eadem manens omni tempori præsens est; ideo „ vnumquodque contingentium videt prout est in suo actu. „

ad secúdum.

Ex illis verbis in hunc modum argumentor. Quando S. Thomás concedit effectus necessarios præsciri posse in suis causis vt futuros, vel separat huiusmodi causas à diuina voluntate ac decreto concurrendi cum ipsis earum naturæ accommodato, vel non: Si primum, falsum est effectus illos cognosci posse in suis causis, quippe quæ secluso tali decreto nihil operaturæ sunt: Si secundum, ergo dum negantur effectus contingentes posse similiter in suis causis cognosci, debent hæ quoque sumi prout substant diuinæ voluntati, ac decreto concurrendi iuxta ipsarum naturam (Esset enim ridiculum ita distinguere causas necessarias à contingentibus, quòd illæ diuino decreto coniunctæ manifestent suum effectum; istæ verò à diuino decreto separatæ non manifestent) Ergo voluntas illa & decretum spectans ad causas contingentes, non inuoluit vllam prædefinitionem futuri actus: quòd euidentissimum sit in huiusmodi causis, cum antecedenti Dei prædefinitione coniunctis, effectum prædefinitum certissimè cognosci posse vt futurum.

Voluntas concurrendi cum causis liberis apud S. Th. non potest esse prædefinitiua.

Præterea quomodo ex necessitate atque infallibilitate diuinæ præscientiæ respectu contingentium, non violetur eorum libertas & contingentia, non aliter explicat S. Thomas, quàm quia actus diuinæ cognitionis transit su- „ pra contingens etiam si futurum sit nunc, SICVT TRAN- „ SIT VISVS NOSTER SVPRA IPSVM DVM EST Et quia omne „ quod est, quando est necesse est, quod tamen absolutè „ non est necessarium; ideò dicitur quòd in se considera- „ tum est contingens; sed relatum ad Dei cognitionem est, „ necessarium: quia ad ipsam non refertur nisi secundùm „ quod est in esse actuali: & ideo simile est sicuti si ego vide- „ rem Socratem præsentialiter currere. Vnde bona est di- „ stinctio de necessitate consequentiæ, non consequentis, „ conditionata non absoluta. At nonne falsa est atque illu- „

Ibib. ad tertium.

soria comparatio illa diuinæ cognitionis & visus nostri, si sit vlla prædefinitio quæ diuinam cognitionem trahat? An transit eodem modo supra contingens ea cognitio cui pontem fecit decretum antecedens, quo visus, qui solâ obiecti presentiâ nititur? Ecquid habet momenti ratio, quâ ideo negatur obiectum contingentiam amittere, quia etiamsi fiat necessarium dum refertur ad diuinam præscientiam, non refertur tamen nisi secundùm quod est in esse actuali: & quia illæsâ contingentiâ omne quod est, quando est, necesse est esse? Si enim hæc est prima radix illius necessitatis, quia omne quod est, quando est, necesse est esse, vt possit dici necessitas quam ipsa rei existentia & præsentia facit; benè habet: sed tunc nullus prædefinitioni locus est. Quòd si non est illud primum huius necessitatis principium; nec ideo tantùm necesse est id quod dicitur contingens esse, quia est; sed quia est antecedenter & efficaciter prædefinitum vt esset, decreto insuperabili; quomodo saluabitur contingentia? Et quo fundamento dicetur non referri ad diuinam cognitionem nisi secundùm quod est in esse actuali, cum referatur etiam secundùm quod est in esse volito antecedenter & prædefinito? Et quid habet hoc commune cum visu *quo ego video Socratem præsentialiter currere?* Quomodo demum non est hæc necessitas consequentis, & non tantùm consequentiæ, si consequens non facit illam, sed trahit ex antecedente quod independens ab illo est, nimirum ex prædefinitione?

S. Thomas non agnoscit aliam liberorum actuũ necessitatẽ quam ab ipsa libertate pendentem.

Explicat id ipsum ampliùs. S. Thomas in solutione quarti argumenti, vbi semper supponit necessitatem quam res futura deriuat ex necessitate præscientiæ, in actualem ipsiusmet rei existentiam ac præsentiam refundi: „ ideoque non tollere contingentiam. Et ideo, *inquit*, aliter „ dicendum est, quòd antecedens est necessarium absolutè, „ *nempe Deus præscit Socratem currere*, tum ex immobilitate „ actus: tum etiam ex ordine ad scitum: quia ista res non „ ponitur subiacere scientiæ diuinæ, nisi dum est in actu se- „ cundùm quod determinationem & certitudinem habet. „ Ipsam enim necesse est esse, dum est: & ideo similis neces-

ſitas eſt inferenda in conſequente, *Ergo currit*, vt ſci- „ licet accipiatur ipſum quod eſt Socratem currere, ſecun- „ dùm quod eſt in actu: & ſic terminationem & neceſſita- „ tem habet. Vnde patet, quòd ſi ſumatur Socratem curre- „ re ſecundùm hoc quòd ex antecedente ſequitur, neceſſi- „ tatem habet. Non enim ſequitur ex antecedente niſi „ ſecundùm quòd ſubſtat diuinæ ſcientiæ, cui ſubijcitur „ prout conſideratur præſentialiter in ſuo eſſe actuali: vnde „ etiam ſic ſumendum eſt conſequens: quo modo patet „ quod conſequens neceſſarium eſt. Neceſſe enim eſt So- „ cratem currere dum currit. Quæ verba hunc ſenſum „ perſpicuè reddunt, Rem quamlibet v. g. Socratis curſum dum actu eſt, certitudinem ac determinationem habere, eo quod omne quod eſt quando eſt, neceſſe eſt eſſe: inde fieri vt ſit etiam pariter neceſſaria illius præſcientia in eo intellectu quem nihil vnquam latere poteſt eorum quæ in aliqua temporis differentia exiſtunt: Eſſe igitur neceſſarium præſciri curſum Socratis. Rurſus quia ex neceſſitate ac veritate ſcientiæ neceſſariò ſequitur veritas ac neceſſitas quædam rei ſcitæ, indidem ſequi neceſſariò Socratis curſum: & ſequelam eſſe bonam cùm dicitur, ſi præſcitur Socrates currere, currit: Neque tamen deſinere contingentiam habere curſum hunc: quòd hæc neceſſitas veluti circulo quodam ab eodem in idem redeat. Præſcientia enim illam tantùm reddit curſui Socratis qui ex ipſa infertur, quam ab eodem accepit, vel quam in eo ſuppoſuit; quòd ideo tantùm neceſſe fuerit præſciri curſum Socratis, quia neceſſe eſt ipſum currere, dum currit. Hæc eſt germaniſſima D. Thomæ ſententia, quæ tota ſupponit manifeſtè nullam eſſe prædefinitionem in qua neceſſe ſit præſciri rem futuram. Id quod ex alijs quoque locis confirmari poteſt. Et eſt notandum quod TViſſius dicit; Didacum Aluarem in proponenda D. Thomæ ſententia, illam *obliquaſſe*, *& humani aliquid paſſum*: quanquam pro ſua erga illum Auctorem beneuolentia, lapſum hunc memoriæ malit adſcribere, quam fidei: quem ipſe quoque vt in imitanda claudicatione amicitiam probaret ſimili lapſu ſequutus eſt. Negat enim

1. p. q. 14. ar. 13 ad ſecundùm. 1 con. gent. cap. 67. in ſolutione tertij. q 2. de ver. ar 12 &c. à Tuiſſius l. 1. p. 122.

Didacus Aluarez non satis fideliter refert testimonia S. Th. Iudice Tuissio. pag. 150.

hîc loci hunc in Aluare næuum aduertisse Pennotum; quem tamen postea dicentem refert, Omnia loca quæ afferuntur ex D. Thoma ad probandum Deum cognoscere futura vi prædefinitionis aut prædeterminationis, esse corrupta.

Atque ex his liquet iam inde ab infima ætate Christianismi vsque ad tempora Scholasticorum persuasum esse dari futurorum præscientiam ab eorum prædefinitione independentem: vt ideo necesse sit sententiam illam quæ docet futura etiam conditionata ideo sciri à Deo quia sunt ab eo definita, eâque ratione prædictam Ceilitarum à Dauide ad Saülem defectionem, exoticam esse, atque ab antiquo Christianorum sensu alienam, quod maximè probandum erat. Restabat illa etiam cauillatio excludenda, cùm dicunt, Patres non negare prædefinita esse à Deo ea quæ mala sunt; sed tantùm esse prædefinita vt mala; sed hoc postea opportuniùs præstabitur.

infra cap. 5. § 3.

CAPVT IV.

Secundum argumentum de futura ex hypothesi Tyriorum & Sidoniorum pœnitentia proponitur.

Math. 11. v. 21.

XLVII.  ECVNDVM argumentum pro scientia media sumi solet ex Christi verbis illis *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quo in loco cùm afferatur à Christo futura Tyriorum & Sidoniorum pœnitentia quæ nunquam fuit; restat vt fuerit tantùm conditionatè futura: atque adeo beneficio scientiæ mediæ præscita; quod etiam significatur de quadam Sodomitarum pœnitentia pariter

ib. v. 23.

futura, cùm dicitur ad Capharnaum. *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te; forte mansissent vsque in hunc diem.*

§. I.

Prima solutio, de decreto antecedente futuram conditionatè pœnitentiam illam, reijcitur.

OMissis eorum responsionibus qui verbis illis negant significari pœnitentiam reuera futuram conditionatè; sed tantùm maiorem aliquam in Tyrijs ac Sidonijs, item etiam in Sodomitis dispositionem ad illam: vel, esse hanc locutionem figuratam, & Christum more hominum loqui vt exaggeret præsentem Iudæorum obstinationem: vel, esse coniecturales tantùm enuntiationes, quibus non tam asseratur quod reuera futurum est; quàm quod aptius conjici potest; in quibus responsionibus TVissius significat se non acquiescere, illis, inquam, omissis, tres ipse alias proponit.

Concedunt Aduersarij certam de futura Tyriorū pœnitentia cognitionem in Deo.

l. 3. pag. 426. & seq.

XLVIII. Prima est, esse diuinum aliquod decretum de danda Tyrijs & Sidonijs pœnitentia, ratione cuius illa & certò futura ex hypothesi & scibilis à Deo sit: hanc autem scientiam non esse mediam, quia tametsi per illam sciatur futurum conditionatum, non tamen antecedenter ad diuinum illud decretum, quod excludit scientia media. Solutionem hanc TVissius explicat libro primo, vbi cum hæc Pennoti verba retulisset, *dici potest Christum cognouisse illos acturos pœnitentiam in decreto quo decreuerat illos prædeterminare*, subdit, Imò, *inquam*, non modo hoc „ dici potest, sed & cum Pennoto dici potest, Christum ne „ potuisse quidem cognouisse illos, *Tyrios & Sidonios*, Pœ- „ nitentiam acturos nisi in decreto saltem tanquam in causa „ partiali. Etenim ipse Pennotus iam professus est, diuinum „ decretum esse rationem sine qua non cognoscendi omnia „ futura contingentia, siue illa pendeant ex sola diuina vo- „ luntate, siue ex alijs causis. Addit hoc ipsum non modò „

cap. 28. pag. 18.

cùm Pennoto, ſed & cum Auguſtino dici poſſe, dum ait neminem ad Chriſtum venire niſi ei datum fuerit à Deo. *Vnde enim*, inquit Tuiſſius, *cognoſceret Deus dona ſua futura, ſi non ex decreto conferendi dona ſua?*

ib. pag 182.

Nullo decreto præcedi futurã conditionatè Tyriorũ pœnitentiam. ſuprà cap. 3 § 1. n. 21.

Hanc ſolutionem impugno primum vt repugnantem ipſius TViſſij ſententiæ illi, quâ negat eſſe in Deo decretum aliquod ex parte obiecti conditionatum, vt antea retulimus in ſolutione prioris argumenti. Hoc enim decretum, de danda Tyrijs efficaci gratia non poteſt aliud eſſe, vt per ſe patet, quàm ex partè obiecti conditionatum.

2. Impugno vllam vt imponentem Pennoto, non ſolum quod ille numquam dixit; ſed etiam cuius contrarium ſemper dixit, & quidem apertè. Nam cùm dicit Pennotus diuinum decretum eſſe rationem ſine qua non cognoſcendi omnia futura contingentia, loquitur de futuris tantùm abſolutis, & de illa cognitione quæ dicitur ſcientia viſionis. Hæc enim ſunt illius verba libro tertio cap. 22. vbi nondum agere cœperat de futuris conditionatis, de quibus diſputare incipit tantùm cap. 25. ſuamque ipſe mentem explicat diſertè capite illo 23. cum dicit. „ Ita præciſo eodem decreto nullum futurum contingens „ habere poſſet rationem obiecti intelligibilis PER SCIENTIAM VISIONIS de qua modò eſt quæſtio. *Et deinde cap.* 28. „ Secunda propoſitio, Scientia futurorum contingentium „ conditionatorum non ſupponit in Deo liberum decretum „ prædeterminandi phyſicè cauſas illorum contingentes ad „ productionem talium futurorum: ſed omne tale decre„ tum, & quodcumque aliud decretum liberum actu exi„ ſtens in Deo, antecedit. Quis non hic miretur frontem TViſſij, Nam quòd non eadem ſit ratio quoad hoc liberorum actuum abſolutè & conditionatè futurorum: nec conſequi, vt ſi prærequiratur decretum abſolutè futuris, ſit etiam neceſſarium futuris conditionatè; cæcutiat oportet, ſi quis dubitet. Nullum enim eſt futurum abſolutè quod non ſupponat cauſam vel exiſtentem abſolutè vel futuram: neque vlla talis eſt cauſa quæ vel ipſa non ſit à Deo ſolo, vel non reducatur in aliquam quæ à Deo ſolo ſit. Quod autem ita pendet à Deo, neceſſe eſt vt ipſius

Nihil eſt futurum abſolutè niſi dependenter ab aliquo Dei decreto ſecus de futuro conditionatè.

efficaci & absoluta voluntate decernatur. Aliter enim vt nec esse, ita nec sciri absolutè potest. At quod est futurum conditionatè, supponit tantùm causam conditionatè futuram: Et quia causam esse conditionatè futuram vix est aliud quàm esse possibilem (Idem enim est dicere, possibile est creari à Deo talem voluntatem & in talibus circunstantijs poni, & futurum est, si Deo placeat, vt talis voluntas creëtur & in talibus circumstantijs ponatur) ideo nihil aliud requiritur ad hypotheticam futuritionem illius causæ, quàm quod requiritur ad possibilitatem: Atqui ad possibilitatem nullum requiritur decretum actu existens: Ergo neque ad futuritionem illam hypotheticam.

§. II.

Augustino perperam tribuitur illa solutio.

XLIX. EADEM vel fraude vel inscitiâ solutionem hanc Aduersarius tribuit Augustino, quòd dicat neminem ad Christum venire nisi ei datum fuerit à Deo: & dum de Tyrijs agit atque Sidonijs, *Audiunt enim hæc*, inquit, *& faciunt quibus datum est; non autem faciunt siue audiant siue non audiant quibus datum non est.* Quæ verba iudice TVissio significant Deum habere decretum hoc, volo vt si Tyrijs ac Sidonijs proponatur Euangelium miraculis confirmatum, illi consentiant. Apage verò tam inuerecundum interpretem. Quid enim adeo peruersum adeoque alienum à veritate, quod non isto modo colligatur ex Augustino? Et quodnam quæso in illis verbis istius decreti vestigium apparet? Nempe, inquit TVissius, quia significat Augustinus causam futuræ pœnitentiæ Tyriorum, esse donum Dei, cum ait, *audiunt hæc & faciunt quibus datum est*: nec aliter potest Deus præscire dona sua, quam ex decreto conferendi illa. Vult itaque ad Tyrios pertinere illud *quibus datum est*: ac proinde pertinere etiam decretum dandi ex quo præsciatur futura ipsorum sub conditione pœnitentia.

l. de bono perse. cap. 14.

Nullum ex Augustino decretum dandi Tyrijs vel vt crede rent, vel vnde crede rent.

Sed quid si Auctore Augustino illud *quibus datum est*, nullo modo ad Tyrios pertinet, sed potius eius contrarium? En tibi Augustini mentem perspicuis expressam „ verbis hoc ipso in loco. Hæc prædestinatio sanctorum „ nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio be„ neficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicum„ que liberantur. Cæteri autem, vbi nisi in massa perditio„ nis iusto Dei iudicio relinquuntur? vbi Tyrij relicti sunt „ & Sidonij: qui etiam credere potuerunt, si mira illa Chri„ sti signa vidissent. Sed quoniam vt crederent NON ERAT „ EIS DATVM ETIAM VNDE CREDERENT EST NEGATVM. Videsne Tyrijs vtrumque negatum, & vt crederent, & vnde crederent iuxta Augustinum? ac proinde si ex eo tantùm quòd aliquid *datum* sit, arguatur id ipsum esse decretum; nullum superesse illius decreti argumentum? Futura, inquit, erat Tyriorum pœnitentia: & non poterat esse futura nisi ex dono Dei: neque hoc donum esse nisi esset decretum dandi. Erat futura conditionatè Tyriorum pœnitentia, concedo: & non poterat esse ita futura nisi ex dono & decreto Dei præsenti & existenti actu & absolutè, nego: Ex dono & decreto possibili & ponendo pro Dei libertate, concedo. Iam enim sæpè dictum est, futurum absolutè postulare causam vel existentem absolutè vel futuram: futurum autem conditionatè postulare tantùm causam aut possibilem aut conditionatè tantùm futuram, vt ex illius hypothesi sequuturum affirmetur.

Hypothesis seu conditio ex qua dicitur aliquid liberè futurum non inuoluit prædefinitionem.

Neque tamen id ita intelligo, vt in hypothesi ex qua dicitur aliquid futurum conditionatè, inuolui putem decretum prædefiniens id quod sequuturum dicitur. Hoc enim modo tam futura conditionatè diceretur Iudæorum pœnitentia, quàm Tyriorum. Tam, inquam, vera fuit ab æterno conditionalis ista, si proponatur Euangelium Iudæis confirmatum miraculis, cum prædefinitione pœnitentiæ ipsorum, futura est talis pœnitentia; quàm hæc alia, si proponatur similiter Tyrijs cum simili prædefinitione pœnitentiæ, pœnitentia hæc futura est. Vnde vt non sit futurum in Iudæis quod dicitur futurum in Tyrijs, necessarium est vt hypothesis ex cuius conditione dicitur

citur aliquid futurum, non inuoluat decretum prædefiniens id quod futurum est. Est igitur illud decretum quod supponi debet, decretum ponendi causam liberam in certis circunstantijs, & si quidem agitur de actu supernaturali, dandi illi gratiam similiter supernaturalem, & exhibendi concursum accommodatum illius exigentiæ. Totum illud inuoluitur in antecedente propositionis conditionalis quâ enuntiatur aliquid futurum, & eo posito futurum est in vno; eodemque iterùm posito futurum non est in alio. Tyriorum, inquam, futura pœnitentia ex hoc antecedente consequitur, si Deus decernat vt fiant coram Tyrijs miracula in confirmationem fidei, & decernat etiam exhibere illis concursum suum accommodatè ad eorum libertatem; futurum est vt eos pœniteat suorum peccatorum. Iudæorum verò non futura pœnitentia hoc ipsum antecedens supponit, si Deus decernat vt fiant coram Iudæis miracula in confirmationem fidei, & decernat etiam exhibere illis concursum suum accommodatè ad eorum libertatem; futurum est vt eos non pœniteat suorum peccatorum. Atque ita semper id quod futurum dicitur, si quidem ad salutem pertinet, ex decreto Dei & dono siue gratia dicitur sequuturum: sed alio atque alio modo. Nam si est futurum tantùm conditionatè, asseritur sequuturum ex decreto & dono seu gratia quæ esset; si verò est futurum absolutè, sequuturum asseritur ex decreto quod est, & ex dono & gratia quæ vel est etiam, vel erit absolutè.

Quale igitur decretum inuoluat?

Idem decretum & pro non operaturo.

L. Atque in eo manifestè apparet duplex error Semipelagianorum circa vsum scientiæ mediæ, à quibus & S. Augustinus & hodierni scientiæ mediæ Assertores procul absunt. Nam primò merita illa quæ à Semipelagianis dicebantur sub conditione futura, non dicebantur esse futura sub conditione gratiæ: quippe quæ non inuoluebatur in suppositione ex qua merita dicebantur sequutura. Constat enim tum alijs ex locis, tum maximè ex literis Prosperi atque Hilarij ad Augustinum, & ex responsione Augustini ad easdem literas in libris de Prædestinatione Sanctorum, & de Bono perseuerantiæ, in eo illos à Pelagio

Semipelagianos merita conditionatè futura credidisse à diuina gratia independentia.

recessisse, quòd gratiam esse necessariam prædicarent ad perficiendum salutis opus: non autem ad inchoandum: illam enim gratiam præueniri fidei quibusdam initijs, atque aliquo nisu ac desiderio nostræ voluntatis, cui natura ipsa per se sufficeret. Et quia statim opponebatur instantia paruulorum, quorum alij saluantur nullo præuio voluntatis exercitio, ac proinde nec merito; alij relinquuntur in massa damnationis: recurrebant illi ad præscientiam eorum quæ facturi erant si viuere finerentur. Hoc est ad merita bona & mala conditionatè futura. Cumque, *inquit Prosper*, innumerabilium illis multitudo obijcitur paruulorum, qui vtique originali peccato sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur: vt ante discretionem boni & mali, de vsu vitæ istius auferendi alij per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes: alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores; tales aiunt perdi talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit. Hic autem recursus esset ridiculus, si non putassent bona illa merita conditionatè futura in his qui morte præoccupantur, ita esse à Dei auxilio independentia, quo modò esse putabant in his *qui tempus accipiunt liberæ voluntatis*, vt idem Prosper loquitur. Et hoc confirmatur ex eo quod dicit Augustinus in Epistola ad Sixtum Mirum autem cum his coarctantur angustijs, in quanta se abrupta præcipitent metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat: quia eorum futura opera præuidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? *Et mox*, Vbi nunc merita? vbi opera vel præterita vel futura, TANQVAM EX LIBERI ARBITRII VIRIBVS ADIMPLETA, VEL ADIMPLENDA? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratiæ hoc est veræ gratiæ commendatione sententiam? Vides vt merita illa Semipelagianorum quæ non nisi conditionatè præsciebantur futura, oriunda fuerint ex viribus liberi arbitrij,

non ex gratia? Patet hoc etiam ex libro de prædest. SS. cap 18.
Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent sancti & „
immaculati PER LIBERÆ VOLVNTATIS ARBITRIVM: & „
ideo eos ante mundi constitutionem in ipsâ suâ præscien- „
tiâ, quâ tales futuros esse præsciuit, elegit. Nam cùm „
non aliter Semipelagiani à Pelagio differrent; quàm quia id quod iste dicebat de toto salutis negotio, id illi de initio saltem verum putarent; fatendum est illam quam causabantur præscientiam meritorum; fuisse præscientiam meritorum à liberæ voluntatis arbitrio dependentium, gratiâ seclusâ. Atque hunc errorem Augustinus refutat communibus principijs, quibus nullum in nobis bonum esse conuincitur, quod quidem conferat ad salutem, nisi ex dono & gratia Dei.

Semi-Pelagiani meritis conditionatè futuris debeϱi volebant præmium existens absolutè.

LI. Secundus error Semipelagianorum erat, merita illa conditionatè tantùm futura mouere Deum ad actualem gratiæ concessionem: quod est, causam absolutè nunquam existentem, effectum exigere atque producere qui absolutè sit. Quod quia ne philosophiæ quidem elementa vt dicatur permittunt, Augustinus vt ineptum reijcit Iu-
dicare autem, *inquit*, quenquam, non solum secundùm „
merita quæ habuit quandiu fuit in corpore, sed secun- „
dùm merita quæ habuisset si diutius fuisset in corpore; „ de præd. SS. c. 12.
vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non „
esse contemptibilia vestræ indicant literæ, mirans & stu- „
pens reperire non possum: nec credere auderem nisi vo- „
bis non credere non auderem, *& postea*. Sed quia homi- „
num futura, quæ non sunt futura, procul dubio nulla „
sunt merita, & hoc videre facillimum est: ideo nec Pela- „
giani hoc dicere potuerunt: & multò magis nec isti dice- „
re debuerunt. Huic autem rationi authoritatem iungit „
Augustinus, & instantiam opponit ex præscita conditionatè Tyriorum ac Sidoniorum pœnitentiâ, in qua cernere licet causam illam dandæ absolutè gratiæ quam Semipelagiani prætexebant, suo tamen effectu destitutam: vt hinc appareat nequaquam esse idoneam istius effectus causam. Atque hoc argumentum vrget in libro de bono Cap. 9.
perseu. Sed nunquid possumus dicere etiam Tyrios & „

„ Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse; cum eis Dominus attestetur quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum? Et tamen in die iudicij punientur.... Porro si etiam secundùm facta quæ facturi essent si viuerent, homines iudicantur; profectò quia fideles futuri erant isti, *Tyrij*, si eis cum tantis miraculis fuisset Euangelium prædicatum, non sunt
cap. 10. „ vtique puniendi. Punientur autem. *Et deinde*, Nullus bonus iudicatur ex bonis seu malis quæ fuerat si non moreretur acturus: alioqui Tyrij & Sidonij non secundùm ea quæ gesserunt pœnas luerent; sed potius secundùm ea quæ gesturi fuerant, si in eis illæ virtutes euangelicæ factæ fuissent, per grandem pœnitentiam & per Christi fidem consequerentur salutem.

Vult igitur Augustinus suppositâ illâ bonorum malorumue meritorum conditionatâ præscientiâ, Deo liberum omnino esse de rebus ipsis statuere: atque adeo conditionem illam absolutè ponere aut non ponere, ex qua præsciebantur sequutura. Et quia hoc liberum est, pro sua illa libertate Deum Tyrijs absolutè negasse hypothesim quâ sciebat ad pœnitentiam inducendos: eandem autem absolutè concessisse Iudæis, quamuis sciret non inducen-
ib. cap. 9. dos. *Si quæratur à nobis*, inquit, *cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes ea non fuerant credituri, & apud eos facta non sint qui crederent si viderent; quid respondebimus?* Et ostendit non valere hîc responsum quo erat ipse vsus ad sex quæstiones paganorum, cùm diceret, promulgatum Euangelium vbi & quando præsciebat Deus esse qui crederent: non esse autem promulgatum vbi nulli credituri præscirentur. Hæc certè, *inquit*, de Tyro & Sidone non possumus dicere: & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio tunc ista respondere me dixi. Latenti nimirum Dei iudicio, sed tamen iusto, adscribendum censet, quòd Tyrijs negata sit absolutè conditio illa ex qua sequutura erat eorum pœnitentia, vt mox explicat cùm dicit. Cæteri autem vbi

nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur? „
vbi Tyrij relicti sunt atque Sidonij.... Sed quoniam vt „
crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est „
negatum. Vt autem hoc ad iudicium ita & ad misericordiam pertinere significat, quod eadem conditio absolutè decernatur in fauorem eorum quibus profutura præscitur, subdit enim. Ex quo apparet habere quosdam in ipso »
ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo »
moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel au- »
diant verba, vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altio- »
ri iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestina- »
tione discreti; nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina vel »
facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia »
vel viderent. En vt decretum ponendi hypothesim quæ »
per scientiam conditionatam præscitur efficax ad fidem eliciendam, vocatur ab Augustino *prædestinatio gratiæ*: nempe quia eâ ratione datur hominibus *vnde credant*, hoc autem ideo datur, quia *Dei prædestinatione*, hoc est efficaci intentione *datur eisdem vt credant*. Vt paulo ante significauit Augustinus hîs verbis, *quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum*. Hîc enim valet argumentum à contrario: & quod negatum est Tyrijs ex Augustino; hoc illud est beneficium quod confertur prædestinatis. Cum ergo suppositâ eorum cognitione quæ futura erant Tyrijs salutaria, neque illis datum sit vt crederent decreto prædefiniente ipsorum fidem: neque *vnde crederent* decreto statuente positionem eorum ex quibus sequutura erat illa fides; restat vt hoc sit prædestinatorum beneficium, atque etiam eorum qui efficaciter vocantur ad fidem, quòd suppositâ eorum cognitione per quæ infallibiliter inducendi sunt ad fidem; & datur illis vt credant voluntate fidem prædefiniente: & vnde credant voluntate prædefinitionem illam exequente per ea media quæ conditionatè præsciuntur efficacia. Vnde patet, & nonnullum fuisse vsum scientiæ conditionatæ apud Augustinum, in tradenda prædestinationis ac gratiæ doctrina: & Suarianam in hoc apice Theologiam adeo illi esse conformem, vt Augustiniana dici possit.

Suarez Augustino apprimè consentit circa vsum scientiæ mediæ in electione saluandorum.

Iam verò hinc facilè colligitur id cuius gratia hæc disseruimus, extare quidem apud Augustinum decretum negatiuum de non ponendis medijs quibus Tyrij præsciebantur ad fidem & pœnitentiam inducendi; affirmatiuum autem quo fides illa & pœnitentia fieret sub conditione futura, apud illum nusquam legi.

Non fuit cognitum Augustino decretum scientiæ conditionatæ præuium.

LII. Hoc verò iterùm confirmatur. Quia cum Semipelagiani non aliâ de causa recurrerent ad merita illa conditionatè futura, quàm vt haberent quod diuinæ gratiæ præmitterent in paruulis, qui recentes à baptismi sanctificatione morte præueniuntur; nihil erat magis obuium Augustino quàm opponere; ne illa quidem merita esse à præsenti Dei gratia independentia, postquam non poterant aliter esse futura etiam conditionatè, quàm vi præsentis decreti, quod & gratuitum esset, & salutare: hæc autem cogitatio nunquam occurrit Augustino; quia scilicet tale decretum fuit illi prorsus incognitum.

Altera eiusdem coniectura.

LIII. Atque hoc demum confirmatur ex eo quod infert Augustinus ex futura illa Tyriorum & Sidoniorum „ pœnitentia, cùm dicit, Ex quo apparet habere quosdam „ in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, „ quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel „ audiant verba, vel signa conspiciant. Esset enim absurda illa deductio, si non aliter fuit futura Tyriorum pœnitentia, quàm vi præsentis decreti. Quare enim tribuas eorum docilitati, quod non nisi Deo efficaciter decernente fuere facturi? Et quare quidam tantùm dicuntur hoc modo naturaliter dociles, cùm nulli sint qui non tali quodam decreto præuenti, similiter sint parituri? Quare demum apponitur conditio illa, *si congrua*, &c. cum fieri non possit vt non sint congrua quæcumque aptantur illi decreto?

Decretum, inquis, Dei supponebat peculiarem Tyriorum dispositionem. At non sentis te diuinando ac temerè id asserendo cuius nulla sit coniectura, in eam relabi sententiam quam maximè velis fugere: ac Semipelagianum subolere cum dicis, naturalem quandam esse dispositio-

nem in hominibus, cui deceat decreta dandi vel denegandi gratiam conformari?

§. III.

Eadem solutio ipsi Christi sententiæ repugnat.

LIV. RESTAT vltimum argumentum, ad impugnandum decretum præsens circa futuram conditionatè Tyriorum ac Sidoniorum pœnitentiam; quòd ex ipsa Christi sententia verbis illis expressa *væ tibi Corozain* &c. manifestè colligitur: cùm constet esse illam exprobrationem quandam præsentis Iudæorum obstinationis, collatæ cum futura Tyriorum & Sidoniorum obedientia. Perspicuum enim est insulsas esse ac rationis expertes increpationes eiusmodi, nisi supponatur par facultas in ijs quorum dispares sunt effectus. Quis enim audeat vel Tyrannus, obiurgare compeditum, quod cursu minimè assequatur illum qui solutus est? Quis luscum, quod à Lynceo superetur in distinguendis visu formis? Quis solitarium, quod eius operas non adæquet qui comitem habet & adiutorem? Hoc autem fecerit Deus, si decreto suo futuram reddiderat Tyriorum pœnitentiam: eritque vera illius increpationis germanaque interpretatio, *væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia ego decreui vt esset futura Tyriorum pœnitentia, si mea doctrina hæc quæ à te reijcitur ijsdem miraculis confirmata illis proponeretur.* Quis autem non intelligit iustissimam fore Iudæorum excusationem, si respondeant, se quoque fuisse ad pœnitentiam adducendos, si ea fuisset simili decreto prædefinita? Iniquum autem esse ac prorsus alienum, non solum à Diuinitate, sed & ab ipsa humanitate, ipsis vitio verti, quòd idem non præstiterint quod ij, qui præ ipsis omnipotenti decreto adiuti sunt?

Ex æquitate diuinæ increpationis refellitur decretum futuræ Tyriorum pœnitentiæ præuium.

LV. Et quod responderi posset, inexcusabiles adhuc esse Iudæos, quòd præcedentibus suis peccatis diuinum illud beficium impedissent, quod erat Tyrijs conferendum; nec ipsi TVissio probatur cum dicit. Qui fingunt »

pag. 184.

» Iudæos maiora impedimenta opposuisse diuinæ gratiæ, » quam Tyrios; suo commento placeant ipsi sibi: non equi- » dem inuideo, miror magis tam inertibus speculationibus » eruditos aliquos applaudere. Ego verò etiam laudo huius hominis candorem: neque negare possum quin aliquando & verè loquatur & consequenter. Nam quâ specie veri dicerentur maiora fuisse Iudæorum peccata quàm Tyriorum, qui iacebant in profundo idololatriæ, ipsâque etiam suorum numinum religione impellebantur ad omnem lasciuiam, cultores scilicet veneris, in quos caderet illud Cypriani, *fiunt & miseris religiosa delicta?* Et vt peiores Tyrijs supponerentur Iudæi ante hanc in Christum contumaciam, num etiam & Sodomitis, quorum futuram pariter pœnitentiam illis exprobrat Christus? Deinde istorum decretorum fabri meminisse debent ea dici antecedere præscientiam boni vel mali vsus liberi arbitrij, ne sit aliqua, ex parte hominum, diuinæ gratiæ caussa. Alia igitur solutio quærenda est Aduersarijs.

Nulla est Iudæorum excusatio ex eo quod Deus daturus fuerit gratias cõgruas Tyrijs cum daret ipsis incongruas.

LVI. Sed & nobis quærendam TVissius contendit, retorto in eam sententiam argumento quæ gratiæ congruæ atque incongruæ distributionem pro Dei arbitrio docet; Iudæos nimirum expostulaturos quòd eis gratia congrua negata fuerit, quam Tyrij tamen erant accepturi. Verum aërem verberat TVissius, quòd non intelligat quid ipsi de gratia congrua sentiamus, quatenus illa cum efficaci conuertitur. Negamus scilicet vllam esse congruam independenter à libero voluntatis vsu saltem sub conditione præuiso: ac proinde locus obiurgationi relinquitur Iudæorum per comparationem ad Tyrios, estque vera hæc illius interpretatio, *Væ tibi Corozain quia tu voluntariâ obstinatione inefficacia reddis atque incongrua media illa, quæ si Tyrijs atque Sidonijs fuissent concessa, futurum erat vt ea illi pro sua libertate congrua & efficacia redderent.*

Quod gratia sit effectum habitura tribuendũ esse aliqua ex

LVII. Et si quis obmurmuret, quod in constituenda diuinæ gratiæ congruitate illa partes esse aliquas dicamus creatæ libertatis; Augustinum appellet, cuius est illa vox » ad Simplicianum, Vt velimus & suum esse voluit & no- » strum: suum, vocando; NOSTRVM SEQVENDO. *Et illa in libro*

libro de natura & gratia. Qui Christum sequitur, potest » parte
interrogatus cur esse voluerit Christianus? respondere, » create
VISVM EST MIHI: quod cum dicit non negat Deo visum. » volunta-
Et illa ad Bonifacium, Scriptum est, non volentis neque » ti docet
currentis sed miserentis est Dei; non quia nullus est ho- » Augusti-
minis atque voluntatis cursus: *vel, vt quidam codicem ha-* » nus
bent, concursus; sed quia nihil potest nisi ille misera tur. » quæst. 2. l. 1. cap 63.
Item, Dictum est ab Apostolo, non ego sed gratia Dei » Ep. 106.
mecum: non quia ipse nihil boni agebat; sed quia nihil »
ageret, si illa non adiuuaret. *Et illa in libro de bono perseu.* »
Vtrumque nostrum est, *credere ac bene operari*, propter »
arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per »
spiritũ fidei & charitatis, *Iterum* vtrumque ipsius est quia »
ipse præparat voluntatẽ; & vtrumque nostrum, quia non »
fit nisi volentibus nobis. *Et illa in libro de spiritu & litera*, » cap 3. &
Visorum suasionibus agit Deus siue extrinsecus siue intrin- » 1 Re-
secus.... Sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis » tract. c. 23.
est. *Iterum*. Profecto & ipsum velle credere Deus operatur » cap. 34.
in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: »
consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut »
dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solum non in- »
firmat quod dictum est, quid habes quod non accepisti; »
verum etiam confirmat. Accipere quippe & habere ani- »
ma non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentien- » 12. de
do. *Et illa in illud Psalmi* 45. In Deo laudabo sermones » Ciu. c. 6.
meos. Si in Deo quare meos? Et in Deo & meos. In Deo »
quia ab ipso; meos quia accepi. *Et illa de duobus æqualiter* »
tentatis æqualiterque adiutis, Quid aliud apparet nisi alte- »
rum voluisse alterum noluisse à castitate deficere? Vnde »
nisi propria voluntate? *Et illa in libro de peccatorum meri-* » cap. 5.
tis & remissione. Nec ideo tamen de hac re solis verbis »
agendum est, vt non subinferatur adnitendo etiam no- »
stræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noster Deus di- »
citur; nec adiuuari potest nisi qui aliquid sponte conatur. »
Quia non sicut in lapidibus insensatis: aut sicut in eis in »
quibus natura rationem voluntatemque non condidit, »
salutem nostram Deus operatur in nobis. *Et illa ex libro de* » cap. 2.
gratia & libero arbitrio, Vbi dicitur noli hoc & noli illud: »

" & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis
" monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demon-
Tract. 4 " stratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde
" suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat. Neque cum
" aliquid secundùm Deum operatur alienet hoc à propriâ
hom 16 " voluntate. *Et illa in Ep. Ioannis*, Quod adiungis volun-
" tatem tuam Deo; castificas teipsum: castificas te, non
" de te, sed de illo qui venit vt habitet in te. Tamen quia
" agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum
" est. *Et illa ex libro 50. Homiliarum*, In tuo arbitrio Deus
" posuit cui pares locum, Deo, an diabolo: cum paraue-
De peccatorum meritis & Remiss. cap. 5 & Ep. 106. " ris; qui possidebit, ipse imperabit. Augustini quoque illa est comparatio oculi & lucis cum voluntate & gratia, quam si Pelagius admittat, tolerabilis sit cum dicit, *nobis forte ac firmum esse arbitrium ad non peccandum.*

Ijs omnibus ac similibus locis cùm liquidò constet, voluntatem creatam causam esse cur sequatur effectus gratiæ: non dico solam: non dico præcipuam: sed tamen cùm liquidò constet esse aliquam eius rei causam: neque negari possit quin ad eam quam dixi congruitatem conferat id omne quod est causa cur gratia effectum habeat; sequitur, neque negari posse voluntatem creatam pro sua libertate conferre aliquid ad efficacem gratiæ congruitatem, adeo vt illi meritò tribui possit aliquâ ratione & quod sit congrua interdum, & quod sit incongrua. Atque hoc pacto concidit TVissij conatus, propositum argumentum de Iudæorum increpatione regerentis in nos.

LVIII. Sed aliam subiungit responsionem, nobis scilicet os obstruendo, monendoque ne propositum argumentum vrgeamus, quod dictum sit ab Apostolo *homo tu quis es qui respondeas Deo*; quod ab Augustino etiam sæpe inculcatum est. Atqui hoc nihil est aliud quàm asylum quærere, ignorantiæ dicam, an errori, an licentiæ in Deum blasphemandi? Quis enim cùm illi tyrannidem affinxerit, atque insaniam, non eo se perfugio tutum credat: cum possit cõtra nitentibus opponere semper illud; *homo tu quis es qui respondeas Deo?* Nos verò Deo Pauli atque Augustini,

pag. 183. Increpatio Pauli eos tantùm petit qui iure quodã exigunt à Deo quæ indebita sunt.

hoc est Deo vero & optimo neminem esse qui respondeat ingenuè fatemur, quod ille nihil obijcere possit quod omni ratione atque iustitiâ non sit confirmatum. Deo autem quem sculpunt Caluinistæ, hoc est insipienti atque absurdo, quis non respondeat, cum id obiecerit, quod nec ratio nec sapientia obijci patiuntur? Cuius enim sapientiæ atque æquitatis est, exigere vt minor facultas maiorem æquet; & inæqualiter adiutus paria præstet fortioribus? Quid? nihil cogitari potest tam indignum Deo quod cùm quis de illo senserit, non etiam tueri possit, atque illud ingerere, *homo tu quis es qui respondeas Deo?* Sed nimirum ita oportuit consulere TVissium communi causæ Caluinistarum, quibus expedit, vt qui Deum queruntur flammis persequi ea scelera quæ ipse vt fierent decreuit: inuitare ad æternam vitam, quos priùs ab ea exclusit insuperabili voluntate: postulare vt suos gressus dirigant neque vnquam cespitent aut deflectant à via, quos priùs excæcauit & quidem ita *vt efficacia erroris ab ipso manaret*; expedit, inquam, illis, vt eâ solutione sint contenti, *homo tu quis es qui respondeas Deo.* Sed neque Paulus, neque Augustinus illâ vnquam vsi sunt, nisi vt os obstruerent ijs qui Deum iure quodam teneri putant cùm dispensat indebita. Et illa propriè versatur quæstio apud Paulum, Cur ex eâdem massa, quæ ipsa per se formandis tantùm contumeliæ vasis apta est; Deus pro sua voluntate atque potentia vas aliud in honorem fingat: aliud vas in contumeliam? Hoc enim sine iniquitate fieri Apostolus contendit, & obloquentibus respondet, *homo tu quis es qui respondeas Deo?*

LIX. Augustinus verò ita hoc ipsum in vniuersum regerit in eos qui queruntur huic dari gratiam quæ præscitur efficax futura, illi negari: hunc rapi ne malitia mutet intellectũ, illum in vita relinqui dum labatur: paruulo huic de baptismo prouideri, excedere illotum illum & hæreditariæ damnationis participem & similia; vt semper supponat indebitum esse quod à Deo quis exigit, debitum autem id quod patitur & quod queritur præstari sibi.

Ex Augustino fore iustam de Deo querelam si vas in contumeliã conleret de massa indifferenti.

Quidni, &

¶ pares effectus posceret ab inæqualiter potentibus? Sed & in illa ipsa quæstione quam tractat Apostolus, non obscurè significat Augustinus fore iniquitatem apud Deum, si massa illa ex qua vasa formantur in contumeliam, esset mediæ cuiusdam qualitatis, non ignominiæ magis, quàm honori formandorum ex ipsa vasorum apta.

Ep. 106. ad Bonifacium. „ Ita enim loquitur, hæc massa si esset ita media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, „ non frustra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vasa in „ contumeliam. Quo exemplo satis admonet, nobis ita esse philosophandum, vt quemadmodum quando non dubium est quin Deus aliquid decernat, consequens est vt dicamus, quæcumque se in contrarium rationes obijciant, esse illud æquum & iustum: ita quando dubium non est quin aliquid iniquum sit, & repuguans rationi; consequens esse vt idipsum reputemus indignum Deo, atque ab eius voluntate alienissimum. Manifestum autem est tale esse id quod hac specie repræsentatur. *Væ tibi, quia si tuus socius habuisset eandem gratiam quam habes ipse, ac præterea quandam aliam quam ego decreueram illi dandam efficaciorem tuâ; fecisset quod tu non facis.*

LX. His cùm TVissio disputatis, subnectenda est quorumdam Recentiorum responsio, quâ propositam difficultatem non tam soluunt quàm declinant, hanc scilicet quæstionem esse illam, quam & S. Paulus, & S. Augustinus, & S. Prosper reprehendere malunt quàm soluere; rati scilicet eam quæ petitur rationem & adorandam silentio, & æquo interim animo ignorandam; vt ideo videatur esse nimia eorum fiducia qui se nodum hunc expedituros post tot tempora pollicentur, beneficio scientiæ mediæ. Quin & hanc scientiam non modicè infirmari eo argumento, quòd tam facilem reddat eius mysterij expositionem, cuius profunditas iam olim à S. Spiritu prænuntiata est.

Argumentum de iniqua Iudæorum inerepatione ex hypothesi quod præ- Sed iam dixi, atque iterum dico, argumentum quod hîc vrgetur, neque S. Paulo, neque S. Augustino aut Prospero fuisse vnquam propositum: & id in quo illi fidem ab humano intellectu atque obedientiam exigunt, ignoratâ interim ratione, longè diuersum esse ab eo quod

ipsi obijcimus Assertoribus scientiæ conditionatæ pendentis ex decreto. Quin & hoc ipsum hodiéque inexplicatum esse atque inexplicabile Auctoribus scientiæ mediæ: qui modestiam hic seruant etiam ipsi, & obedientiam exhibent illam quam requirit Apostolus. Argumentum quod vrgemus contra scientiam conditionatam ex decreto pendentem est, Insulsam videri ac ridiculam increpationem quâ quis alicui dicit, *Væ tibi, quia ego decreui vt si eadem auxilia quæ tibi frustra data sunt, illi quoque data fuissent; daretur & aliud, quo efficaciter moueretur ad pœnitentiam ad quam tu non moueris.* Ostendant vbinam gentium tale aliquid propositum fuerit Apostolo, vel Augustino, vel Prospero? Eòdem recidit, inquis, & hoc, & id quod est illis propositum. Atqui hoc disertè negatur. Sunt enim diuersæ admodum duæ istæ interrogationes, quas fingere possumus esse factas à Corozain. Prima est, Quare mihi exprobras quod inefficacia reddam hæc media, eo nomine quòd eadem in Tyro cum quibusdam alijs & quidem efficacioribus ex speciali decreto dandis non fuissent inutilia; cum sit verissimum, neque Tyrum aliud facturam quàm quod ego facio; si non haberet aliud auxilium quam quod mihi datum est: neque me minus facturam quàm Tyrus faceret, si mihi auxilium idem quod illi fuisset decretum? Secunda est, Cùm posses decernere vt ijs auxilijs quæ iam dedisti, adiungeretur & aliud efficacius, quo perinde mouerer ego ad pœnitentiam ac moueretur Tyrus si reciperet id ipsum; quare non decreuisti vt ita fieret? vel, Cùm posses ita disponere res omnes, vt & illa media quæ mihi suggeris essent efficacia: & ea quæ suggeris alteri non essent; quare maluisti ordinem hunc rebus præscribere, quam illum? Interrogatio prior procedit ex opinione iniustæ exprobrationis: posterior ex opinione iniustæ dispositionis. Illa, ratione nititur quæ solui non potest, nisi negando quod assumit, esse nimirum illud decretum speciale circa futuram conditionatè Tyriorum pœnitentiam, & speciale aliquod auxilium ex illo decreto sequuturum. Hæc, non nititur ratione, quin potiùs illi admodum repugnat, quòd Deum submittat

definita fuerit Tyriorum pœnitenti nec Augustino vnquam nec Paulo propositum est.

hominum iuri: adimatque libertatem disponendi de rebus prout vult. Illa, nec proponitur nec soluitur vnquam apud Augustinum aut Prosperum, vt nec apud Apostolum: & ideo si iubent Aduersarij nos eorum solutione contentos esse; iubent nos nullâ solutione contentos esse. Hæc, & proponitur æquiualenter, & soluitur, eo modo qui maximè conuenit hominum audaciæ cùm dicitur, *homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid potest figulus, &c.* Atque huic secundæ interrogationi similis est querela illa, quam posset Tyrus formare si diceret, Cum haberes præ manibus eam hypothesim, ex qua sequuturam videbas meam pœnitentiam; quare non illam posuisti? Cui similiter diceretur, *Tu quis es?* Nempe hîc debet submittere fasces humana temeritas, & pati vti eius rei causam & habeat Deus solus, & sciat.

LXI. Neque aliud vel sentiunt vel prædicant scientiæ mediæ Assertores. Quamuis enim querenti non esse sibi datam gratiam efficacem respondere possint, *Tuâ libertate factum est vt esset tantum sufficiens: futura erat efficax si alius fuisset futurus tuæ libertatis vsus?* possunt tamen instare, Sicut sunt quædam gratiæ, quas ego pro mea libertate inutiles reddo; ita sunt etiam quas vtiles efficerem: & sicut sunt aliquæ quas isti electi reddunt efficaces; ita non desunt quas effectu frustrarent perinde ac ego. Quare igitur in eo mihi præferuntur, quod ea rerum dispositio quæ præsciebatur illis quidem salutaris futura, mihi autem inutilis, constituta sit potiùs quàm illa, quæ præsciebatur vel vtrisque salutaris: vel vtrisque inutilis: vel illis inutilis, mihi autem salutaris? Hoc, inquam, idem est ac quærere, cur ex eadem massa fiat hoc vas in honorem, illud in contumeliam, potiùs quàm è conuerso. Ad quam difficultatem quid respondeant qui scientiam mediam tuentur nihil habent, præter hoc vnum, adoranda scilicet diuinæ sapientiæ consilia, &, *O altitudo diuitiarum!* & *Tu quis es qui respondeas Deo?* & *An non licet mihi quod volo facere?*

Atque hæc est illa *quæstionis profunditas* quam Prosper negat solui posse *per liberi arbitrij velle vel nolle.* Quare

enim sit ista dispositio rerum, potiùs quàm alia, nullo modo pendet ex liberi arbitrij velle vel nolle. Item hæc est illa *donatio Dei & operatio* cuius defectu neque Tyrij neque Iudæi ad pœnitentiam adducti sunt, ex eodem Auctore: positio videlicet earum circumstantiarum ex quarum suppositione præsciebantur Tyrij conuertendi: & earum quoque ex quarum suppositione sciebantur non conuertendi Iudæi. Quod ipsum Augustinus etiam habet de bono perseuerantiæ, vbi perspicuè significat vt antea retulimus, causam positionis aut non positionis illius hypothesis ex qua sequutura præsciebatur Tyriorum pœnitentia, illam esse quam Deus humanæ menti subtractam in adytis seruat consiliorum suorum.

de voc. Gen. 1 n. c 25. Ad excerpta Gen. dub. 8. c. 9. & 14.

LXII. Huic responsioni prædicti recentiores aliam addunt, quâ obiectionem hanc quam vrgemus refellere nituntur. Hoc est, imitantur quod accusant: & post tot tempora enodare aggrediuntur eam difficultatem quam Apostolus & SS. Patres, vt ipsi quidem putant, reprehendere voluerunt non soluere; vt possit *eo iudicio eorum etiam doctrina non modicè infirmari*. Dicunt ergò Iudæos vel pares vel superiores fuisse Tyrijs in ratione auxilij sufficientis, etiam si fuerint inferiores in ratione auxilij efficacis; quare cum auxilio sufficienti detur potentia ad agendum; efficaci autem, applicatio tantùm; peræquè Iudæos credere potuisse atque Tyrios. Et quia illa potentia inducit obligationem credendi, cùm applicatio inducat tantùm executionem seu exercitium actuale fidei; peræquè fuisse obligatos. Vnde sequitur & obiurgandos quod non crediderint, sed culpabiliter fidem respuerint sufficienter propositam: imò & quod obstinatione sua & excæcatione impedimentum posuerint illi dono efficacis auxilij. Nam & si gratia illa præueniens & antecedens sit, tamen propter concomitantem culpam, quæ in genere causæ materialis præcedit, & gratiæ præstat impedimentum, rectè Deum de illo conqueri qui non consentit. Id quod etiam in primo peccato verum est, seu in denegando primo auxilio efficaci: ad hoc enim ex parte Dei & causæ efficientis concurrere denegationē; ex parte verò nostri,

Recentiores soluere conantur eam quæstionem quam putant insolubilem.

impedimentum culpæ concomitantis, vel inconsiderationis in genere causæ dispositiuæ & materialis. Cæterùm Iudæos non reprehendi propter præterita crimina, sed propter præsentem obdurationem. Hæc est ferè summa eorum quæ habentur apud P. Ioannem à S. Thoma; quæ an satisfaciant præsenti difficultati iam videndum est.

quæst. 14 1. p. disp. 10. ar. 5.

Vtrum auxilium efficax pertineat ad rationem potentiæ ac virtutis agendi.

LXIII. Neque hic ego persequi volo verborum tricas & loquendi rationem peculiarem ac voluntariam, quæ communibus disputationibus nihilo magis idonea est, quàm priuatæ ac prouinciales monetæ gentium commercio. Dicatur auxilium efficax, *non pertinere ad potentiam & virtutem agendi*, sed esse applicationem tantùm; tametsi quidam illud sint complexi sub nomine *virtuosæ motionis*: & S. Thomas vt placet Aduersarijs de eo loquatur, cum dicit comparari *virtuti artis* quæ transeunter est in instrumento artificis, addatque esse *vim quandam*: & Didacus Aluares dicat in vniuersum præmotionem conferre potentiæ *vim quandam qua operatur ad esse & vltimam actualitatem effectus*, *& Tribuere virtutem aliquam operandi, non quidem per modum actus primi, sed per modum complementi*: *& Distingui ab operatione causæ secundæ, esseque aliquid priùs: eò quòd causa & sit prior & distinguatur à suo effectu*: & Franciscus Cumel dicat Præmotionem *efficere vnum principium cum causa* præmota: & per illam, *causam adiuuari*: dependentiam liberæ actionis ad illam comparari *vt ad principium*: &, esse necessariam præmotionem *per modum principij* à quo inchoetur operatio causæ secundæ: & trita sit iam illa distinctio ac quotidiana, quâ dicitur præmotionis defectu causam secundam non posse agere in sensu composito, esto possit in sensu diuiso: vnde sequitur eiusdem præsentiâ conferri causæ secundæ illud *posse* in sensu composito. Sed esto tamen, non pertineat hoc auxilium ad potentiam & virtutem constituendam, etiam si det *posse*, etiamsi sit *vis quædam*, etiamsi requiratur per *modum principii*, etiamsi gaudeat *causæ* priuilegio vt dicatur *priùs* operatione, eo nomine quòd causa prior sit, etiamsi *adiuuet* ipsam causam; Non negabitur tamen vt puto quod toties

q. 3. de potentia ar. 7. ad. 7.

Disp. 18. de auxilijs n. 18. Disp 19. n. 9. Disp. 19. n. 67. to. 2. discursu 5. sect. 2.

ties

ties concessum est, esse complementum actus primi, & perfectionem vltimam ab actione causæ secundæ independentem: & consequenter potentiam & virtutem agendi hoc auxilio munitam, esse perfectiorem antecedenter & completiorem, quod ad propositum sufficit.

Deinde neque id hoc loco disputo, in quo nec esset periculosa contentio repugnanti; nec admodum incerta victoria, an possit esse aliqua gratia merè sufficiens, si requiratur ad agendum auxilium efficax illud? Permitto vt hoc etiam assumatur. Quid enim quæso exinde sequitur? Iudæos, inquiunt, esse obiurgandos, qui potentiam ad credendum cùm accepissent, & gratiam sufficientem, non credidere tamen.

Atqui hoc pacto vt dicebam difficultas non soluitur, sed declinatur. Neque enim hoc iam quæritur an fuerint Iudæi meritò increpandi; sed an fuerint increpandi præ Tyrijs, quasi non vtentes ijs medijs quibus Tyrij essent vsuri. Quandiu enim verum est, neque Tyrios fuisse credituros si nullum aliud medium reciperent quàm quod receperunt Iudæi: & Iudæos esse credituros, si reciperent idem medium quod erant Tyrij recepturi; euidens est comparatiuum illum obiurgationis modum ineptum esse. Et si Christus dicit id quod res est; illius increpatio debet habere hunc sensum. Væ tibi Corozain, quia si dedissem Tyro quod dedi tibi & præterea quippiam aliud, fecisset quod tu non facis. Aut, Væ tibi Corozain, quia postquam decreui vt si gratia quæ tibi collata est, Tyro conferretur, fieret completior & perfectior accessione auxilij efficacis; illa fidem exhiberet, quam tu non exhibes. Aut, Væ tibi Corozain, quia si Tyrus accepisset, sicut tu, gratiam quæ inducit obligationem credendi, & in super illam quæ inducit executionem actualem illius obligationis, quam ego decreueram illi conferendam, & quam tu non accepisti; re ipsâ credidisset. Quid autem horum non ineptum est, ac Deo indignum? Et cui bono Tyriorum mentio fit in Iudæorum correptione, quandiu dici non potest aliud fuisse facturos Tyrios cum illa præcisè potentia & facultate quam acceperunt Iudæi?

An dicendi sint Iudæi auxilium impedire quod erat dandum Tyrijs.

LXIV. At, inquies, Iudæi obstinatione sua impedierunt auxilium efficax dandum Tyrijs, vnde locus est increpationi, cuius hæc forma idonea est. Væ tibi Corozain; quia obstinatione tua impedis auxilium efficax, quod ego decreui dandum Tyrijs ex suppositione quod illis Euangelium proponeretur.

loco cit. pag. 670.

Hæc vero solutio difficultatum syluam producit. Oppono breuiter in primis illud quod habet Auctor quem iam laudaui, cum dicit, *Deus conqueritur quia sufficientia auxilia respuimus. Nam efficax à nullo duro corde respuitur, vt inquit Augustinus.* Quod quo pacto conciliari possit cum eo quod paulo ante dixerat, *accusari Iudæos quòd obstinatione suâ & excæcatione impedimentum posuerunt illi dono efficacis auxilij*, viderit ipse. Ego enim non satis intelligo quantum intersit inter, *impedire diuinum auxilium*, & *illud respuere*: aut quæ possit esse ratio vno concesso alterum negandi: vel cum nolle elicere fidem sit illam respuere; cur nolle recipere gratiam, non sit etiam respuere illam?

ib pag 671.

Deinde peto quomodo ponant hoc impedimentum Iudæi, necessariò, an liberè? Si necessariò, nihil hoc facit ad eos accusandos. Si liberè, ergo homo in genere causæ efficientis concurrit ad impediendam gratiam; cum id quod liberè fit ad hoc tantùm genus causæ pertineat. Quid igitur iuuat quod dicit hic Auctor, *concomitantem culpam præcedere subtractionem gratiæ in genere causæ materialis tantùm?* Nam cum causa efficiens sit simpliciter prior effectu suo, & homo sit causa libera impeditæ gratiæ; consequenter homo erit prior impeditâ gratiâ in genere causæ liberæ, hoc est efficientis & non materialis tantùm.

Sed neque hoc facilè intelligitur, ipsa hominis culpa quam rationem dispositionis habere possit ad impediendum diuinum auxilium, quàm moralis & demeritoriæ, quatenus indignitate sua Deum mouet ad denegationem illam; hoc autem reducitur etiam ad genus causæ efficientis.

Præterea, cum id in quo vnus alteri præfertur, & quod exprobrando obijcitur, debeat esse vtrique liberum; sitque inepta increpatio si adulto v. g. baptismi gratiam ref-

puenti obijciatur & præferatur infans qui non respuit: aut amori diuino resistenti, beatus qui necessariò amat; consequens est vt in impediendo aut non impediendo auxilio efficaci, vterque liber sit & Iudæus qui impedit, & Tyrius qui non impedit, vt possit esse idoneus increpationis sensus iste, Væ tibi Iudæe qui peiùs vteris libertate tua in impedienda gratia, quàm vtatur Tyrius. Quod si est ita, incidunt Aduersarij in id quod vitare nituntur: & ipsis auctoribus poterit *aliqua caro gloriari coram Deo*: Tyrius scilicet præ Iudæo, quod se pro sua libertate reddiderit aptiorem ad auxilia gratiæ recipienda.

Denique vel est decretum aliquod in Deo ex quo sequatur Iudæum impediturũ liberè auxilium gratiæ efficacis, & Tyrium non impediturum, vel non est: si primum, integra manet difficultas; nec est locus increpationi, quæ ridicula esset in hunc sensum. *Væ tibi Iudæe, quia ex quo præoccupaui Tyrium decreto meo, ne resisteret auxilio efficaci ad credendum, propositâ prædicatione; reuera non resisteret: cum tu tamen resistas, qui non es simili decreto præuentus, sed contrario potiùs*: Si secundum, ergo futuritio resistentiæ Iudæorum, & futuritio non resistentiæ Tyriorum non est ex decreto Dei: nec consequenter eius præscientia. Atque ita datur scientia conditionata futurorum à decreto independens, quod erat probandum. Omitto verborum pugnas & implicatam illam loquendi rationem, dum dicitur *culpa concomitans præcedere subtractionem gratiæ*. Quo modo enim præcedit, si concomitans est? Et cum sit ita media inter Dei decretum prædefiniens actum qui malus est, & gratiæ subtractionem, vt illud sequatur, hanc præcedat; quid restat ratione cuius dici possit meritò, concomitans?

§. IV.

Aliæ duæ TVissij solutiones reijciuntur.

LXV. SVperiorem solutionem de præsenti decreto Dei circa futurã conditionatè Tyriorum pœ- de bono perseu. c. 14

nitentiam proposuit TVissius, ne videretur erga Augustinum illius vt ipse putat Auctorem inofficiosus. Cæterùm quia Augustinus id quod dictum est de Tyrijs & Sidonijs
l. 1. c. 23. pag. 183. *aliquo alio modo fortassis intelligi posse* dixit; indicatam existimat TVissius aliam responsionem priore illâ probabiliorem, cui eruendæ suam ipse operam offert Lectori beneuolo, ausis veniam præfatus. Audiamus ergo incognitam hactenus solutionem & arcanos Augustini sensus prodentem interpretem amemus. Dictum est, *inquit*, istud de Tyrijs & Sidonijs secundùm ordinariam mediorum ad fidem & resipiscentiam administrationem. Neque enim solet Deus Prophetis & Apostolis suis delegare ministerium verbi sui apud nationem aliquam prædicandi, & ad alliciendos hominum animos potentiam suam per signa & miracula testatam facere, nisi habeat apud nationem illam electos aliquos, qui in gremium Ecclesiæ suæ colligendi sint. Sensus est, Esse diuinum decretum vt ordinariè non proponatur Euangelium & miracula alicui nationi, nisi vbi sunt electi quidam & credituri: atque ita vi talis decreti sciuisse Christum, si fieret ea propositio apud
Sup. cap. 2. §. 1. Tyrios & Sidonios, ex illis aliquos credituros. Ex quo patet id quod tanto nisu parturiuit, hoc illud esse, Ex generali decreto etiam ex parte obiecti absoluto, nasci conditionatas veras: quod & multis antea refutatum est: & propriam hic habet difficultatem.

LXVI. Age enim, proponuntur ex vna parte duæ ciuitates Corozaïn & Bethsaida: duæ item ex alia, Tyrus videlicet & Sidon. Deus certò cognoscit, si duabus his proponantur miracula, futurum vt aliqui conuertantur. Sed quare hoc cognoscit? Quia, inquit, est decretum vt non fiat talis propositio nisi vbi aliqui electi sunt & consequenter eâ gratiâ bene vsuri. At, inquam, si res ita habet: ergo sunt electi aliqui, ac proinde benè vtentes eâdem gratiâ in alijs duabus ciuitatibus, postquam illis reipsâ Euangelium proponitur; & consequenter pares sunt illæ istis, cessatque omnis exprobrationis materia. Quid hic dices? num illum obijcies cauillum, additum à te *secundum ordinariam administrationem*, quasi Deus extraordinariâ ratione cum

Corozaitis agat & Bethsaitis? Quod si est ita, non video eam semper recurrere difficultatem, quòd inepta sit obiurgatio Iudæorum præ Tyrijs, si Deus aliâ ratione cum illis egerit, aliâ cum istis fuerit acturus?

LXVII. Est hic, *inquit*, sensus vnus. Sequitur sensus al- ,, ter. Fieri enim potest vt non procedant ista de salubri & ,, spirituali pœnitentia quæ Prædestinatorum propria est ,, iuxta Augustinum contra Iulianum Pelagianum lib. 5. ,, cap. 3. sed de resipiscientia qualem aut Achabus agebat. 1. ,, Reg. 20. aut etiam Niniuitæ ad Ionæ Prophetæ commi- ,, nationem, Ion. 3. Subdit, Potuisse Christum iudicare ,, procliuiores esse Tyrios ad pœnitentiam ex inusitato miraculorum conspectu, quam Iudæos huiusmodi prodigijs assuetos. Et quia decretum est ita res humanas *ordinariè* administrare, vt illæ congruenter naturis suis moueantur; consequens esse, vt Tyriorum iuxta suam inclinationem mouendorum pœnitentia conditionatè futura fuerit; *adeo vt semper decretum Dei, & iuxta decretum eius rerum omnium administratio locum habeat, in fundanda certitudine cognitionis rerum futurarum.*

Spiritualis an corporea fuerit illa Tyriorum pœnitentia, nihil ad præsentem quæstionem, quâ hoc solum inquirimus, an fuerit certò cognita vt conditionatè futura. Quod cùm Aduersarius concedat, eamque certitudinem refundat in decretum absolutum ex parte obiecti, mouendi scilicet creaturas congruenter inclinationibus suis; sequitur hunc sensum, quod attinet ad propositæ difficultatis solutionem, non esse alterum à superiore proximo: ac proinde TVissium dum ex vno sensu duos facit, id esse passum, quod illi quibus lucernæ geminantur.

Est autem in hoc etiam ridendus, quod decretum illud quod supponit, sit decretum, *ita res humanas ordinariè* administrandi; quasi vellet Deum aliquando & *extraordinariè* aliter facere. Quod si est ita, manifestum est non posse Deum habere certam de futurâ conditionatè Tyriorum pœnitentiâ cognitionem, nisi duo ista decreta concurrant: &, mouendi ordinariè homines iuxta suam inclinationem, & non vtendi extraordinaria motione cir-

ca Tyrios. Hoc autem ſecundum non poteſt non eſſe decretum formaliſſimè conditionatum ex parte obiecti, cum ſit tali quodam modo neceſſariò concipiendum, *nolo vt ſi Tyrijs Euangelium & miracula proponantur aliâ illi ratione moueantur, quam ordinariâ.*

Sed neque adhuc illam tollit difficultatem quam toties obiecimus, non conſtare illius increpationis æquitatem quâ Tyrij Iudæis præferuntur. Cùm enim totum diſcrimen in diuerſam eorum diſpoſitionem quâ alij magis alij minùs finguntur ad pœnitentiam propenſi refundatur; hæc autem diſpoſitio non ſit libera, quia ſupponitur ſequi ex ipſa rerum natura: & quia ſi libera foret quæreremus quomodo & quâ ſcientiâ cognoſceretur in Tyrijs; ſequitur hoc in Iudæis damnari, hoc in Tyrijs præferri, cuius illis cauſa minimè libera eſt: eritque ita concipienda Chriſti ſententia *Væ tibi Corozain, quæ tua diſpoſitione motionem impedis, quam ſuâ potiùs Tyrus exigeret: & quâ impelleretur ad pœnitentiam.* Diceret autem Corozain. *Atqui neque Tyrus ſibi, neque ego mihi diſpoſitionem illam feci; aliunde nata eſt præter vtriuſque voluntatem.*

Auguſtinus quàm pœnitentiam intelligat eſſe propriam prædeſtinatorum.

LXVIII. Denique quod dictum eſt ab Auguſtino de ſpirituali & ſalubri pœnitentia Prædeſtinatorum, TViſſius malâ fide ſuo more detorquet in ſententiam Caluini. Qui cùm iuſtificationis gratiam inamiſſibilem velit; negat conſequenter eorum qui tandem excident, veram eſſe vnquam aut pœnitentiam aut iuſtitiam. Atqui Auguſtinus non ideo negat *ſpiritualem & ſalubrem* eſſe reproborum pœnitentiam quaſi verò ea non ſit & vera & ſupernaturalis; ſed quia reipſa non connectitur cum ſalute, quod eſt proprium eius tantùm pœnitentiæ quæ finalis eſt. Hanc autem eſſe Auguſtini ſententiam toto libro de bono perſeuerantiæ, de corrept. & gratiâ & aliis mille locis conuincitur, quibus patet ex Auguſtino nihil aliud defuiſſe reproborum pœnitentiæ atque iuſtitiæ ad ſalubritatem, niſi conſtantiam, & vſque in finem perſeuerantiam. Atqui non vera iuſtitia, & pœnitentia non ſpiritualis, hoc eſt non ſupernaturalis, quantumuis perſeueraret, nunquam tamen ad ſalutem perduceret. Sed alterius otij

eſt illam perſequi diſputationem. Vicinum habet TVisſius à quo ſanari poſſit, niſi ſe immedicabilem præbuerit. Audiat Voſſium l. 6. hiſtoriæ Pelagianæ Theſi 12. 13. 14. pag. 558.

CAPVT V.

Seclusâ ſcientiâ mediâ non remanere in Deo præſcientiam abſolutam futurorum peccatorum.

LXIX.  VPPOSITA ſcientiâ mediâ ſtatim intelligitur quomodo præcognoſcat Deus peccatum quodcumque vt futurum abſolutè, accedente videlicet decreto diuinæ voluntatis quo ſtatuit abſolutè ponere conditionem illam ex cuius ſuppoſitione cognoſcebat per ſcientiam mediam peccatum eſſe futurum. Cum, inquam, ſciret Deus per ſcientiam mediam, ex hypotheſi quòd crearetur Angelus & in talibus circumſtantijs conſtitueretur, diuino concurſu accommodatè ad ipſius libertatem exhibito, peccaturum; eo ipſo quod decernit facere illa omnia, & futurum conditionatum tanquam conditione iam poſitâ tranſit in abſolutum: & ad ſcientiam quâ præſciebatur vt conditionatè futurum, accedit neceſſariò ſcientia quâ præſciatur vt futurum abſolutè. Eſtque ratio hæc ad explicandam huiuſmodi præſcientiam facillima & minimè implexa vel intricata.

Neque dicas ſeclusâ etiam ſcientiâ mediâ, & poſitâ voluntate creandi Angelum illo modo, ſtatim fieri futurum abſolutè illius peccatum, & conſequenter ſcibile vt tale. Hoc enim implicat. Quia ex quo futurum ſupponitur abſolutè peccatum illud tali voluntate vel tali decreto poſito; quamuis illud non ponatur, neceſſariò tamen ſequitur & veram & ſcibilem eſſe conditionalem iſtam quæ di-

Neceſſaria eſt conſequentia ab abſolutâ futuritione ad conditionalem.

amplius illa hypothesis sed esset alia. Vi autem huius decreti tanquam necessariò connexi cum futuro peccato, eâ necessitate quæ libertati nocere non potest, quod ab ipsa ducat originem, intelligit Deus Angelum absolutè peccaturum.

Seclusâ verò scientiâ mediâ tantus est labor in exponendo huiusmodi decreto, saluâ & hominis libertate & Dei bonitate, vt hæc videri possit esse vna ex difficultatibus desperatis. Et concedit TVissius nos in hoc argumento *secundo vehi flumine: ac tanquam in mari pacifico nauigare,* quasi monere vellet, nihil vt ab illo expectaremus aliud, quàm quod expectari potest ab homine qui contra profluentem remigat: vel qui tempestate iactatus, quando nubes eripiunt cœlumque diemque, in breuia & syrtes vrgetur. Gloriatur tamen se præter scripturæ præsidia periculi socios habere Doctores Catholicos, Quod si, *inquit,* „ auctoritate sola recentiorum Scholasticorum certaretur, „ quid quæso est quod in Dominicanis despicere possint Ie- „ suitæ, à quibus ita distant sicut dispositio ab habitu, quod „ ad eruditionem attinet & methodum Scholasticam? Atqui nos Guillelme, post tuum pomum non imus: neque facimus nauci iudicium Paridis & iniuriam spretæ doctrinæ. Patres autem illos minimè despicimus, sed te ridemus qui tegi velis eorum pallio, ne Caluinum erubescas. Illi verò pro se loquentur, ne dubita; monstrabuntque tuum hoc perfugium quàm sit inane. Tu interea quomodo nobis explicas absolutam futuri peccati præscientiam?

Quam sit hoc ipsum difficile in contraria sententia.

l. 1. cap. 21. pag. 134.

Iniuriosa TVissij affectatio.

LXXI. Horruit totam vno loco sententiam repræsentare, & colligenda sunt hinc & inde sparsa pronunciata vt species integra in apertum producatur. Neque enim vel chimæra monstrum est, quando partim apparet; sed aut capra tantùm, aut draco, vel tale quoddam animal. Quomodo ergo præscit Deus peccatum Angeli absolutè futurum? In voluntate, *inquit,* sua. Non enim alibi specu- „ lari Deum obiectum suum futurum quàm in voluntatis „ suæ determinatione. Verùm cum discrimine. Scientia „ Dei respectu bonorum in quocumque genere, est scientia „ artificis & decernentis operari tanquam artifex, ac scien- „

Cognosci futurū peccatum in decreto illud permittendi concedit TVissij.

l. 2. cap. 5 p. 340.

„ tia Dei respectu malorum, non est scientia artificis; sed
„ potiùs scientia est Dei non decernentis operari tanquam artifex. Hinc facilè colligas illam Dei voluntatem esse tantùm voluntatem permittendi peccatum, cùm sit voluntas non *decernentis* operari.

l. 1. pag. 136. „ Et confirmari potest ex eo quod aliàs dicit Diuinum decretum esse principium tantùm permissiuum, non autem
ib. pag 344. „ effectiuum malorum, sed tantùm bonorum. *Et deinde*, si
„ peccatum semper atque infallibiliter sequitur permissionem peccati, quid obstat quominus Deus peccatum præscire dicatur in decreto permittendi peccatum? *Item*, Quæcumque hic loci sese ingerit difficultas, si modò concedatur infallibiliter labi hominem cui Deus decreuit subtrahere auxilium suum; hinc manifestò sequitur decretum Dei de subtrahendo homini auxilio atque adiutorio suo sufficientem esse rationem cognoscendi peccatum aliquod futurum. Est igitur apud TVissium decretum de permittendo peccato Angeli sufficiens ratio cognoscendi illud esse futurum.

Non sufficit prædicto responsio. LXXII. Sed hoc præterea quæritur, quomodo tale decretum sit infallibiliter connexum cum peccato futuro seclusâ scientiâ mediâ? Quia, inquit, est voluntas non impediendi peccatum. Instamus tamen, iterumque petimus, vnde sciatur voluntas non impediendi peccatum Angeli esse infallibiliter connexa cum eodem peccato? Vel, cum & Angelus qui perseuerauit in gratia labi potuerit, & Angelus qui lapsus est potuerit perseuerare; quare Deus priusquam absolutè præsciret perseueraturum illum, istum verò lapsurum, non dicitur statuisse non impedire ne laberetur ille cui plenam fecit labendi facultatem; & impedire ne laberetur iste cui sufficientissimam dedit ad standum gratiam? Vnum, inquit, statuit magis adiuuare quam alium. At, inquam, & ille qui magis adiutus est cùm fuerit completè potens ad peccandum, dici potest non impeditus ne peccaret: & ille qui minùs adiutus est, cùm habuerit sufficientissimum auxilium ad non peccandum, quidni dicetur, quantùm satis est impeditus ne peccaret? Et cùm decerneretur illi auxilium

quo potens esset ad vtrumlibet, peccare vel non peccare; quare vi talis decreti præscitus est potiùs peccaturus quam non peccaturus? Nos enim facilè illi quæstioni respondemus, decretum esse vni Angelo auxilium cum quo sciebatur per scientiam mediam non peccaturus pro sua libertate: alteri vero cum quo sciebatur pro sua etiam libertate peccaturus. Atque ita vnum decretum fuisse decretum impediendi seu permittendi; aliud verò fuisse decretum non impediendi seu permittendi. At in contraria sententia nihil tale dici potest: & ita licet argumentari. Vel decretum non impediendi peccatum Angeli, est decretum nihil apponendi ad illam causæ suppositionem ex qua scitur peccatum sequuturum, quo illud præcludatur; vel est decretum tantùm nihil apponendi ad illam causæ suppositionem ex qua solùm scitur peccatum posse sequi: si primum, itur in nostram sententiam, & admittitur scientia media independens à decretò: si secundum, ergo fuit decretum non impeniendi peccatum etiam Angeli stantis; quia fuit illa quædam hypothesis, ex qua sequi poterat peccatum, cui nihil appositum est ad illud præcludendum: aut certè fuit decretum impediendi etiam peccatum labentis Angeli, quia illa quoque suppositio aliquid inuoluit appositum à Deo ad impediendum peccatum, sicut & suppositio stantis Angeli. Vno verbo, vt Deus vi decreti sciat aliquid futurum, necesse est vt quod decernitur vel sit ipsa res quæ futura dicitur, vel sit aliquid cum ea re certò connexum, vt per se patet: ergo vt vi decreti sciat peccatum esse futurum, vel decernere debet ipsum peccatum, vel aliquid cum eo certò connexum: quod seclusâ scientiâ mediâ quærimus quid esse possit? l. 2. c. 6. p. 363.

LXXIII. Nimirum hîc physica præmotio in auxilium inuocanda est, & ingenuè confitendum fuisse in Deo decretum præmouendi vnum Angelum ad perseuerandum & non præmouendi similiter alterum. Ita TVissius. Rursus dicimus, *inquit*, auxilium efficax cuius negatione definitur peccati permissio, esse prædeterminationem physicam non moralem, licet cum morali excitatione coniunctam. Sed præter communes contra illam senten-

Additur ad complendã peccati permissionem subtractio physicæ præmotionis ad perseue-

randum requisitæ. Sed neque hoc sufficit.

tiam difficultates, restat hîc adhuc explicandum illud, quomodo sciatur præcisâ physicâ præmotione ad perseuerandum, Angelum infallibiliter casurum, vt dici possit Deus, eo ipso quòd statuit non præmouere ad perseuerandum, decernere permissionem lapsus illius? Siquidem seclusâ præmotione relinquit tamen plenam ad perseuerandum potentiam: vnde igitur præscit Deus voluntatem illam, cui plena est facultas perseuerandi & non perseuerandi, & quæ proinde ad vtrumlibet indifferens est, non perseueraturam potiùs quam perseueraturam? Quia, inquit, res ita habet. Sed hoc ipsum quæro, cum fieri possit vt res aliter habeat, quonam modo fiat vt sic habeat & non aliter? hoc enim non potest attribui Dei decreto. Sic enim argumentor. Decretum quo relinquitur causa completè potens facere hoc vel illud, non potest esse ratio cur causa faciat hoc potiùs quàm illud: sed ita se habet decretum non prædeterminandi Angelum qui peccat, ad perseuerandum, vt ille nihilominus maneat completè potens perseuerare aut non perseuerare: Ergo illud decretum non potest esse ratio cur non perseueret potiùs quàm perseueret, nec proinde cur vnum sciatur potiùs quam aliud.

Quin & ita possumus argumentari. Deus decernens non præmouere Angelum qui lapsus est, vel sciebat lapsurum præcisâ determinatione illâ, vel sciebat tantùm posse labi; secundum non sufficit vt dicatur fuisse decretum non impediendi lapsum vt iam monstratum est: primum autem admittit scientiam futuri conditionati independentem ab actuali & absoluto decreto: non sufficit ergo sola illa negatio physicæ præmotionis.

Quare semper inquirendum restat, cùm sequatur ex illa doctrina, futurum esse, abstrahendo ab omni Dei decreto libero actu posito, vt cadat Angelus si non prædeterminetur ad perseuerandum; quæ sit causa cur hoc sit futurum; Et quia non futurum modò, sed vniuersim ac semper futurum est in omni suppositione imaginabili (hoc enim Aduersarij contendunt) quæ possit esse causa illius perpetuitatis atque constantiæ? Cumque hoc verum sit

præciſo vt dixi omni decreto Dei libero; quid ſupereſt niſi vt libertati cauſæ creatæ tribuatur? Quomodo verò fieri poteſt vt principio tam vario atque mutabili attribuatur inuariabilitas atque immutabilitas effectus?

Addo peccatum Angeli non fuiſſe peccatum omiſſionis ſed commiſſionis: neque dici poteſt ideo peccaſſe quia non perſeuerauit; ſed ideo non perſeueraſſe quia fuit inuidus v. g. vel ſuperbus aut rebellis diuino dominio: & vt ſciretur non perſeueraturus, debuere ſciri talia quædam peccata futura: non è conuerſo vt ſcirentur illa peccata debuit ſciri non perſeueraturus. Quæ igitur cauſa fuit cur futura ſciretur ab æterno Angeli ſuperbia v. g.? Decretum, inquies, non prædeterminandi ad ſubmiſſionem & humilitatem. Atqui neque hoc decretum potuit eſſe ſufficiens ratio præſciendæ ſuperbiæ; præſertim in probabiliore ſententia quæ admittit poſſe dari puram omiſſionem liberam. Sequitur enim inde, dari potuiſſe in Angelo puram humilis ſubiectionis omiſſionem.

LXXIV. Eſt igitur addendum aliquid aliud ad ſubtractionem præmotionis, vt præcognoſcatur futurum peccatum commiſſionis, quo perſeuerantia cadentis Angeli impediatur. Neque hoc ignorauit TViſſius: & ideo non tantùm ſubtractionem præmotionis ad bonum admiſit, ſed poſitiuam inſuper prædefinitionem illius actus qui malus eſt. Vt hinc iam cernere liceat emergentem ex faſcijs quibus inuoluebatur, chimæram. Nam primò „ concedit ingenuè Deum eſſe Auctorem actus peccato „ ſubſtrati: *Item*, Deum velle ac facere omnia illa quorum „ Auctor eſt. *Hanc autem voluntatem dicit eſſe*, decretum an- „ tecedens ex quo ſequitur neceſſariò & infallibiliter mali- „ tia peccati: Atque hanc eſſe neceſſitatem modalem in „ hanc formam, poſito quod Deus decreuit talem actum „ liberè fieri ſecundum ſubſtantiam actus, qui tamen in- „ conformis eſt legi Dei, neceſſe eſt vt huiuſmodi actus fiat. „ *Item* Licet iſte actus coniunctus ſit cum potentia aliter „ agendi aut non omnino agendi; tamen poſito Dei decre- „ to de voluntatem humanam determinando ad ſubſtan- „ tiam huius actus, qui inconformis eſt; fieri non poteſt vt „

Completur permiſſio peccati ex poſitione phyſicæ præmotionis ad actū malum.

l. 2. c. 4. pag. 334.

ib. c. 5. pag. 337.

l. 1. c. 11. pag. 139.

„ aut alius actus pro eo instanti producatur, aut iste non producatur. Et denique eo loco quem paulò antè retulimus, vbi permissionem peccati explicat per subtractionem physicæ prædeterminationis, vide quid addat.

Lib. 2. c. 6. pag. 363.

„ Rursus dicimus auxilium efficax cuius negatione definitur peccati permissio, esse prædeterminationem physicam non moralem, licet cum morali excitatione coniunctam.... Nec tamen libertati, qualis creaturis competit, quidquam præiudicat ista determinatio: quippe cùm determinet voluntatem creatam ad agendum liberè.... Quòd si prædeterminatio physica nihil impediat libertatem; manifestò sequitur nihil impedire imputationem eius ad culpam. Quo in loco satis apparet veteratoria istius senis disserendi ratio, qui catè admodum transit à subtractione prædeterminationis ad actum bonum, ad positionem prædeterminationis ad actum malum. Ita enim incipit *Rursus dicimus* &c. cui sententiæ consequens erat vt subnecteretur ista. *Nec tamen libertati.... Quidquam præiudicat ista determinationis subtractio*; sed astutè reposuit, *ista determinatio*.

Atque hinc iam perspicere licet quid sit apud TVissium permissio peccati, seu decretum permissionis. Nimirum est decretum antecedens & efficax, quo Deus vult actum malitiæ substratum sub ratione liberi, & cum omnibus circumstantijs à quibus inseparabilis est malitia: & in eum finem voluntatem præmouet ad illum actum, hæc enim omnia colliguntur ex superioribus illius verbis huc illuc sparsis. Quæ doctrina iam refutanda est.

§. II.

Refutatur absoluta & antecedens malorum actuum prædefinitio.

Molle verbum est permissio.

LXXV. PRimò Lectori pensandum relinquo an non TVissius plastes sit eximius & nobilis in primis artifex laruarum, qui modum illum agendi Dei circa

malos actus, & decretum quod vel ipse Caluinus *horribile* fatetur, inducto molli ac facili permissionis nomine tam scitè incrustet. Deus Angelum nihil tale cogitantem, neque vllam adhuc ad malum propensionem habentem occupauit decreto suo antecedenter & efficaciter: voluitque vt eliceret actum quem sciebat eius obligationi esse contrarium, cum omnibus circumstantijs in quibus implicabat non esse formalissimè malum, & damnatione dignissimum: & in eum finem vim Angelo superaddidit, non quamcumque, sed imponentem illius eliciendi necessitatem; hoc est, inquit Guillelmus iste rerum malarum interpres suauissimus ac benignissimus, Deus permisit tantùm Angelum elicere talem actum. Et dic quæso, si permittere tantùm nollet, quid amplius faceret? Agit Deus hoc in negotio in Angelum, & agit ex propria determinatione atque intentione ac mero beneplacito, nullo ex parte Angeli titulo existente qui postulet vt eo modo potiùs agat quàm alio: ex actione illa efficaciter & necessariò sequitur actus Angeli eiusque libertas cum cæteris circumstantijs ad malitiam prærequisitis, siue ista conciliari possint, siue non, quod iam non disputo: inde ita necessariò sequitur malitia vt implicet contradictionem suspendi aut supprimi: vnde fit à primo ad vltimum, vt ex actione Dei & determinatione atque influxu in Angelum, efficaciter & necessariò sequatur peccatum; & quod ex tali ac tanta actione Dei resultat, à Deo solùm permittitur? O Christiani vestram fidem!

nis apud T Vissium sed durissima sententia.

LXXVI. Secundo huic Caluinistæ oppono candorem Caluini, vt pateat tali parente nasci potuisse pullum infœliciorem. Nam cùm Caluinus eadem sentiret de concursu Dei ad actus malos; permissionis tamen vocem illi cogitationi credidit imparem, ideoque quod Catholici de Absalonis incestu, de Pharaonis induratione, de Iudæorum Deicidio & alijs id genus flagitijs interpretantur, vt scripturæ quæ Dei ordinationem aliquam & efficaciam significare videntur, de permissione solùm intelligendæ sint; nunc *Friuolum* dicit: nunc *frigidum*, aliàs esse *subterfugium*, *nugas*, *delirium*. Nempe quia cùm Deus tam effi-

Nec dissitetur Caluinus.

lib. 1. Inst. cap. 18. lib. 2. c. 4. lib. 3. c. 24.

caciter agere ſupponatur in eiuſmodi euentibus, & à ſeipſo, nullâ extrinſecus exigentiâ inuitatus, non tam permittentis rationem quàm Auctoris obtinere cenſendus eſt.

lib. 1. pag. 144. LXXVII. Tertiò ſoluendum illi etiam eſt commune argumentum, quod illa prædefinitione tollatur neceſſaria malis actibus libertas, inductâ videlicet in voluntatem antecedenti atque ab ipſius arbitrio independenti neceſſitate. Sed quia hoc vrgebitur poſtea, nunc tantùm præmitto TViſſij ſolutionem qui ſic loquitur. Sicut poſito decreto vt quędam contingenter fiant, neceſſe eſt vt non modò fiant, ſed & contingenter fiant.... Ita etiam ex decreto permittendi peccata, & euenient peccata, & contingenter euenient, cum poſſibilitate non eueniendi: ita vt qui peccat poſſit non peccare. Expende, Amice Lector, verba illa, *Neceſſe eſt vt non modò fiant, ſed & contingenter, & cum poſſibilitate non eueniendi, ita vt qui peccat poſſit non peccare.* Hoc enim eſt, neceſſe eſt vt fiant ſine neceſſitate. Et quia ipſius, *neceſſe*, non eſt alia definitio quàm, *quod non poteſt aliter ſe habere*: Et ipſius *contingens*, quàm, *quod poteſt aliter ſe habere*, qui dicit neceſſe eſt vt hoc fiat, & fiat contingenter; hoc dicit, *Non poteſt aliter ſe habere quin hoc ſit: & ita ſit vt poſſit aliter ſe habere.*

Pugnæ verborum & ſententiarum apud TViſſiū circa indifferentiam ſeu non neceſſitatem liberorum actuum.

Diſertiùs hoc exprimit verbis ſequentibus. Si neceſſe
ib. pag. 145. eſt vt homo aliquis producat actum malitiæ ſubſtratum, neceſſe eſt vt peccet. Nam qui producit culpabiliter actum peccaminoſum, is peccat: & quiſquis producit actum peccato ſubſtratum producit actum peccaminoſum: ergo ſi neceſſe eſt vt producat actum peccato ſubſtratum, neceſſet eſt vt peccet; vt peccet, inquam, non tamen neceſſariò, ſed contingenter & liberè. Hoc etiam expende, *neceſſe eſt vt peccet, non tamen neceſſariò.* Cùm enim clarum ſit in modali propoſitione terminum modalem in aduerbium commutari poſſe hac ratione, *Probabile eſt hoſtes ſuperandos, hoſtes probabiliter ſuperabuntur*, Item, *verum eſt me promiſiſſe, Ego verè promiſi.* Et *Neceſſe eſt ignem excitari, Ignis neceſſariò excitatur.* Cum, inquam, ille modus conformandi & commutandi propoſitiones modales apud omnes mortales qui ſuprà infantiam ſapiunt, ſit legitimus

gitimus; si vsurpetur in TVissij propositione, *Necesse est vt peccet, non tamen necessariò*, vide quid emergat. *Peccat vel peccabit necessariò, non tamen necessariò.* Rursus cùm possit viceuersa commutari aduerbium in modalem terminum, cùm dicitur v. g. *Pluet, non tamen ita vt necesse sit*; hoc si seruetur in eadem TVissij propositione *Necesse est vt peccet, non tamen necessariò*, reddetur ista, *Necesse est vt peccet non tamen ita vt necesse sit.* Ita pinguntur hirco-cerui apud Leouardiam: neque huic tabellæ quidquam deest nisi vt inscribatur de more consuetâ Epigraphe, *faciebat Guillelmus TVissius.*

LXXVIII. Quartò cum in hoc negotio dicatur esse aliquid cuius Deus Auctor haberi debeat, aliquid cuius non debeat: aliquid quod ab eo fit, aliquid quod permittitur tantùm; distinguamus quæso id quod Deus tantùm permittit, ab eo quod facit. Quid igitur tantùm permittit Deus in peccato Angeli? Est actus malitiæ substratus, est eius libertas, est prohibitio, est malitia, Quid tantùm permittit Deus? Vt sit actus? At illum prædefinit, efficitque concursu antecedenti & concomitanti, & omni ratione illius Auctor est. Vt sit liber? Hoc ipsum eodem modo procuratur à Deo. Vt sit prohibitus? Prohibitionem ipse solus ponit & intimat. Vt sit malus? Nempe postquam decreuit Deus & effecit vt esset actus, & vt esset liber, & vt esset eius prohibitio; permittit insuper vt sit malus. Impedire enim potest: quid dicis Guillelme omnium mortalium acutissimè?

In contrariâ sententia nihil habet peccatũ quod meritò dici possit à Deo tantùm permitti.

LXXIX. Quintò quoties proponitur superior causa permittens aliquid fieri, debet assignari causa inferior id exequens quod superior tantùm permittit. Quænam igitur causa est in malis actibus id exequens quod Deus permittit? Facilè respondes, esse creaturam, Angelum v. g. peccantem. At quomodo exequitur Angelus peccans quod Deus permittit, & quid facit? Facit actum malitiæ substratum, & Deus etiam facit & magis facit quàm Angelus. Facit liberum, hoc etiam Deus prædefinit efficaciter vt fiat. Facit prohibitum, Deus præ Angelo facit non solùm actum, sed & prohibitionem, vnde præ Angelo fa-

Nulla esse causã executiuam peccati, si Deus non sit, apud Aduersarios.

cit actum prohibitum. Facit malum, inquis, & hoc Angelo tantùm permittit Deus. Sed cùm malus actus nihil dicat præter entitatem actus & malitiam; qui facit malum, alterutrum faciendo id facit: Atqui entitatem actus non magis facit Angelus quàm Deus; superest ergo vt ipse solus malitiam faciat. Malitiam porrò quomodo facit Angelus? Neque enim illa est aliquid quod per se fieri

supià ex l. 1 p. 141 possit. Nec diffitetur TVissius cum dicit, *Qui producit culpabiliter actum peccaminosum, is peccat*. Et *si necesse est vt homo aliquis producat actum malitiæ substratum, necesse est vt peccet.* Hoc enim dicere est, Malitiam non aliter produci quam

ib. pag. 139. productione actus qui ei substernitur. Quod apertius adhuc significauit paulò ante his verbis. Negamus prorsus diuinum decretum omnino determinare ad apponendam malitiam actui; sed neque tale aliquid cadit in decretum hominis.... Itaque malitia actus in peccato commissionis nullam requirit causæ determinationem ad ipsam producendam, præter determinationem causæ ad producendam ipsam actus substantiam. Ex quibus sic argumentor. Determinatio causæ ad producendam substantiam actus est illa ipsa quam solam malitia requirit ad sui productionem: Determinatio causæ ad producendam substantiam actus est à Deo: Ergo determinatio quæ est à Deo, est id quod solùm malitia requirit ad sui productionem: Ergo Deus vel magis vel certè non minùs producit malitiam, quàm ipse Angelus peccans.

Vnde iterum interrogo, Quid igitur Angelus peccans exequitur, quod non exequatur etiam Deus permittens? Respondisse forte se putat cum dixit, produci malitiam ab eo qui producit *culpabiliter* actum malitiæ substratum; vt velit esse duos producentes, Deum & Angelum; & Deum quidem *inculpabiliter* producentem permittere vt Angelus producat *culpabiliter*. At non vides, Guillelme, te vel stupore inculpabili, vel culpabili vafritie circulo vti? Culpabiliter enim agere, est esse principium actionis & culpæ: & Angelus non est aliter principium culpæ quàm quia est principium actionis determinatiuum: Atqui Deus hoc ipsum est, etiam præ Angelo: quare igitur

non est principium & causa culpæ; sicut Angelus. Non dico culpæ qua Deus ipse sit culpabilis, sed culpæ qua culpabilis est Angelus. Hoc est, Quare non dicitur Deus esse Angelo causa culpæ? Quòd si est, & si culpam Angeli exequitur Deus, quid ergo illi permittit?

LXXX. Vellet fortasse reijcere in nos telum istud; atque interrogare quid permittat Deus Angelo peccanti, qui etiam in nostra sententia actum malitiæ substratum cum Angelo facit? Sed breuiter respondeo, permittere illi ipsum quoque actum quem cum eo exequitur, quatenus indifferenter exequitur, factâ libertati Angeli copiâ determinandi se. Illa enim est vera permissio. Hoc est, concursu ita indifferenter exhibito, vt tam sit oblatus non peccanti quàm peccanti: sitque Deus tantùm causa sine qua non, Angelus autem causa cur sit actus peccaminosus potiùs quàm non actus. Vno verbo, Deus suam ipsius actionem Angelo permittit, cùm vult esse in eius potestate vt ea vel existat vel non existat. Et recolendum id quod antea ex Anselmo retulimus, *Deum non sponte dare, sed Angelum ab eo iniustè rapere* velle illud quod peccato subiacet. supra num. 44.

Atque hinc fit insuper, vt Deus erga malitiam nullam aliam habeat rationem causæ quàm permittentis. Quia malitia non potest attribui cuicumque causæ concurrenti ad substantiam actus; sed ei tantùm quæ se ad illam liberè determinat: hoc autem Angelus tantùm facit, Deus non facit: ergo Deus malitiam permittit tantùm, Angelus verò exequitur. Nec quicquam obstat quòd Deus etiam producat determinationem Angeli ad actum malum. Hoc enim non sufficit vt censeatur Angelum determinare. Quia, vt dixi, producit illam tantùm vt causa sine qua non, non autem vt causa cur producatur: Siue, quia producit indifferenter, & ita vt sit in potestate Angeli suspendere, aut non suspendere productionem illam, sitque Deus ex se propensior in non productionem quàm in productionem, quam etiam prohibet. Quod autem eâ ratione producit determinationem, non determinat propriè loquendo, dicique debet potiùs permittere determina-

tionem quàm exequi. Sole atque homine in eandem indiuisibiliter actionem concurrentibus, non potest non concedi solem facere determinationem hominis ad producendum hominem: & tamen non dicitur sol determinare hominem ad productionem hominis, sed ab eo potiùs determinari.

Clem. Alex 5. str. Naz. or. 3 con. Iul. Theodoretus 3 Græc Aff.

LXXXI. Nec quisquam putet nuperam esse cogitationem hanc & ab incude modernorum Scholasticorum recentem. Est ille antiquus Christianismi sensus, propagatus à Patribus Clemente Alexandrino, Nazianzeno, Theodoreto, qui rationem cur Deus non sit causa mali, non aliam afferunt, quàm quia illius tantùm est culpa cuius est electio. Electio verò hîc loci esse aliud non potest quàm determinatio eliciendus ne sit actus malus necne. Volunt ergo solius peccantis esse determinationem hanc, dum illi soli electionem attribuunt; ideóque solum esse peccati causam, non autem Deum.

Contraria sententia iustitiæ diuinæ ac bonitati quàm sit contraria.

LXXXII. Sextò. Non omittam expendere hoc etiam, qualem Deum nobis sculpat iste faber, omni circulatore fallaciorem, omni tyranno crudeliorem; impellentem vnâ manu, retrahentem aliâ; impedientem occultâ voluntate, quod apertâ exigit; prædefinientem vt ea fiant quæ implicat fieri, nisi fiant etiam ea quæ prohibet; & quæ vt fierent decreuerat, flammis persequentem. Sume enim quocumque voles modo malum Angeli actum, materialiter, formaliter, specificatiuè, reduplicatiuè; sume, inquam, quod est in tali actu prædefinitum à Deo, sume etiam quod est ab eodem prohibitum; & edissere nobis ecquâ ratione fieri possit id quod est prædefinitum, quin fiat id quod est prohibitum? Et quia hoc præstare non potes; vide cuius Dei sit illa species qui dicit Angelo, Nolo vt illum actum elicias, & si elicueris æterna damnatio te manet: apud se verò dicit, Volo vt illum actum eliciat liberè atque in illis circumstantijs in quibus implicat non esse damnabilem: & hoc efficaciter volo, atque infallibiliter; & omnipotenti voluntate, cui nolo vt resistat voluntas Angeli. *Venite*, inquit ad peccatores, *omnes qui laboratis* &c. apud se verò, Nolo vt veniant, & insupe-

rabili decreto impedire statui ne veniant, negatâ videlicet ad veniendum necessariâ motione, immissâ verò ad manendum in infidelitate sua. Ecquis in faciem non resistat isti Deo dicenti, *perditio tua ex te, ex me autem tantùmmodo auxilium tuum.* Quid? non est ab eo prædefinitus actus quo perditus sum? Et illa prædefinitio auxilium fuit ad non cadendum, vt iactare possit iste Deus, *ex me autem tantummodo auxilium tuum?* Sed quam instantiam habet Dæmon vt conuincat dicentem *se nihil odisse eorum quæ fecerit!* Illum videlicet amabat hic Deus, cum prædefiniret actum quem sciebat esse nexu indissolubili cum eius damnatione colligatum? *Intentatorem* verò *malorum* cur se esse glorietur, qui non suadendo tantùm, non præcipiendo, non rogando; sed nihil tale cogitantem, & tanquam in æquilibrio constitutum impellendo virtute insuperabili mouet ad actum, quem scit esse non posse nisi sacrilegum? Et non liceat hîc iterum exclamare, O Christiani vestram fidem?

Sed quid postulat Deus ab Angelo cadente, & quare in illum sæuit? Quia elicit actum malitiæ substratum? Atqui occupauerat illum prædefinitione suâ vt eliceret. Quia elicit liberè? hoc quoque prædefiniuit. Quia prohibitum? Solus ipse causa est cur & sit prohibitio, & sit cognita transgredienti. Vnde cûm & actum prædefiniat, & prohibitionem superaddat, non potest nolle esse prohibitum. Posito autem quòd sit & entitas actus, & libertas, & prohibitio intimata operanti, quid præterea requirit ab Angelo? Ne sit malus? Atqui non esse implicat. Et tamen ideo tonare, ideo fulminare, ideo cruciatus omnes expedire, flammisque addicere sempiternis! Iterum atque iterum, ô Christiani vestram fidem!

LXXXIII. Septimô tandem addendus est Sanctorum Patrum consensus vnanimis dum negant à Deo prædefinitos esse malos actus, vti antea monstrauimus. Suprà c. 21. §. 2. num. 31.

§. III.

Reijcitur cauillus de prædefinitione actus qui malus est, & vt malus est, ex doctrina SS. PP. præsertim Augustini.

LXXXIV. SEd respondent à Patribus tantùm reijci prędefinitionem malitiæ, non autem actûs qui malitiæ substernitur: vel reijci prædefinitionem actus vt mali, non autem secundùm suum esse absolutum & physicum. Nimirum nisi Sancti Patres ad Scholam redeant, & ad nuperas Academicorum tricas accommodent sese, ingeminentque τὸ *materialiter & formaliter, specificatiuè ac reduplicatiuè*, nulla supererit ratio quâ suam ipsi mentem nobis aperiant. Ego verò perspicuum esse puto, negare illos prædefinitiones eorum actuum qui & sunt & sciuntur esse tum liberi tum mali, prò illis circumstantijs à quibus implicat abesse malitiam. Hoc enim apertè deducitur, tum ex eo ex quo id ipsi deducunt; tum ex eo quod exinde inferunt: quòd perinde valeat ipsorum ratiocinatio admissâ solâ malorum actuum materialiter & specificatiuè sumptorum prædefinitione. Potestque hoc inductione probari. Et vt à posterioribus ordiamur.

Suprànum. 46. LXXXV. S. Thomas eam solam admittit liberorum actuum, malorum præsertim, præscientiam, ex qua nulla sequatur eorum necessitas præter illam quâ dicitur, id quod est, quando est, necesse est esse; quæ est necessitas consequens ipsam rei existentiam. Hinc meritò inferimus agnoscere illum nudam & sine prædefinitione huiusmodi actuum præscientiam: neque magis excludi prædefinitionem actus mali, vt malus est reduplicatiuè, quam actus qui malus est specificatiuè. Perinde enim ex istius atque alterius prædefinitione sequitur necessariam fore malitiam, non tantùm consequenti necessitate, & quâ dicitur, id quod est, quando est, necesse est esse; sed & antecedenti. Prædefinitio enim necessarium facit & actum

qui malus est, & quidquid est cum illo necessariò atque inseparabiliter connexum, cuiusmodi est malitia vt supponimus: quòd sit manifestum, qua necessitate necessarium est antecedens, eâdem esse necessarium consequens, quod illi nexu indissolubili connectitur.

Magister sententiarum quo sensu affirmaret Deum præsciuisse mala *solâ notitiâ* non autem *beneplacito*, si notitia illa necessariò præsupponeret beneplacitum prædefiniens actum cum quo & ex quo malitia necessariò resultat? Quare de malis specialiter diceret, *nec præsciisset nec prædixisset eorum mala, nisi essent ea habituri*, si esset anterior quædam prædefinitio eorum actuum quibus malitia necessariò adhæret, quâ mala fierent Deo cognoscibilia? Vel quare non id ipsum de bonis diceret, Deum scilicet non fuisse præsciturum, nisi homines illa essent habituri? Qua ratione demum assereret præscientiam Dei esse causam tantùm *sine qua mala non fiunt*, non verò, *causam cur fiant*, si præscientia supponeret aut inuolueret prædefinitionem? quæ cùm non possit negari esse causa, & quidem primaria cur fiat actus prædefinitus, hoc est actus qui scitur malus esse; non potest etiam negari esse causa, cur sit quidquid ille necessariò trahit, & proinde causa cur sit ipsa malitia.

In Deo sola notitia, sine beneplacito circa peccata. suprà n. 45.

Præscientia Dei causa sine qua non malorum actuum.

Anselmus apertè distinguit in Angeli peccato ipsum velle Angeli ab iniustitia, seu iustitiæ defectu in qua ille ponit rationem mali seu malitiam. Loquitur enim de illo malo quod non est aliqua essentia, Quod impossibile est „ esse, Quod ideo nec venire potest nec recedere, quia est „ nihil, Quod est tantùm recessus iustitiæ; suppositáque illâ „ distinctione ipsum velle quod tali malo subest, & quod est actus malus specificatiuè sumptus, à Deo esse concedit; à Deo, inquam, *non sponte dante, sed vt rapiatur permittente*. An non sponte dat qui sponte prædefinit, idque absolutè & efficaciter?

suprà num. 44. ex c. 17. & 28. de casu Diaboli.

Damascenus malum specificatiuè omnino sumit pro actu qui malus est. Vocat enim malum *id quod nonnullam absurditatis speciem præ se fert*. Item, *Actionem quæ absurditatis speciem habet*, quod est loqui *specificatiuè*. Hanc autem

suprà num. 31. & 43. de fide Orth. l. 2. cap. 29.

actionem ad *permissionem* Dei tantùm pertinere significat: & hanc permissionem distinguit contra *propensam Dei voluntatem*, cùm dicit *propensâ voluntate Dei fieri quæ citra controuersiam bona sunt; permissione autem, quæ nonnullam absurditatis speciem præ se ferunt*. Distinguit & contra *voluntatem antecedentem ac beneplacitum* cum dicit *priùs illud, Antecedens voluntas seu beneplacitum dicitur ex ipso manans, secundum autem insequens voluntas atque permissio, ex nostro vitio ortum ducens.* Quin etiam addit *permissionem* quatenus ad mala pertinet, nec ad *primariam* Dei voluntatem nec ad „ secundariam pertinere. Sic enim loquitur, Ex ijs quæ in „ nostro arbitrio consistunt, ea quidem quæ bona sunt pri- „ mariè vult Deus, gratáque habet; mala contrà nec pri- „ mariè nec secundariè: verùm libero arbitrio ea permittit. An est aliqua prædefinitio quæ neque ad *propensam Dei voluntatem*, neque ad *antecedentem*, neque ad *beneplacitum* neque ad *secundariam* pertineat? Nulla igitur est circa malum. Circa malum, inquam, *quod libero arbitrio permittitur*: neque aliud malum libero arbitrio permittitur, quàm malum specificatiuè ac materialiter sumptum. Formale siquidem malum, seu malitia libertatem non habet nisi ratione materialis actus cui adhæret. Essetque ridiculus qui cum prædefiniuisset actum, qui malus est cum omnibus circumstantijs ad libertatem & malitiam requisitis, permittere vellet vt esset malus, quippe cùm hoc implicet impediri. Vnde intelligas quid velit Damascenus initio capitis sequentis cum dicit *Deum præscire mala sed non prædefinire, iussione autem præscientiæ coniunctâ effici prædefinitionem*. Excludit nimirum à malis & *propensam voluntatem*, & *antecedentem* & *beneplacitum* & *primariam*, & *secundariam*, & absolutam illam atque efficacem, qualis esse solet *iubentis*, vt obsurduisse oporteat qui tot vocibus excitatus non audit, procul abesse à sententia Damasceni, malorum actuum etiam specificatiuè ac meterialiter sumptorum prædefinitionem.

Voluntas antecedens & subsequens apud Damascenum.

Leo Nonus dum in confessione fidei quam mittebat ad Petrum Antiochenum, credere se dicit *Deum prædestinasse tantùm bona, præsciuisse autem bona & mala*, bona & mala eodem

suprà num. 48.

eodem sensu accipit. Vnde sicut prædestinasse bona non est sensus formalis solùm, sed & specificatiuus & materialis, vt sit prædestinasse ea quæ bona sunt, & non solùm ipsam bonitatem; ita dum ait præsciuisse tantùm mala hoc est non prædestinasse, intelligendus est de eo quod malum est, & non de ipsa tantùm malitia.

Eucherij ratio qua Iudæorum infidelitatem pertinere negat ad prædestinationem, sed solùm ad præscientiam, Quòd scilicet Deus non *impellat* ad peccatum neque induret *adiuuando*, sed tantùm *deserendo*; tantumdem valet ad impugnandam prædefinitionem actus qui malus esse scitur pro illis circumstantijs pro quibus necessariò malus est, quàm prædefinitionem malitiæ, vel actus vt mali. Vnâ enim ratione neque magis neque minus *compellitur* homo aut *adiuuatur* ad peccandum quàm aliâ. ib suprà num. 45.

Voluntas interficiendi Christum, quam habuerunt Iudæi, quid aliud fuit quam materiale peccati? Atqui S. Leo negat pertinere illam ad Dei dispositionem; esto, pertinuerit ad præcognitionem: diuersumque in Deo fuisse illius principium, & voluntatis moriendi quam habuit Christus. Quomodo autem non pertineret ad Dei dispositionem, & quare aliud esset illius principium, si vtrumque fuisset prædefinitum? suprà num. 43

Ex Concilio Valentino, si bene infertur negatio prædefinitionis, infertur certè negatio prædefinitionis tendentis in materiale peccati, siue in actum malitiæ substratum. Quia vt iam sæpe monstratum est, tam sequitur peccandi necessitas ex prædefinitione actus qui malus est, pro illis circumstantijs pro quibus non potest non esse malus, quàm ex prædefinitione malitiæ ipsius: & vtralibet prædefinitione suppositâ peræquè falsum est quod Concilium significat, ideo præscientiam non imponere necessitatem, *quia Deus tantùm præscit quid homines liberè facturi sint.* Item peræquè falsum est quod dicit, in eo electionem saluandorum à damnatione periturorum distingui, quòd in illa, *Dei misericordia præcedat bonum meritum*: in ista, *malum meritum præcedat Dei iudicium.* suprà num. 42.

Quod Deo displicet, est materiale peccati, & hoc ip- suprà n.42.

sum est quod Arausicanum negat esse ex voluntate Dei, ,,
dum definit homines in eo faciendo *non facere voluntatem Dei, sed suam.* Vbi ipsa quoque hominum voluntas, ,,
quæ est actus malitiæ subiectus, cùm opponatur Dei voluntati, satis apertè monstratur non esse ab ipso prædefinita. Vnde liquet quo pertineat execratio illa, quæ subiungitur, in eos qui dicunt aliquos esse ad malum prædestinatos.

supra num. 41. Non de malitia loquitur Fulgentius, sed de voluntate mala primi hominis, quando adeò disertè negat illam esse à Deo prædefinitam. Et si rationes omnes, quibus adducitur vt neget malorum prædestinationem, excutiantur; euidens est aut nihil probare, aut probare perinde nullam esse admittendam mali actus etiam materialiter & specificatiuè sumpti prædefinitionem, vt planum fiet singula expendenti quæ antè adducta sunt.

supra num. 40. Patet hoc ipsum & in Prospero dum *mala opera nostra* negat esse prædefinita, & solam admittit eorum præscientiam. Malum enim opus vel est, vel includit necessariò materiale peccati, cuius non potest dari sola præscientia, si datur insuper prædefinitio, quam talis præscientia, necessariò supponat. Et est manifestum, absurdum illud quod obijcit Prosper contra prædefinitionem malorum, quòd inde sequatur *Deum facere vt bene currens cadat*, & *punire quod vt fiat impellit*; eandem habere vim contra prædefinitionem actus qui malitiam trahit necessariò, vt per se patet. Et quæ poterit esse interpretatio eorum quæ dicit ad 13. obiectionem Vincentianam de hominum casu?
„ Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus sanctus:
„ nec tali negotio quidquam diuinæ voluntatis interuenit,
„ cuius opere scimus multos ne laberentur retentos; nullos
„ autem vt laberentur impulsos. Quid? impellere Angelum in actum qui malitiam trahit necessariò, non est impellere in lapsum? Et prædefinire impulsum illum, talique prædefinitione occupare voluntatem Angeli, hoc demum est nihil agere, nihilque in tali negotio interuenire diuinæ voluntatis? Atqui hoc totum admittitur admissâ prædefinitione actus qui malitiæ substratus est,

pro illis circumstantijs in quibus & est, & scitur necessariò substratus, quocumque tandem bono fine prædefiniatur. Bonus enim finis excusare tantùm potest prædefinientem, non autem effectum prædefinitionis tollere, qui est impulsus in actum qui malus est, & per sequelam necessariam, in ipsam malitiam.

Possem eodem modo percurrere cæteros Patres, atque ostendere, quam illi negant prædefinitionem aut voluntatem Dei antecedentem circa mala, nequaquam intelligi de sola malitia, sed & de actu cui malitia necessariò connectitur. Sed quia iam audiuimus concedere TVissium cæteris Patribus incognitas fuisse prædefinitiones istas, & ab Augustino primùm assertas, eóque iam facto sapientiori ex congressu cum hostibus diuinæ gratiæ, sistamus in Augustino, & videamus an neget ille antecedentem & decretoriam Dei voluntatem circa malitiam tantùm, an etiam circa ipsum actum cui malitia necessariò connexa est.

supràà num. 31.

LXXXVI. Voluntas mala non est malitia, sed est actus cui malitia connectitur. At nunquid negat Augustinus voluntatem malam esse prædefinitam cùm dicit, *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo: & ideo non scriptum est, quia verum non est:* Et, *Omnium potestatum dator est* Deus, *non omnium voluntatum?* Quo in loco si quis cauilletur & dicat, Deum non negari datorem esse voluntatis quæ mala est; sed tantùm voluntatis vt mala est; constat eodem quoque modo distinguendam potestatem, atque dicendum Deum non esse datorem potestatis vt ad malum est, sed eius tantùm quæ ad malum est: Ergo cum non eodem modo sit dator voluntatis quo potestatis; consequens est ex Augustino vt negetur esse dator voluntatis, non tantùm vt mala est reduplicatiuè, sed etiam quæ mala est specificatiuè.

De spiritu & lit. c. 31. 5. de ciu. cap. 9

Augustinus quoque reijcit prædefinitiones malorum actuum specificatiuè sumptorum.

Et si datur antecedens voluntas circa materiale peccati, quæ sit etiam ratio illud præsciendi tanquam futurum, quis poterit esse sensus eorum verborum quibus dicitur, *ideo non dubitari peccare hominem cum peccat, quia Deus non fatum, non fortunam, non aliquid aliud: sed ipsum peccaturum*

5. de Ciu. cap. 10.

præsciuit? Si est *aliquid aliud* quod sit etiam ratio præsciendi futurum peccatum, nempe prædefinitio actus qui malus est, hoc ignorat Deus? Hoc non præscit?

13. de Ciu. cap. 13. Et si est prior Dei voluntas circa actum qui malitiam secum necessariò trahit, quâ fide dici potest voluntas hominis aut Angeli *ad malum prior?*

14. de Ciu. cap. 11. Et lib. de prędest. SS. cap. 10. suprà num 32. Et si prædefinitur à Deo ille actus qui scitur malitiam secum necessariò trahere, numquid verissimè dicitur facere Deus vt homo aut Angelus illum eliciat, quocumque tandem bono fine id faciat? Quòd si facit Deus vt homo eliciat actum qui malitiam trahit etiam tum, cùm illam necessariò trahit; quodnam igitur esse potest illud opus, de quo negat Augustinus *Deum facere vt homines illud faciant*, quodque vocat *alienum factum?*

Malitia nō potest esse alienum factum si prædefinitur actus malus, etiā materialiter sumptus. Et quodnam est illud *alienum factum?* Malitia, inquis. Sed malitia neque opus, neque factum est; sed defectus potiùs operis & facti. Quem defectum cùm implicet habere aliam causam, quàm illam quæ causa est cur sit tale opus & tale factum; quid superest rationis ad negandum, Deum qui prima & principalis causa eiusce rei dicitur, facere etiam vt homo malitiam faciat, si licet ita loqui. Manifesta enim est argumentatio hæc. Hominem facere malitiam non est aliud quàm facere actum quem scit habere malitiam annexam: Atqui Deus suâ prædefinitione facit vt homo faciat actum, quem scit habere malitiam annexam: Ergo Deus suâ prædefinitione facit vt homo faciat malitiam, quo modo illa fieri potest: Ergo cùm hoc sit opus & factum Dei, ex Augustino, quod Deus facit vt homines faciant; opus & factum Dei erit actus malus secundùm eandem rationem secundùm quam est opus & factum hominis.

Suprà 13. de Ciu. c. 15. Et de bono perseu. c. 6. Et quis erit sensus eius quod dicitur, *Anima non deserta est vt desereret; sed vt desereretur deseruit.* Si enim præuenitur voluntas deserentium antecedenti decreto efficaciter

Deus non desertus desereret. operante actum quo Deum deserunt, in illis circumstantijs in quibus implicat non esse desertiuum; quid habet voluntas quod dici possit prius tali præoccupatione, vt ideo censeatur *deseruisse vt desereretur*, præsertim si

recurramus ad Angelorum aut Adami peccatum?

Et illud ex quæst. 2. ad simpl. lib. 1. *Non irrogari aliquid à Deo quo sit homo deterior, sed tantùm quo sit melior non erogari*, an stare potest cum opposita sententia? Actus qui malitiam necessariò habet annexam non est *aliquid?* Non fit illo *deterior*, homo? Ille non *irrogatur*, à Deo prædefiniente?

Et illud quo fusè probat Deum ne per creaturas quidem nisi iam suâ sponte ad hoc inclinatas, multò minùs per seipsum impellere ad id quod malum est: & eâ tantùm ratione factum vt Israëlitas iuberet Deus, vel potiùs „ pro eorum cupiditate permitteret, vt vasa aurea & ar- „ gentea quibus adhuc terrenæ cupiditatis appetitores in- „ hiabant, & peterent ab Ægyptijs non redditur, & acci- „ perent quasi redditur. Facere Deum per se ipsum, quæ „ illo solo digna sunt, eique soli conueniunt, sicuti est illu- „ minare animas, & se ipsum eis ad perfruendum præbendo „ sapientes beatasque præstare; alia per seruientem sibi „ creaturam integerrimis legibus pro meritis ordinatam, „ quædam eorum iubendo, quædam permittendo. Hæc, „ inquam, quomodo quadrabunt cum antecedente peccatum Angeli voluntate, cumque illa prædefinitione ex qua sequutus est actus qui non poterat non esse malus? Non fecit hoc Deus *per seipsum?* Vsus est *aliâ quadam creaturâ*, vt Angelum impelleret nullâ ratione adhuc in malum propensum? Hoc verò est *illuminare animas* séque illis fruendum præbere, cuiusmodi actiones solo Deo dignæ sunt? Abeat igitur inutilis hoc loco distinctio actus mali *formaliter, & reduplicatiuè*, seu *materialiter & specificatiuè* sumpti: quæ nihil potest ad eludendum tantæ auctoritatis pondus, quod mox iterum explodetur. lib. 83. quæst. quæst. 53.

Denique huc referri debent quæcumque dicuntur à Patribus & ex sacris paginis eruuntur, vt persuadeamur Deum non esse causam Auctoremve peccati. Sequitur enim inde non posse prædefinire antecedenter actum malum. Quomodo enim potest quis negari & causa & Auctor eiusce rei, cuius productionē suâ definitione præuenit efficaciter; ita vt etiam omnem aliam eius causam excitet? Prædefinitio mali actus sumpti etiam materialiter constituit Deum peccati causā atque Auctorem.

LXXXVII. Hic recurrit superior distinctio de actu malo vt malus est reduplicatiuè, & de actu qui malus est specificatiuè. Et quia negari potest Deum prædefinire actum vt malus est, consequenter negandum Deum suâ prædefinitione fieri causam vel Auctorem peccati. Sed recurrunt eædem semper difficultates. Quærimus enim quid sit prædefinire actum vt malus est? An est intendere malitiam ipsam? Atqui hoc non est necessarium ad constituendum Auctorem aut causam peccati. Nam ne ipse quidem homo illam intendit: sufficitque illi vt sui peccati causa & auctor habeatur, quòd in operatione, quam etiam ob bonum & honestum finem potest intendere, sciat esse malitiam. Quare hoc ergo non sufficiat Deo vt sit causa & auctor peccati?

LXXXVIII. An est, ita prædefinire actum malum, vt exinde malitiam contrahat & ipsa prædefinitio, & qui prædefinit? Sed & hoc frustra est. Non enim contendimus Deum fieri causam & auctorem alicuius peccati proprij, & quod ipse contrahat; sed alieni tantùm, & quod ab Angelo vel ab homine contrahatur. Et vnum alteri esse causam vel auctorem peccati, non consistit in eo quòd est esse participem illius malitiæ & peccare cum illo: vnde nec auctor peccati alterius dicitur quicumque cum altero peccat, si iussus verbi gratia hoc facit, aut ab eo deceptus, aut inductus; sed est quidam modus se habendi ad peccatum alterius impellendo & mouendo, qui quamuis innoxius esset, constitueret tamen auctorem peccati. Quemadmodum & auctor alicui operis boni dicitur etiam is qui nullam inde bonitatem contrahit, quia ex hypothesi peruersâ intentione mouetur ipse, vt suadeat id quod præuidet exequendum honestè ac laudabiliter ab alio: vt si frater fratrem impelleret ad statum religiosum spe potiundæ hæreditatis. Quidni pariter auctor esset rei malæ, qui tali quodam modo ad eam impelleret; etiamsi nullam inde malitiam in se ipse deriuaret? Modus autem ille se habendi ad peccatum alterius quis est? Non rogare, non suadere, non iubere, non consilium dare tantùm, sed est aliquid commune illis omnibus; nempe

quocumque modo alium ita impellere ſcienter ac liberè, vt verè dici poſſit inde ſequutum eſſe illius peccatum. Deus autem non ita impellit dum Angeli malum actum etiam ſpecificatiuè ac materialiter ſumptum prædefinit? Non vult vt producatur, & vt liberè producatur, & vt producatur in illis circumſtantijs in quibus ſcit eſſe prohibitum? Et illa prædefinitio non eſt prima radix cur ſit ille actus, & cur ſit liber, & cur talis ſit in circumſtantijs in quibus eſt prohibitus? Hoc vero ſuppoſito fieri poteſt vt non ſequatur malitia? Non ergo deſinet Deus eſſe auctor peccati; quamuis eo ſenſu quo dictum eſt, malum actum non prædefiniat vt malum.

LXXXIX. Et ideo quæritur tertiò quo alio ſenſu dici poſſit Deus non prædefinire actum malum vt malus eſt? An illo quòd ſcilicet malitia quæ ineſt huiuſmodi actui, cùm ſit defectus quidam, non dicat ordinem ad primam cauſam prædefinientem, ſed ad ſecundam tantùm: quæ ſola eſt cauſa deficiens? Sed hic ſenſus cum priore coincidit, & ſimiliter reijcitur. Quia hoc non eſt neceſſarium vt conſtituatur auctor peccati Deus. Numquid enim eſt auctor homini & cauſa vitalis actus, viſionis, verbi gratia intellectionis, volitionis? Et tamen vitalis actus hominis non dicitur vitalis per ordinem ad Deum. Neque enim viuit Deus per actum vitalem hominis, neque videt per illius viſionem: nec per intellectionem intelligit: nec per volitionem vult. Sed quia eſt prima cauſa cur ſequatur actus (intelligo ſemper actum non liberum & non malum) qui eſt homini vitalis eumque viuificat, conſtituitque videntem, intelligentem, volentem, ideo dicitur Deus eſſe homini cauſa & auctor actuum huiuſmodi. Quare ergo ſi ſit etiam cauſa cur ſequatur actus qui homini malus eſt, eumque inquinat & peccatorem conſtituit; etiamſi non ſit malus Deo, non dicitur eſſe homini cauſa & auctor peccati? Perſpicuum enim eſt artificem eſſe cauſam & auctorem æqualitatis vnius quanti cum alio, etiamſi æqualitas illa non ſit relatio ad artificem ipſum, ſed ad aliud quantum: ſed eo ipſo tantùm, quòd eſt cauſa eius ex quo reſultat æqualitas: Et pictor eſt cauſa & auctor

similitudinis quà tabella prototypũ repræsentat; quamuis illa similitudo nequaquam referatur ad pictorem, sed eo ipso tantùm quòd pictor est causa & auctor omnium ex quibus consurgit similitudo: Atqui Deus est Angelo causa & auctor omnium ex quibus consurgit necessariò malitiæ respectus & defectio illa, qua peccati ratio absoluitur ex hypothesi: Ergo & ipsius malitiæ & defectionis Angelo causa & auctor censeri debet, etiamsi ea non referatur ad Deum.

Confirmatur, quia ipse quoque Angelus peccans, non est causa malitiæ quatenus est terminus adquem illa refertur: terminus enim relationis, sub eâ ratione non est illius causa: sed Angelus est causa malitiæ, quatenus efficiens illa omnia ex quibus malitiá necessariò pullulat: Atqui Deus suâ prædefinitione illorum etiam omnium ex quibus malitia pullulat causa & auctor est, ex hypothesi contrariæ sententiæ: Ergo non est cur negetur esse Angelo causa & auctor malitiæ, ex eadem hypothesi.

XC. Vnde. Quartò interrogo quo alio sensu negent Deum prædefinire actum malum, vt malus est? An ideo quia non prædefinit id ex quo videt malitiam consequi necessariò? Hoc autem in contraria sententia falsum est. Vult enim Deus suâ prædefinitione vt sit actus, & vt sit liber: prohibitionis verò Deus solus propriè auctor est. Ex illis autem tribus, esse actum, esse liberum, & esse prohibitum, tam necessariò sequitur esse malum, quàm necessariò ex vno & duobus sequuntur tria. Ergo si hoc est Deum prædefinire actum malum vt malus est; reuera concedendus est ita prædefinire.

Prædefiniēs actum qui malus est, est plus quàm Auctor malitiæ.

Confirmatur. Quia qui iubet, qui suadet, qui rogat alium rem quam scit esse malam, eo ipso præcisè quòd sciat esse malam, nec possit ab alio nisi malè fieri, quocumque tandem bono fine moueatur; nihilominus tamen censetur impellere ad actum malum vt malus est, quantùm satis est vt dicatur esse alteri causa & auctor peccandi: sed qui prædefinit eundem actum cum eâdem præuisione malitiæ infallibiliter sequuturæ, quocumque bono fine id faciat, eo ipso plus confert ad actum malum, quàm qui

qui vel præcipit, vel suadet, vel rogat, hic enim moraliter tantùm, ille etiam physicè mouet: & moralis necessitas agendi malè, quàm vnus inducit, minor est physicâ quæ per alium inuehitur: Ergo qui eo modo prædefinit, à fortiori censendus est impellere in actum malum vt malus est, quantùm requiri potest, vt dicatur esse alteri auctor & causa peccandi: aut si hoc negatur; non ob defectum negari potest, quasi rationem illam non attingat; sed ob excessum, quia superat & est plus quàm Auctor.

Iterum confirmatur. Quia nemo est qui non putet Deum fore auctorem peccati, si daret consilium aut præceptum v. g. peierandi, vel idolum adorandi, quodcumque bonum intenderet ex tali actione, quamuis actio illa sumeretur materialiter secundùm suum esse physicum; eo ipso tantùm quod sciret suppositâ libertate non posse esse nisi malam: Atqui plus est prædefinire actionem illam, quàm præcipere aut suadere, ob rationem proximè adductam, & quia certiùs ac efficaciùs sequitur actio illa ex prædefinitione, quàm ex consilio vel præcepto: & consequenter certiùs & efficaciùs inde sequitur malitia. Quæ igitur ratio est cur tale præceptum consiliumue tendere dicatur necessariò in actum malum vt malus est; non dicatur autem idipsum de prædefinitione eiusdem actus?

§. IV.

An sit tolerabile Deum dici Causam peccati cùm Auctor dici nequeat.

XCI. QVod superioribus argumentis conficiebatur TVissius partim concedit, partim negat: concedit enim Deum esse *causam peccati*, sed, *inculpabilem*; Auctorem verò posse dici negat. verba illius repræsento ex libro secundo vbi asserit, Quemadmodum ideo „ credit homo, non quia Deus præsciuit crediturum, sed „ quia prædefiniuit; ita ideo fecisse quod fecerunt Pontius „ p. 252.

„ Pilatus & Herodes, non quia præsciuit hoc Deus, sed „ quia prædefiniuit. Interea distinguimus, *inquit*, de causa „ culpabili & non culpabili. Voluntas Dei est causa rerum „ omnium quæ fiunt, sed non culpabilis; homo causa est „ malorum omnium quæ fiunt ab ipso, & causa culpabilis: „ quia non modo inordinatè & indebitè facit quidquid fa- „ cit, sed & liberè.... NEC OMNINO NEGARI POTEST „ VOLVNTATEM DEI ESSE CAVSAM omnium quæ fieri „ vult: & nihil esse nisi quod Deus fieri velit SIVE BONVM „ SIVE MALVM, disertissimè professus est Augustinus. Vnde „ sequitur Deum esse causam tum boni, tum mali. Et deinde. Rursus distinguimus dicimusque licet Dei voluntas sit „ rerum omnium causa, minimè tamen dicenda est auctor

pag. 339. „ rerum omnium. Et ne quis ideo non dicendam putet, quia malè sonat apud Grammaticos; subdit. *Auctor est duntaxat rerum omnium quæ vult vt fiant ipso faciente: at non est dicendus auctor eorum quæ vult vt fiant ipso dumtaxat permittente*, Quo dictionis filo vides Lector, Dei voluntatem, vt sit robustior ad causandum malum, fieri ab hoc Auctore masculini generis. Sed illud peccatum alterius est tribunalis. Hoc tantùm vrgeo, posse Deum dici Causam peccati, nimirum inculpabilem, Auctorem verò dici non posse.

Hoc verò quid rationis habet? Et quare distingui non potest auctor peccati, vt sit alius culpabilis, alius inculpabilis, quemadmodum distinguitur causa? Quænam est, inquam, illa peccati discretio, vt possit non inquinare *causam* suam, sed sinere illam esse inculpabilem; non possit autem non inquinare suum auctorem? Agimus enim de causa intelligente ac libera, quæ si supponitur ea intentione ac modo versari circa malum, vt sit gloriosum *causam* esse peccati; quidni fieri quoque possit vt non sit indecorum illius *auctorem* dici? Quòd si vsus attenditur & inolita loquendi consuetudo; plura etiam occurrunt ad negandum Deo attributum *causæ* respectu peccati, quàm *auctoris*.

XCII. Augustinus causam mali quærit, certus eam esse

7. Conf. „ quærendam extra Deum. Non tenebam, *inquit*, explici-

tam & enodatam causam mali. Quæcumque tamen esset sic eam quærendam videbam, vt non per illam constringerer Deum incommutabilem, mutabilem credere, ne ipse fierem quod credebam. O tardum, nisi stupidus esset TVissius, Augustinum! Quid timet ne cogatur Deum mutabilem facere ex bono scilicet in malum, si dicat illum causare malum; cùm & hoc dicere possit, & illud negare, causam scilicet mali Deum asserendo, sed sanctam atque inculpabilem? Pergit, Itaque securus eam quærebam, & certus non esse verum quod illi dicerent (Manichæi) quæ toto animo fugiebam, quia videbam quærendo vnde malũ, repletos malitiâ, quia opinabantur tuam potiùs substantiam etiam malè pati, quàm suam malè facere. Et intendebam vt cernerem quod audieram, liberum voluntatis arbitrium causam esse vt malum faceremus. Falsa erat illa securitas & dubia certitudo: neque à Deo ad liberum arbitrium abeundum fuit, vt inueniretur causa mali: coniungendum potiùs fuit vtrumque, ac dicendum, Deum primam esse atque inculpabilem mali causam; secundariam & culpabilem liberum arbitrium. Sed ista nescire Augustinum oportuit, quæ temporibus seruata melioribus ex Caluinistarum Euangelio discenda fuerunt. Illa verò ratio quam tandem inuenit Augustinus vt neget Deum esse *causam* mali, *Quòd malum non sit substantia quædam; Quòd quidquid est, bonum est*, ideoque quia non facit Deus nisi quod est, *non fecisse nisi bona*, atque ita malum inter illius effectus locum inuenire non posse; frustranea est, neque impedire potest quominus Deus dicatur esse *causa* mali iuxta TVissium.

cap. 3. S. Patres non Auctorem tantùm mali sed & causam esse Deum negãt præsertim Augustinus.

ib. cap. 12.

Sed quid dicemus centum alijs Augustini placitis quibus negat Deum esse causam mali? 15. de Ciu. *Nemini tribuas*, inquit, *quod peccas, nisi tibi.* Quidni & Deo? Non licet suum vnicuique *causæ* effectum tribuere? Ep. 120. *Peccata hominum potuit præscire, non facere:* Potuit, inquis, etiam *causare.* In quo verò genere causæ? Non alterius opinor quàm efficientis: ergo potuit efficere. In Psal. 7. *Diuinæ prouidentiæ ista dispositio tribuenda est: non quia ipsa peccatores facit; sed quia ordinat cùm peccauerint.* Et Psal. 9.

Cap. 7.

cati, nempe illud facere, quod est *causare*: ac deinde duos modos exhibet quibus impij sua in Deum peccata referunt tanquam in auctorem, nempe vel mediatè interuentu aliarum causarum, vel immediatè. *Aliquando*, inquit, *missis omnibus omnino directè eunt ad Deum*; *& quando peccant dicunt*, *Deus hoc voluit*, *si nollet Deus non peccarem*. Hoc quod est *Deum velle* sufficit Augustino vt censeatur fieri auctor peccati: atqui causare Deo velle est: Ergo & hoc quod est causare sufficiet Augustino vt Deus sit auctor peccati: Ergo nulla est apud illum distinctio auctoris & causæ. In Psal. 104. dum illud exponit. Conuertit cor eorum vt odirent populum eius. Numquid intelligendum „ est, *inquit*, vel credendum, quòd Deus cor hominis ad faciendа mala conuertat?..... Numquid istorum tam grauium peccatorum auctor est Deus, qui nullius vel leuissimi peccati auctor est? Cordis illa conuersio in odium, „ quare probat Deum esse auctorem peccati, nisi quia probat esse causam? Et ideo dum ita illam interpretatur Augustinus, vt auctoris titulum adimat, adimit etiam nomen causæ. Pergit enim. In eo ergo quòd populum suum multiplicauit beneficio suo, malos ad inuidendum conuertit.... Non itaque cor illorum malum FACIENDO; sed „ populo suo benefaciendo; cor illorum sponte malum „ conuertit ad odium. Non enim rectum cor peruertit; sed „ sponte peruersum ad odium populi, vbi eo malo benè „ vteretur, conuertit: non illos malos FACIENDO; sed istis „ bona, quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo. „ O prædefinitio quæ in cordibus iniquorum operaris, vbi es! nihil scilicet operatus est Deus in cordibus Ægyptiorum quo mali fierent; sed operatus est in ipso illius odij obiecto: & hoc tantùm operatus quod bonum erat: quasi non aliâ ratione vitari posset quod timebat Augustinus, ne Deus fieret auctor peccati, quàm dum negat esse causã.

XCIII. Et hoc ipsum antea fecerat Tertullianus dum negat mali auctorem esse Deum *quia non effector*: & apud Patres omnes tam Græcos quàm Latinos, adeo sunt connexæ rationes illæ Auctoris mali & causæ mali, vt perpetua quædam sit illatio, Deum non esse Auctorem, quia

con. Hermog. c. 9.

non est causa: vel non causare, quia esset auctor: nec alijs vnquam vocibus vtuntur, neque verò vti possunt, cùm negant à Deo mala procedere; quàm ijs quæ causalitatem significant, cuiusmodi sunt facere, operari, creare, serere &c. Atqui hæc omnia frustra sunt apud eum qui admittit Deum inculpabiliter causare. Apud Patres Græcos cùm sit frequentissima contra Hæreticos de principio mali disputatio, vix vnquam reperias sub alijs nominibus negasse illos Deum esse auctorem mali, quàm sub illis quæ causam tantùm significant, cuiusmodi sunt αἴτιος & ποιητής, Ita Iustinus, Clemens, Eusebius ex Origene atque etiam ex Philone, Athanasius, Basilius, Cyrillus Alex.

XCIV. Merum autem vigilantis somnium est, quod
Suprà num. 81. TVissius cogitauit, Deum dici posse causam peccati, sed inculpabilem, quòd tam repugnet causam esse quæ culpabilis non est, quam culpabilem dici qui non est causa. Quod Græci quoque voluisse videntur, dum eodem nomine culpam significauere quo causam, eodemque etiam qui non est causa, & qui non est culpabilis: vt nescias vtrum malint in subiecta materia dum ἀναίτιον dicunt. Connexa videlicet ea sunt atque inseparabilia, id quod Clemens Alexandrinus sine dubio expressit loco antea citato. Cum enim dixisset αἰτία ἑλομένου, Θεὸς ἀναίτιος, subdit κακῶν γὰρ Θεὸς οὔποτε αἴτιος, Quæ ratio ridicula sit, si non sit vti nominum, ita & rerum oppositio: possitque vllâ ratione ἀναίτιος dici & inculpabilis; qui αἴτιος seu causans
Or. con. gent. dici potest. Estque idem sensus reliquorum Patrum, dum eâ ratione mouentur vt ad aliud quoddam principium mala referant, quia Deus bonus est. Athanasius negat malum ex bono esse, habiturumque asserit Deum naturam ex malo permixtam si causa mali esset; αἴτιον γινόμενον
Hom. quod Deus non sit causa mali. κακοῦ Basilius εἰ κακῶν αἴτιος, οὐκ ἀγαθός. Cyrillus Alexandrinus εἶτα πῶς ὁ φιλάγαθος οὗτος Θεὸς, τὴν τῶν ἠθῶν διαστροφὴν εἰργάζετο; Theodoretus Platonis illud amplectitur Κακῶν
l. 4. in Iul. δὲ αἴτιον φάναι τὸν Θεὸν, ἀγαθὸν ὄντα, διαμαχητέον παντὶ τρό-
l. 5. de Natura hominis. πῳ. *Ambrosius*. Quanto grauius peccato ipso, ad Deum
» referre quod feceris: & reatus tui inuidiam transfundere
2. de Cain » in Auctorem, non criminis: sed innocentiæ? *Augustinus*,

Vitium non ab inculpabili artifice contractum est; sed ex originali peccato quod commissum est libero arbitrio. *Et* Boni igitur tantummodo causa est Deus, & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali Auctor non est, qui omnium quæ sunt Auctor est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt. *Fulgentius*. Mala voluntas non pertinet ad optimum Creatorem. Addit Non debere adscribi Deo aliquod opus, in quo nec misericors possit inueniri, nec iustus. *Prosper* Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & benè viuentem cadere facit; ergo pro bonis mala retribuit: & iniustè punit quod vt fiat impellit. Quid tam peruersum? Quid tam insanum dici aut cogitari potest?

& A'bel. cap. 9. De Nat. & Gr. c 3 l. 83. quæst.

l. 1. ad Mon. c. 19. & 11

Ad cap. Gal. ob. 10.

Alia id genus pleráque possunt occurrere apud Patres tam Græcos quàm Latinos. Ex quibus ita licet argumentari. Si possunt ista conciliari, esse causam mali & esse inculpabilem, ineptum est negare Deum esse causam mali quia est bonus, quia est iustus, quia boni iustique amans, quia innocentiæ Auctor & similia; quippe quæ omnia stare possunt cum eo quod est, Deum esse causam mali: Atqui conciliari possunt ex TVissio, hoc quod est esse causam mali & esse inculpabilem: Ergo est ineptum ideo negare Deum esse causam mali quia est bonus, quia iustus &c. Patres tamen ideo negant; atque in eam rationem conspirant Latini & Græci, vt monstratum est. Ergo Patres Auctore TVissio inepti sunt, & in refellendis hæreticis improuidi atque imperiti, quòd illis concedere nesciuerint, Deum esse causam mali, & negare tamen esse culpabilem. Sed dabimus operam vt de Patribus meliùs quàm de TVissio sentiamus; potiùsque rideamus illum qui & præter rationem omnem & præter exemplum, causam mali commentus est non culpabilem, quàm eos qui & præeunte ratione manifestâ, & auctoritate sapientum impellente, negant absolutè causam mali dici posse, quæ dici non potest culpabilis.

§. V.

An dicendus sit Deus velle vt malum fiat.

Lib. 1. c. 6. p. 146.

XCV. ALterum TVissij paradoxum est, Deum velle vt malum fiat: *velitis nolitis, necessariò vobis concedendum est,* DEVM TAM VELLE MALA QVAM BONA. Quin etiam hoc ipsum sequi putat necessariò ex Iesuitarum doctrina, de distributione gratiarum quæ præscitæ ,, sunt congruæ vel incongruæ. Hîc sobrios, *inquit*, omnes ,, appello, an non manifestò sequatur, Deum perinde velle ,, vt isti nec credant, nec resipiscant; sed propter infidelita- ,, tem & impœnitentiam condemnentur; atque vult vt ele- ,, cti credant & resipiscant, & iuxta fidem & resipiscentiam ,, vitâ æternâ coronentur. Cùm Deus aliquibus eas gratias distribuat, quibus scit illos benè vsuros, in eum finem vt ijs benè vtantur, consequi putat, vt aliquibus etiam distribuat eas quibus scit illos pro sua libertate malè vsuros, cum benè vti possent, in eum finem vt malè vtantur. Et rationem adiungit *Qui volo aliquid ex quo pro certo noui alterum futurum esse, an non necesse est vt certò illud velim?* Atque hoc illi adeò videtur esse perspicuum *vt sobrios omnes appellet*: Et quidem inconsultò, nam ebrij fortasse consensissent. Quid? quod diuinis beneficijs pro sua libertate homines peruersi subnectunt, fieri non potest vt non intendat Deus? Neque sobrij sunt qui putant Deum aliquid præter suam intentionem præscire sequuturum? Ebrij, quotquot asserunt Deum sincerâ voluntate ad salutem vocare, quos non ignorat huiusmodi vocatione abusuros? Atque hac ratione damnanda tota erit antiquitas cum D. Paulo asserente Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Videat prudens Lector an ieiunus fuerit Guillelmus iste, dum negaret sobrium esse qui secus philosopharetur. Cum Deus velle aliquid dicitur, quo posito sequitur aliud quippiam per se ac necessariò; fateor vix intelligi posse quomodo non hoc ipsum velit Deus. Vnde est ille labor prædefinientium sine scientia media: qui

Quo sensu in antecedentibus intendi censenda sint quæ consequi sciuntur.

qui cum asserant velle Deum absolutè vt sit actus qui malus est, velle similiter vt sit liber, item velle vt sit eius prohibitio; ægrè negare possunt velle quoque malitiam, quæ sequitur necessariò ex illis tribus absolutè volitis à Deo, & quidem insuperabili necessitate. Sed quod ex obiecto absolutè à Deo volito ita sequitur, vt humana hoc ei libertas adiungat, cum plenâ potestate adiungendi oppositum; censendum quoque à Deo necessariò volitum esse atque intentum; quis sobrius affirmauerit? Si do quas debeo huic homini pecunias, non dubito quin sit eas ludo consumpturus; non possum igitur dare quin hoc ipsum velim atque intendam vt eas ludat? Aut ego si hoc possum, Deus non poterit? Apage Philosophiam adeò pinguem.

XCVI. Sed pergit TVissius aperire suam mentem, Ego „ demonstratione confectum dabo, non aliâ ratione co- „ gnosci posse peccatum futurum, quàm ex diuinæ volun- „ tatis determinatione, quâ ab æterno decreuit peccatum „ futurum esse, subdit Quamuis dici possit aliquid ab homine „ præscitum esse tanquam futurum, quod non sit ab eo volitum; non tamen à Deo; & contrarium esse *monstrum opinionis*. Columbæ scilicet huic homini monstra videntur, cui quotidianus est cum hydra ludus. Sed videndum est sententiæ illius horrorem quomodo temperet. Interea licet opera sua decernat Deus vt fiant ipso faciente; hoc „ tamen nihil impedit quo minùs etiam peccata nostra de- „ cernat vt fiant ipso permittente. *Et iterùm*, Voluntas, in- „ quam, quâ vult Deus vt fiat peccatum, sed quomodo? „ Non quâ vult vt fiat peccatum ipso Deo efficiente; sed „ quâ vult vt peccatum fiat ipso permittente. Non enim ipse „ nisi faciendo & volendo vt bonum fiat ipso faciente, fit Au- „ ctor boni. Ergo non nisi volendo & faciendo vt malum „ fiat ipso faciente, fit Auctor mali. *Item*. Certè piaculum „ esset affirmare Deum velle vt malum fiat ipso efficiente; „ sed malum fieri Deo permittente, bonum est; non modo „ secundùm Augustinum, sed etiam secundùm Bellarminum: Et nos verecundabimur affirmare quidquid bonum „ est, Deo volente fieri?

l. 3. c. 6. p. 408.

lib. 1. cap. 22. p. 136.

l. 2. c. 6. pag. 363.

Hîc primùm Augustinus & Bellarminus à calumnia li-

Euchir. ad Laur. cap. 95. Augustinus ab Aduersario malè intellectus.

berandi sunt. Augustini esse verba illa, *Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo*, facilè agnosco. Sed dico non aliâ mente dictum, quàm vt intelligatur nihil fieri nisi quæ Deus aut facere ipse vult, aut permittere vt alius faciat: ac proinde voluntatem illam Dei, quâ parte cadit in mala, esse voluntatem permissionis tantùm; quâ parte cadit in bona, esse voluntatem operationis & effectionis ipsius boni. Et esse hanc mentem Augustini constat, non modò ex mille locis quibus in peccatis solam Deo permissionem attribuit; sed ex hoc ipso quo dicit paulò post, *Angelum peccantem* NON QVOD VOLVIT ILLE (Deus) *sed quod voluit ipse, fecisse*, Et, *Per creaturæ voluntatem qua factum est*, QVOD CREATOR NOLVIT, *impletum esse quod voluit*. Item, *Peccatorem suam maluisse facere*, QVAM DEI VOLVNTATEM, Si Deus vellet directè ac propriè peccare Angelum aut hominem, quomodo non facerent illi quod vult Deus? Et quidni tam dicerentur facere Dei voluntatem quàm suam, si Deus vellet eos velle quod volunt? Sed hoc ipsum conuincitur ex ipsa Augustini sententia, cuius partitio illa *faciendo* & *sinendo* ridicula fieret, si putaretur Deus velle vt peccatum fiat. Cum enim intelligatur esse velle illud absolutum & efficax ex TVissio, qui etiam putat esse prædefinitiuum; neque fieri possit vt Deus efficaciter aliquid velit, quin hoc ipso velit efficere vt illud fit (hæc enim sunt synonyma) sequitur Deum qui eâ ratione vult peccatum fieri, efficere vt fiat. Atque ita hic erit sensus Augustini, Nihil fieri quod Deus fieri nolit, vel ipse faciendo, vel faciendo vt fit. Quæ quidem cogitatio TVissio digna est, sed non Augustino.

ib. cap. 100.

ib. cap. 107

2. de Amiss. Gr. cap 16. Quo sensu dixerit Augustinus esse bonum vt mala sint.

XCVII. Bellarminus ex Augustino refert verba illa, *Quamuis ergo quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona; tamen vt non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est*. Quæ similiter ita interpretatur vt illud, *bonum est vt sint*: non sit aliud quàm, *bonum est vt esse permittantur*; Esse enim hoc bonum per accidens tantùm, quia coniunctum est cum aliquo per se bono. *Quare*, inquit, *non tam est bonum vt peccata sint, quàm vt ordinentur, postea quam Deo permittente existunt*. Vide quam bellè colligat ex Bellarmino

Deum velle vt peccatum fiat. Esse verò ad mentem Augustini hanc interpretationem eodem modo conuincitur, nempe quia sequitur alioqui eius verba ridiculam pugnantemque continere sententiam, nisi exprimatur hoc modo, Quamuis malum esse in quantum malum, malum sit; tamen malum esse in quantum ex ea occasione sequi potest aliquod bonum, bonum est. Quod est, bonum illud non in ipso malo esse, sed in arripienda ex illo occasione boni.

Vnde sequitur voluntatem illam Dei, quæ circa bonum huiusmodi versatur, non debere in malum tendere, sed in bonum illud tantùm quod ex malo iam permisso & supposito colligi potest. Atque hinc patet quomodo sit accipiendum illud, quod toties inculcat Augustinus, improbos implere Dei voluntatem & contra eam pugnare. Duplex nimirum est Dei voluntas, altera circa ipsam peccati existentiam; altera circa fructum aliquem ex peccato colligendum. Hanc secundam peccatores implent, quâ vult Deus ex suppositione peccati, suam aut misericordiam parcendo, aut iustitiam puniendo illustrari; priori resistunt, quâ Deo displicet existere peccatum: & quamuis ipse peccandi copiam creaturæ faciat, quia ita conuenit eius libertati; ne peccet tamen sufficienter impedit prohibendo, minando, & prohibitionis huius ac minarum sensum inspirando. Item illud, improbos implere Dei voluntatem dum illi resistunt.

XCVIII. Iam cætera TVissij expendamus. Et primò quid malùm ista significant Deus fit Auctor boni faciendo & „ volendo vt bonum fiat ipso faciente: Deus fieret Auctor „ mali volendo & faciendo vt malum fieret ipso faciente? „ Quid sunt, inquam, istæ ineptiæ ac circuli verborum, *faciendo & volendo vt fiat faciente*? Dubitare aliquis poterit retibus implicitum fuisse TVissium dum hæc scriberet? Fallor nisi hoc intendit, Deum velle fieri aliquid per se ipsum: & velle aliquid fieri per alium: velle atque efficere per seipsum, quod bonum est; velle autem atque efficere per alium, quod est malum: non peccare igitur ipsum, sed facere vt alius peccet. Reuoluantur illa omnia, *Deum esse* causam peccati non culpabilem: velle vt creatura peccet: Implicata TVissij doctrina ex qua sequitur rectiùs dici Deum Auctorem peccati quam causam.

Absolutè hoc velle, atque antecedenter & efficaciter hoc decernere, Hoc prædefinire: Nolle tamen, nec facere vt peccet ipso faciente; sed velle ac facere vt peccet ipso dumtaxat permittente; Aio germanam hanc esse illius sententiæ speciem *Nolle Deum peccare per seipsum, velle tamen ac facere vt alius peccet*, itáque alienâ, vt dicitur, manu castaneam eruëre medijs ex prunis. At quid est Auctorem esse Deum alieni peccati, si hoc non est? Ego certè mirarer hominis stuporem, nisi res esset iam familiaris & vsu longo cognita, quòd Auctorem mali Deum esse negaret, & concederet esse causam; cùm iam fateatur Deum eo se modo gerere, qui magis in Auctorem quadrat quàm in causam. Causæ enim proprium est, si quidem ea vera sit, per seipsam influere in effectum cuius dicitur causa; quod cùm iste Guillelmus competere Deo neget respectu mali, potuit & negare causam esse. At propria ratio Auctoris integra manet, etiam in eo qui non facit ipse per se id cuius Auctor dicitur; sed alium impellit ac mouet ad faciendum: & ideo verè ac propriè Auctor dicitur, qui iubet tantùm, vel hortatur, vel consilium dat. Deus ergo qui quamuis non peccet ipse, vult tamen, & efficaciter vult, alium peccare: atque adeo efficit vt peccet; quare non dicatur esse alteri Auctor peccati potiùs quàm causa?

Auctoris peccati nomen Deo tantùm TVissius denegat, rem concedit.

Reclamat, inquis, Christianismus vniuersus. Christianismus verò? Adde Philosophiam omnem: nec Philosophiam modò; sed & quidquid est rationis ac sensus in toto genere humano. Sed contra quid reclamat? Contra voces tantùm, an contra sententiam vocibus expressam? Quid refugere putas qui tantopere abhorrent, Deum dici Auctorem peccati? An speras eo nomine detracto, assuefaciendos tamen huic imagini, quâ Deum pingis *decernentem, prædefinientem, volentem antecedenter, & efficaciter, atque adeò facientem vt Angelus peccet & damnetur?* Speras etiam credituros innoxium manere Deum atque innocentem, qui quod fieri per alium vult, fieri tamen vetat, & comminatur, & tonat: & transgredientes, hoc est, non resistentes creaturas debiles & infirmas insuperabili creatoris voluntati, vlciscitur æternis ignibus, &

interminabili supplicio? O te infelicem si credere hoc potes, impium quoque si te credere fingis, atque alios ad credendum inuitas!

XCIX. Verum age. 1. Quid, quæso, intendis dum negas Deum velle vt malum fiat *ipso faciente*? Si non facit ipse, quis facit? Creatura, inquis. Quid autem facit Creatura quod non faciat Deus? Facit ille actum, facit liberum, facit prohibitionem, & malitia non fit nisi trium illorum effectione, te ipso quoque Auctore: vult ergo Deus peccatum fieri, non tantùm ipso permittente, sed & faciente quidquid in eo perpetrando facit homo, & aliquid etiam quod homo non facit, prohibitionem scilicet eiusque significationem. Reijcitur quod dicit velle Deum vt malum fiat ipso *solummodo permittente.*

2. Iterum peto quid intendas quando dicis, velle Deum vt peccatum fiat ipso solummodò permittente? Vult vt fiat ipso faciente actum, faciente liberum, faciente ac denuntiante prohibitionem: his positis quid illud est, quod vult vt fiat ipso solummodò permittente? Malitia, inquis. Sed contrà. Vbi nihil restat faciendum ab aliquo, nihil etiam restat permittendum; quia non permittitur nisi quod aliquis facere potest aut debet; Atqui posito ab homine actu & eius libertate, & prohibitione, nihil restat faciendum ab eo ad hoc vt sit malitia, vt etiam ipse antea concessisti; Ergo nihil restat illi permittendum. Quasi dicerem; Fieri ab homine actum liberum suppositâ eius prohibitione, est fieri ab homine malitiam, per te ipsum: Deus vult fieri ab homine actum liberum suppositâ eius prohibitione, ipso non solummodò permittente, sed & faciente: Ergo Deus vult fieri malitiam ipso non solummodò permittente: sed & faciente.

3. Sed numquid hoc ipsum Deus vult, vt sequatur malitia ex actu libero & prohibito? Tua sunt verba. *Qui volo aliquid ex quo pro certo noui alterum futurum esse: an non nec esse est vt etiam illud velim?* Necesse igitur est vt velit Deus sequi malitiam ex actu libero & prohibito: Ergo sequitur Deo volente illam sequi, & efficaciter atque absolutè volente. Id ergo quod Deo efficaciter & absolutè volente sequitur, affirmas sequi Deo solummodo permittente? supra ex lib. 3. c. 9. pag 468.

Permissio non opponitur absolutæ atque efficaci voluntati, vt fiat quod permittitur? Vis efficaciter & absolutè vt inimicum occidat Titius. Hoc est, inquis, *solummodo*, permitto? Faciliùs stat operatio rei quam aliquis dicitur permittere cum ipsa permissione, quàm determinata & absoluta voluntas vt fiat. Qui enim suam alteri operationem ita commodat, vt suâ ipse voluntate non magis propendeat in vsum eius quàm in non vsum, malitque alterutrum ab alio determinari quàm à se, rectissimè dici potest permittere alteri suam actionem, & permissiuè quod facit facere. Sed vt ille quo absolutè atque efficaciter volente fit aliquid, dicatur, *tantummodo permittere* vt fiat; ecquis sanus vnquam somniauit?

4. Age, si iuberet Deus, diceres ne tantummodo permittere? Et absoluta eius voluntas, quam implicat vnquam frustrari effectu suo, non efficaciùs & potentiùs influit in effectum quam iussio quæ plerumque effectu caret? Quid tibi ergo cerebri est, vt dicas ipso tantummodo permittente fieri, quod fit absolutè volente, non idem affirmaturus si fieret ipso iubente?

5. Vis opinor quæcumque tandem sit Dei voluntas, hoc tamen dicendum ab eo *solummodo permitti*, quod ipse non potest dici facere: & quia Deo volente vt Angelus peccet; non peccat ipse in eiusmodi actione, vt ipse putas; ideo dicendum permittere tantùm vt Angelus peccet. Atqui Deus etiam non intelligit per eam cognitionem quæ ab Angelo elicitur; num igitur existimabis velle Deum vt Angelus cognoscat ipso *tantummodo permittente*, neque magis esse Auctorem Angelicæ cognitionis, quàm peccati, aut tam esse Auctorem peccati, quam & cognitionis?

6. Recordare te paulò ante in Deum causã reiecisse peccati. Causat ergo peccatum Deus, esto non culpabiliter, causat tamen: & volens causat: vult ergo fieri peccatum ipso voluntariè illud *causante*. In quo verò genere causæ? Cùm omnia percurreris standum tibi erit in genere causæ efficientis. Ergo vult Deus peccatum fieri ipso *efficienter causante*. Tuam igitur distinctionem re-

pete ac dic, velle Deum vt peccatum fiat ipso *non faciente*, sed vt fiat ipso *efficienter causante*. O te! pag 188.
7. Reuoluenda hic etiam TVissij verba ista ex libro 1. „ In Deo quærenda est huius futuritionis causa, in Deo „ autem nihil est præter voluntatem eius, quæ faciat rem „ merè possibilem euadere in conditionem rerum futurarum. Quo in loco disputat cum Pennoto de peccatis illis, quæ Deus futura præsciebat tum in Iudæis, si non occultaretur corpus Moysi, tum in adolescentibus illis qui rapti dicuntur ne malitia mutaret eorum intellectum. Hæc igitur & alia id genus negat esse futura, nisi Dei voluntas *faciat* ea transire de conditione merè possibilium in conditionem rerum futurarum. *Facit* igitur Dei voluntas peccatum futurum, esse futurum. Ergo vult Deus vt peccatum futurum sit, ipsius voluntate hoc *faciente*. Non igitur ipso *solummodo permittente*.
8. Explicanda hîc ampliùs hæc ratio, & simul quatienda est machina illa quam rotat per omnes sui operis paginas, & ad cuius impetum sustinendum Iesuitas, vt vidimus, *ad vnum omnes* prouocat, cum dicit, id quod est futurum transire ab æterno à conditione rei merè possibilis in conditionem rei futuræ: Ergo ab æterno assignandam esse causam illius transitus: nec aliam assignari posse præter diuinam voluntatem, quâ solâ quidquid ab æterno futurum est fit futurum, siue bonum siue malum sit. Quam ego rationem pugnare dico cum ea propositione quam modò ventilamus, *Deum scilicet velle vt malum fiat, non quidem ipso faciente, sed tamen ipso permittente*. Interrogo enim, cum dicitur Dei voluntas esse causa cur peccatum transeat de conditione merè possibilis in conditionem futuri, an sit causa tantùm permittens illum transitum, an sit causa faciens? Si est causa tantùm permittens, assigna igitur causam id exequentem ab æterno quod Deus permittit. Quotiescumque enim datur causa aliquid tantùm permittens, esse debet alia quædam, quæ faciat id quod illa permittere dicitur. Quod enim fit, necessariò fit ab aliquo faciente. Vnde cùm causa quæ est solummodo permittens, distinguatur contra causam facientem; se-

CAPVT VI.

Seclusâ Scientiâ mediâ non posse prædefiniri à Deo liberas creatæ voluntatis actiones.

CI.  VARTVM hoc atque vltimum argumentum vrgebo contra TVissium, vt appareat quàm feliciter expediat sese hoc ex laqueo.

§. I.

Argumento proposito expenditur solutio TVissij.

ADmissâ igitur scientiâ mediâ, non est difficile ad intelligendum quomodo Deus prædefinire possit actum liberum illæsa eius libertate. Cum enim sciat vel vnam vel plures esse circumstantiarum complexiones, quæ si ponantur, futurum est infallibiliter, vt creata voluntas eliciat hunc vel illum actum cum plena libertate; velle potest efficaciter & absolutè vt illum eliciat, & eliciat liberè: quò tota illa diuinæ voluntatis efficacia non aliter applicetur creatæ voluntati, quàm per positionem illarum circumstantiarum quæ iam sciuntur neque inferre necessitatem & tamen esse infallibiliter coniungendæ cum effectu prædefinito. Cùm, inquam, nolit Deus suam illam voluntatem prædefinientem aliter exequi, quàm per medium iam præscitum efficax: & illud non sit præscitum efficax ex speciali vlla vi sic determinandi voluntatem, vt ea non sit adhuc potens suspendere actionem suam etiam in sensu composito, hoc est componendo non actionem cum tali medio; consequens est, vt prædefiniendo efficiat quidem effectum esse necessariò &

Scientia media facilem reddit bonorũ actuum prædefinitionem.

absolutè futurum, sed eâ tantum necessitate, quæ consequitur liberam voluntatis determinationem sub conditione præscitam. Atque ita prædefinitio illa media est inter determinationem creatæ voluntatis sub conditione futuram, & eandem vt futuram absolutè: illâ videlicet posterior, istâ verò prior.

Eadem prædefinitio sine tali scientia quàm sit difficilis.

Seclusâ vero scientiâ mediâ, quomodo stet diuina prædefinitio cum libertate actus prædefiniti, adeo est captu difficile, vt sit hic etiam vnus ex maximis Aduersariorum laboribus. Non enim potest esse prædefinitio ex qua non sequatur necessariò aliquâ necessitate effectus prædefinitus, quòd sit impossibile illam effectu suo frustrari: & quia, *Quod non potest aliter habere*, definitio *necessarij* est; sequitur prædefinitionem, quæ non potest effectu frustrari, NECESSARIÒ cum eo coniungi aliqua necessitate. Hæc porrò necessitas quæcumque tandem sit, & quocumque nomine vocetur, causam habet antecedentem, atque independentem à libero voluntatis consensu, ipsam videlicet prædefinitionem. Vnde non est necessitas, quam faciat ipsa libera voluntatis determinatio, sed est necessitas ex qua illa sequitur. Et quia necessitas omnis operandi, quam non facit libera voluntas, sed cui potius subijcitur, pugnare videtur cum ipsa operationis libertate; quærimus quomodo tamen ista non pugnet: & quæ sit ratio ambas conciliandi. Suntque aliqui Auctores qui cum non habeant vsum scientiæ mediæ, velintque nihilominus retinere prædefinitiones actuum liberorum, huic interrogationi succumbunt; vt videre est in Caietano, cuius ego verba postea referam ex commentario in Epistolam ad Romanos.

infra disp. 2. num. 16.

Quomodo prædefinitionē cum libertate actus prædefiniti cōciliet TVissius.

CII. Sed TVissius qui paulò meliùs sentit de viribus ingenij sui vel *obstupescentis* ac senio *fatiscentis*, confidenter admodum se in huius argumenti solutione gerit: ita verò illud soluit, vt seruet solemne suum, circulari vsus ratiocinio ac petitione principij manifestâ, & mirabili verborum ac sententiarum pugna. Summa solutionis est: Liberum esse actum à Deo prædefinitum, quia Dei voluntas omnipotentissima est, & non tantùm facit quod vult,

ſed & quomodo vult: & ideo cùm velit prædefiniendo „
non ſolùm vt fiat actus hominis, ſed etiam vt liberè fiat; „
& ſequuturum huiuſmodi actum, & liberè ſequuturum: „
ita docere D. Thomam. „

Neque aduertit nos non ſolùm nihil eorum negare, ſed veriſſima etiam ac certiſſima eſſe ſupponere: hoc contendere tantùm, ea quæ apud nos vera ſunt, & apud omnes eſſe debent, in ipſius tantùm ſententiâ falſa eſſe: quæ ideo cenſenda eſt implicare contradictionem, quòd iuxta illam actus prædefinitus liber ſit & non ſit. Eſt enim, quia hoc Aduerſarius ſupponit: non eſt autem, quia prædefinitio inferendo neceſſitatem in operationem prædefinitam, eo ipſo eius libertatem interimit. Dicere autem non tollere libertatẽ quia eſt prædefinitio actus vt liberi, eſt principium petere atque in circuitu ratiocinando ambulare. Quippe alterutrum monſtrandum eſt, vel ex prædefinitione non ſequi neceſſitatem actionis prædefinitæ: vel non eam ſaltem quæ pugnet cum libertate.

CIII. Sed hoc quoque TViſſius præſtare conatur, quàm ſcitè autem, tuum erit, Optime Lector, iudicium. Ita ergo loquitur. Ad primum quod attinet nos etiam vnâ „ fatemur, diuinum decretum & diuinam præſcientiam „ NVLLAM actibus humanis imponere neceſſitatem: imò „ cum Aquinate profitemur in diuinæ voluntatis efficaciam „ reijciendum eſſe, quòd quæ neceſſaria ſunt producantur „ neceſſariò; quæ contingentia ſunt eueniant contingenter „ & liberè. Rurſus dicimus cum Valdenſi, diuinam „ voluntatem nequaquam eſſe totam cauſam humanorum „ actuum, ſed humanam voluntatem agnoſcimus eorumdem „ cauſam eſſe quâ libera eſt. Hîc iam ad leuandum Lectoris „ faſtidium, & animum ex diuturna & difficili meditatione remittendum, facetias miſcet, & ſe Comicum ſaltem eſſe probat, ſi quis inficietur eſſe Theologum. Non dico, *inquit*, quâ vertibilis. Nam homini vel inuito „ competit eſſe vertibilem, nempe ad crucem in gradibus „ ſtanti & capiſtrato. Itaque vertibilitas, ſi placet, in cru- „ cem abeat. Libertatem hominis decreto diuino nequa- „ quam lædi dicimus, ſed confirmari potiùs; præſertim „

lib. 1 c. 19. pag. 193

Nullam neceſſitatem, deriuari ex prædefinitione in actum prædefinitum cenſet TViſſius.

„ cùm decreuerit actus humanos nonnisi liberè fieri à vo-
„ luntate humana.

Idem censet ex prædefinitione in actum prædefinitum deriuari necessitatem omnimodam.

Nescio an *capistratus* sit iste Guillelmus, vertibilem certè ad omnem auram adeò se probat hoc loco, vt omnis illa, quam optabat in crucem abire, ipsius caput insilijsse vertibilitas videatur. Vidisti iam, Amice Lector, quomodo flante metu perdendæ libertatis, diuinâ prædefinitione *nullam* inuehi necessitatem professus est; en vt reflante pari metu eiusdem prædefinitionis suâ efficaciâ & certitudine atque infallibilitate priuandæ, omnimodam ab ea necessitatem inuehi profitetur. Interea vl-

„ tro fatemur, nec hominem nec Angelum perinde libe-

lib. 1. c. 28. pag. 130. ib. pag. 139.

„ rum esse ac Deus est: aut perinde compotem esse actionis
„ suæ atque Deus est suæ: etiam Deum NECESSITARE VO-
„ luntatem ad agendum liberè quidquid agit. *Et paulo post.*
„ Antecedens Dei decretum nos tuemur: Dicimus posito
„ antecedenti Dei decreto malitiam peccati sequi NECES-
„ SARIO & infallibiliter NECESSITATE EX HYPOTHESI, hoc
„ est NECESSITATE SECVNDVM QVID & NECESSITATE MO-

lib. 2. c. 3. pag. 267.

„ DALI in hanc formam, Posito quod Deus decreuit talem
„ actum liberè fieri secundùm substantiam actus, qui ta-
„ men inconformis est legi Dei, NECESSE est vt huiusmodi
„ actus fiat. *Ac deinde*: Est itaque, fateor, istiusmodi neces-
„ sitas ex suppositione, idque ex suppositione causæ: nec
„ tamen qualis libertatem creatam debilitet, sed confirmet
„ potiùs: quippe cum non modo vt fiat velit Deus; sed vt
„ fiat contingenter & liberè. Vnde dicimus necesse esse id-
„ que NECESSITATE ANTECEDENTI & CAVSALI vt quæ
„ fiunt à creatura rationali non modò fiant, sed & contin-
„ genter fiant atque liberè. Ex his habes apud hunc Auctorem diuinum decretum *nullam* imponere necessitatem actibus humanis: & tamen imponere necessitatem *antecedentem*, *causalem*, *modalem*, *ex hypothesi*, *secundum quid*.

cap. 9. pag. 417.

CIV. Iam vero quia cùm eam vocat *modalem*, *hypotheticam*, & *secundum quid*, mollire videtur id quod dixit, esse *causalem* & *antecedentem*; id ipsum alibi destruit inductâ necessitate absolutâ. Verba illius repræsento ex lib. 2. At inquam pari ratione non modo propositio de præsen-

ti, sed & de futuro (videlicet Antichristus erit) etiam simpliciter prolata est ABSOLVTE NECESSARIA. Etenim ABSOLVTE NECESSARIVM EST vt Deus sciat quidquid scibile est, in quocumque genere scibile fuerit, tam in genere futuri; quàm in genere præsentis aut præteriti: & consequenter etiam propositio illa de futuro secundum Aquinatem est ABSOLVTE NECESSARIA idque iustissimâ ratione. Etenim quemadmodùm quidquid præteritum est, absolutè necesse est vt sit præteritum: ita etiam quidquid præsens est, absolutè necesse est vt sit præsens: rursus quidquid futurum est, ABSOLVTE NECESSE EST vt sit futurum. Interea nihil obstat quin futurum sit siue necessariò siue contingenter. Præ oculis habendū pag. 412. est perpetuum huius Doctoris principium, quod est, Rem futuram neque scibilitatem, neque certitudinem, nec proinde necessitatem vllam habere, nisi quam deriuat ex præuio Dei decreto, quo solo fiat ab æterno transitus ille rei futuræ à conditione merè possibilis in conditionem futuræ. Quare si quidquid futurum est, *absolutè* pag. 359. *necesse sit vt sit futurum*, absoluta illa necessitas solo Dei lib. 2. decreto, seu quod idem est, prædefinitione constituitur: atque ita Dei prædefinitio *absolutam necessitatem* futuro communicat. Eodem pertinet quod ait *An verò quia Deus absolutè vult irresistibiliter aliquid ab homine fieri liberè, propterea fit minus liberè? Absolutè* autem necessarium, & *simpliciter* necessarium coincidunt apud hunc Doctorem vt constat ex citato loco lib. 2. Ex pag. 412. quibus constat Auctore T. Vissio, diuinam prædefinitionem, & *nullam* necessitatem inducere in actum prædefinitum: & inducere necessitatem *simpliciter*, *absolutam*, *antecedentem*, *causalem*, *modalem*, *hypotheticam*, *& secundum quid*. Memini me vidisse olim morionem in aula viri nobilis, à quo cum peteretur an esset Hugonotus, respondebat, minimè. Catholicus ergo? Ita, inquiebat. Rursus inuersa statim interrogatione cum vrgeretur an esset Catholicus, minimè verò inquiebat: Hugonotus igitur? Ita est. Vide Lector quantum ab eo distet Hugonotus iste Leouardiensis. A quo si peto an debeat aliud Dei de-

cretum admitti circa liberos actus, quam quo saluetur eorum libertas? non debet, inquit. Nullam ergo decretum hoc imponere debet necessitatem. Respondet, *nullam*. Rursus interrogo num incertum esse possit hoc decretum & fallibile? Dicit non posse. Ergo inquam imponit *aliquam necessitatem*? Respondet, imponit etiam multiplicem. Porro necessitas illa numquid est attemperata & congruens creatæ libertati? Prorsus ita est, inquit, & ideo est necessitas *modalis*. Sed ille modus fortasse diminuet vim diuinæ voluntatis? Est modus, inquit, qui vocatur, *irresistibiliter*. Placet consulere libertati creaturæ? est necessitas *hypothetica* & *conditionalis*. Non placet? Est *absoluta*. Si lubet & ita commodum est, est necessitas *secundum quid*, sin secus erit necessitas *simpliciter*. Denique TVissius homo minimè malus, vt pote nouæ legis Apostolus, omnibus omnia factus est, vt omnes ludos faciat.

An possit necessitati volūtas ad agendū non necessariò. Lib. 1 c. 21. pag. 130. ib. c. 22. pag. 139. vide infrà num. 134.

CV. Iuuat adhuc referre quomodo totam illam diuinæ prædefinitionis cum libertate creaturæ concordiā paucis contrahat. Dices, Atqui posito tali decreto vel determinatione diuinâ NECESSE EST vt homo credat & resipiscat. Certè NECESSE ERIT vt credat. Sed quomodo? NON NECESSARIÒ, sed liberè. *Item*: Decernit Deus non modò vt talis actus fiat, sed etiam vt tali modo fiat. *Item* NON NECESSARIÒ SED CONTINGENTER ET LIBERE. Vnde sequitur, NECESSE ESSE vt non modò fiat, sed etiam vt fiat liberè. Quæ sententia nomine *necesse est* in aduerbium *necessariò* commutato, vt fieri posse antea ostendimus, hanc reddit, *Supposito diuino decreto actus liber fit necessariò, non tamen necessariò*. Aduerbio rursus vtrobique in nomen mutato, redditur hæc, *Necesse est actum liberè fieri, ita vt hoc non sit necesse*. Mutato iterùm concreto in abstractum, sequitur *Actus liber necessitate fit, sine necessitate vt fiat*, Et substitutâ definitione necessarij & definitione contingentis in locum definiti, illa, *Necesse est vt actus fiat sed contingenter*, hanc efficiet. *Non potest aliter fieri quin actus fiat, sed ita vt possit aliter fieri*. Quæ libuit exponere minutiùs vt Lector videat, si non est *capistratus* iste Guillelmus, aptissimum certè capistro habere caput.

suprà num. 77.

§. II.

Quam necessitatem excludat conceptus agentis liberi.

CVI. VErùm quia negare non possunt qui seclusâ scientiâ mediâ prædefinitiones tuentur, quin sit aliqua necessitas liberis actibus repugnans, quando communi sensu omnium mortalium qui sapere aliquid possunt, agens liberum distinguitur contra necessarium: & aliquam tamen inuehi doceant per decretum prædefiniens, quam ipsi repugnare non putant; tota quæstio eò reducitur, vt ostendatur; quomodo illa quæ per huiusmodi prædefinitionem inuehitur, non sit illa quæ actuum libertati repugnat. Seu quid minùs habeat vna quàm alia, quo censeatur compati libertatem.

Et secludenda in primis est necessitas consequens, de qua non dubium est quin nullo modo noceat libertati, quod libera ipsa sit, vt pote quam libertas facit. Non posse scilicet hominem non peccare, supposito quod peccet: atque adeo peccare necessariò ex suppositione quod peccet, nihil officit eius libertati: quæ non est facultas ad coniungenda duo contraria peccare scilicet, & non peccare, sed solùm ad ponendum alterutrum. Et quia non peccare, supposito quod peccet, est coniungere duo contraria illa, seu contradictoria; ideo dum negatur hoc posse voluntas, nihil negatur quod ei repugnet. Et quia illa liberè ponit *τὸ peccare*, quo fit impossibile coniunctim *τὸ non peccare*; ideo tunc istud *non posse peccare*, impotentiam significat illam tantùm quam libertas facit. Facit ergo impotentem ipsa sese, idque liberè: ac proinde hæc impotentia nihil ei nocet, quòd repugnet effectum causam destruere quam supponit.

Necessitas consequẽs cur & quomodo stet cum libertate.

Illâ igitur necessitate seclusâ, distinguendæ sunt aliæ duæ, quarum vnâ nemo dubitat quin libertas arbitrij destruatur; alterâ negatur destrui ab Assertoribus prædefi-

nitionum qui negant ſcientiam mediam. Quam neceſſitatem cùm non faciat creata libertas, ſed patiatur illam potiùs, ab increata prædefiniente, eique ſubijciatur, dici non poteſt neceſſitas conſequens quin potiùs dici debet antecedens & cauſalis; vt eam quoque TViſſius vocat.

Duæ regulæ. Ex eo quod agendi neceſſitas oriatur ex Dei decreto non ſequitur ſtare illam cum libertate. Pr 1.

CVII. Ergo age, & ex duabus illis neceſſitatibus antecedentibus vſum libertatis, oſtende quomodo differat illa quæ deſtruit vſum huiuſmodi ab ea quæ non deſtruit, vt vna deſtruere potiùs quàm alia cenſeatur. Importuna videlicet interrogatio, in qua diſſoluenda duæ præ oculis habendæ ſunt regulæ certiſſimæ. Prima eſt, non ſatis diſtingui neceſſitates illas quòd vna oriatur ex libero Dei decreto, non autem alia. Vtraque enim oriri poteſt. Cum enim diuinæ prouidentiæ attribuatur quòd non imponat agenti libero neceſſitatem libertati repugnantem, ſupponitur Deus hoc poſſe facere. Neque enim prouidentiæ attribui ſolent quæ implicat aliter habere, vt verbi gratia quod homo non ſit animal hinnibile. Supponitur ergo non repugnare decretum quo inducatur talis neceſſitas. Quo poſito illa & ex Dei decreto orietur, & libertatem deſtruet. Et confirmatur ex principio Aduerſariorum, qui putant neceſſarium eſſe vt omnipotentiſſima voluntas, qualis eſt diuina, non tantùm prædefinire poſſit vt res fiant; ſed vt fiant etiam hoc aut illo modo. I. vt actus liberi liberè fiant: & non liberi non liberè. Sequitur ergo ex priorum prædefinitione neceſſitas non deſtruens libertatem, ex poſteriorum vero neceſſitas illam deſtruens: & ambæ in eo ſimiles erunt quòd ex Dei voluntate ſequantur. Addo, quamuis eſſent diuerſæ cauſæ diuerſaque principia vtriuſque illius neceſſitatis: & vna ſequeretur ex Dei decreto, alia aliunde; inquiri adhuc poſſe, quæ ſit earum diuerſitas illa quâ fit vt vna repugnet libertati, non alia. Cùm enim poſſint effectus ſimiles habere tamen diſſimiles cauſas, monſtrandum eſſet hoc non contingere in hac duplici neceſſitate, intuendo videlicet illas vndecumque proueniant, & dicendo quid minùs habeat vna quàm alia, vt meritò dici poſſit non perinde tollere libertatem. Nimirum hoc potiùs attendi debet

debet ex ordine ad potentiam liberam cui vna necessitas magis accommodetur atque attemperetur quàm alia; quàm ex ordine ad causam siue ad voluntatem Dei. Hoc enim quod Deus vult debet in ipso effectu volito relucere, vnde si vult vt sit quædam necessitas agendi quæ non impediat libertatem, hoc in illa debet esse: & si velit similiter vt sit aliqua quæ impediat; & hoc etiam in illa debet reperiri.

Vtramque igitur intuemur, & petimus, Quæ sit earum inæqualitas aut diuersitas: & quid minus habeat vna quàm alia vt stare dicatur cum libertate actus prædefiniti? Nam si nihil aliud dicatur, quam hoc ipsum, habere scilicet vnam præ alia quod stet cum libertate: vel Deum velle vt vna non obstante actus sit liber: disponere enim omnia suauiter & agere congruenter naturis rerum &c. Verba sunt quæ circularem continent discursum & principium petunt. Disputatur enim cum ijs hominibus qui putant ex hypothesi quod vtraque necessitas sit antecedens operationem liberam, vtraque causalis & independens à libertate; vnam non magis stare posse cum libertate quàm aliam: & consequenter Deum non magis posse velle vt vnâ non obstante actus sit liber, quàm vt etiam sit, non obstante aliâ. Vnde qui dicet in eo esse dissimiles, quod vna non destruat libertatem, alia destruat: & quod Deus omnipotentissimâ voluntate velit vt vna stet cum libertate, non autem alia; petit principium & circulo vtitur. Priusque debet intelligi dissimilitudo & diuersitas vtriusque illius necessitatis, quàm intelligatur diuersitas diuini decreti circa concordiam vel discordiam illarum cum libertate arbitrij.

CVIII. Quare alia videtur tenenda regula omnino certa. Videndum scilicet quis sit conceptus agentis liberi. Si enim ille non stat cum aliqua necessitate, signum est illam, quæcumque sit, & vndecumque proueniat, censendam impedire libertatem; quamcumque aliam non impedire. *1. Regula Ex conceptu liberi agentis iudicandum quæ necessitas pugnet cùm libertate.*

Est autem conceptus agentis liberi communis ille quo dicitur, *Positis omnibus prærequisitis ad agendum posse agere* *Necessitas agēdi quæ*

non depen-det à liber tate illam destruit.

& non agere, cum quo quia manifestum est repugnare omnem necessitatem antecedentem, seu quæ causam habet antecedentem atque independentem à libertate; sequitur etiam eiusmodi omnem esse destructiuam libertatis. Dico autem manifestam esse repugnantiam; quòd patet ex primâ terminorum declaratione. Nulla enim esse potest agendi necessitas, quâ agens dici non possit necessitari ad agendum: & de quocumque dicitur τὸ *necessitari ad agendum* dicitur etiam *quòd non possit non agere*. Sicuti enim definitio necessarij est, *quod non potest aliter se habere*; ita & definitio agentis necessitatem habentis ad agendum, seu *necessitati*, non debet esse alia quàm *quod non potest non agere*. Vnde quia in conceptu liberi agentis includitur *posse non agere*; sequitur excludendum τὸ *non posse*, ac consquenter τὸ *necessitatum* esse ad agendum, & τὸ *habere necessitatem agendi*, quæcumque sit, quòd nulla sit ex qua non sequatur illud *non posse non agere*. Ex quo patet omnem prædefinitionem liberi actus qua talis necessitas inuehitur, impossibilem reddi.

Defenditur communis definitio liberi agêtis.

CIX. Sed vt hoc argumentum eluderetur, cœpit illa definitio liberi agentis in dubium reuocari, primùm à Didaco Aluarez, deinde à Gibieufo quorum suspicionem TVissius auidè amplexus est. Audi hominem ita disserentem. Cum addit esse de ratione causæ liberæ vt positis omnibus &c. respondet Aluarez huiusmodi causæ liberæ definitionem acceptam referri Nominalibus, quam & Gibieufus scriptor Gallicus sibi displicere palam profitetur. Etiam Thomas de Brauardina, licet eam admittat, tamen prærequisita ista restringit ad causas secundas, neutiquam verò ad primæ causæ operationem extendendam censet; quasi motio diuina sit inter eiusmodi prærequisita quæ voluntatem creatam indifferentem relinquat. Nempe aliàs tam libera erit causa secunda in operatione sua, quàm sit prima in operatione sua. Interea semper manet voluntas eatenus indifferens vt in operatione sua nunquam determinetur ad modum agentium naturalium, semper enim retinet potentiam, tam ab agendo supersedendi, quàm aliud aliquid agendi.

lib 2 c. 3. pag. 265.

Qua in oratione diſſimulari non poteſt quàm ſit ridiculum illud quod Brauandino attribuit TViſſius, nempe in allata definitione cum dicitur, *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis*, &c. intelligendum de prærequiſitis ex parte cauſæ ſecundæ, non verò ex parte cauſæ primæ, ideoque nec inuolui diuinam motionem inter illa prærequiſita. Age igitur, quod ſubintelligis verbis exprime ac dic, Agens liberum eſſe illud quod *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis ex parte cauſæ ſecundæ, non autem ex parte cauſæ primæ; poteſt agere & non agere.* Quid tibi videtur? Poteſt ne vllum agens etiam liberum agere *non poſitis prærequiſitis ex parte cauſæ primæ*; atque adeo *non poſitâ diuina motione*? An eſt idonea tuo iudicio definitio illa, quæ de definito affirmari non poteſt ſine falſitate & mendacio? Sed videat Lector huius Theologi prudentiam. Cum in illa definitione de agente libero duo affirmentur; nimirum, *poſſe agere*, &, *poſſe non agere*, quod videret TViſſius ſecundum hoc, ſcilicet, *poſſe non agere* falſum eſſe, ſi prærequiſita ad agendum diuinam motionem continerent; illam excluſit: nec animaduertit eâ excluſâ vice-uerſa primum quoque falſum fieri, ſcilicet, *poſſe agere* cum ſit certum ijs præciſis quæ prærequiruntur ex parte cauſæ primæ, inter quæ ponitur diuina motio, nullam cauſam ſecundam agere poſſe. Qua in re ſimilis eſt illi, qui ſibi ſatis ſtrenuus eſſe videatur ac diligens, dum alteram ouem lupo relinquit, vt vrſo eripiat alteram.

CX. Cæterum illam liberi agentis definitionem, quippe quæ immeritò attribuitur ſolis Nominalibus debetur potiùs Scholæ Pariſienſi, à qua in cæteras Academias ita eſt propagata, nulla vt ſit vel natio vel ſecta quæ non eam facilè admittat. Neque id mirum videri debet, cum quæcumque alia poſſit afferri, ſi quidem legitima eſt, & propriam agentis liberi à neceſſario differentiam exprimit; cum iſta coincidat, nec niſi voce tenus diuerſa ſit; vt neceſſe ſit qui hanc neget negare omnes. Id quod oſtendere iuuat vel in ipſo TViſſio, atque ipſo in loco quem propoſui, dum in eo diſtinguit agens liberum à naturali, quod *liberum ita determinetur ad agendum, vt tamen retineat poten-*

Quæcumque alia liberi agentis definitio cũ iam aſſignatâ coincidit ſi bona eſt.

Probatur 1. contra TViſſium.

tiam tam ab agendo superſedendi, quam agendi aliquid aliud. Quibus verbis oſtendit omnino arridere ſibi conceptum hunc liberi agentis, vt ſit illud, *quod ita determinatur ad agendum, vt tamen retineat potentiam ab agendo ſuperſedendi, vel agendi aliquid aliud.* Atqui retinere potentiam ſuperſedendi ab actione vel agendi aliquid aliud, idem eſt ac poſſe non agere, vel agere contrarium. Subſtitue igitur verba hæc loco illorum & emerget iſta deſcriptio *Agens liberum eſt illud, quod non eſt ita determinatum ad agendum, quin poſſit non agere vel agere contrarium.* Supponis ergo eſſe determinatum ad agendum eo modo qui conuenit ipſius libertati: nec poteſt concipi eſſe ita determinatum aliter, quàm per poſitionem omnium quæ prærequiruntur ad actionem tam ex parte cauſæ primæ, quàm ex parte cauſæ ſecundæ: ſupponuntur ergo prærequiſita hæc: & illis poſitis non eſt dubium quin agens poſſit agere, fateris etiam retinere potentiam non agendi, quod eſt, poſſe non agere: Ergo velis nolis, fatendum quoque tibi eſt, agens liberum eſſe illud. Quod *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis tam ex parte cauſæ primæ, quàm ex parte cauſæ*
2. contra Didacum. *ſecundæ, ita determinatur ad agendum vt poſſit agere & non agere vel agere contrarium.* Atqui hæc eſt illa prior definitio quam reijcis.

diſp. 15. de auxilijs, num. 7. CXI. Sed neque Didacus ipſe fugere poteſt quin relabatur in eandem definitionem quam videtur velle reijcere, dum ita definit ipſe, *Liberum arbitrium eſt facultas voluntatis & rationis ad vtrumlibet agendum vel non agendum, & ad agendum vnum vel alterum.* Quam definitionem dicit eſſe *legitimam.* Sed eſt manifeſtum *facultatem ad agendum & non agendum,* eſſe *facultatem quæ poteſt agere & non agere.* Item, eſt manifeſtum liberum arbitrium non eſſe *facultatem ad agendum,* aut *poſſe agere* ſecluſis neceſſarijs ad actionem: ergo debent illa præſupponi. *Ergo liberum arbitrium eſt facultas quæ ſuppoſitis ijs quæ ſunt ad agendum neceſſaria, poteſt agere & non agere, vel agere contrarium,* quæ prior eſt definitio.

3. contra Gibieufum 1. p. q. 62. ar. 8. 2. CXII. Gibieufus qui putat addendas illi definitioni particulas illas, ſeruato ordine finis, ſi eas interpretetur iuxta

mentem D. Th. ex quo desumptæ sunt, in eo tantùm dissentit à cæteris, quòd definitionem gratis contrahat: nec complecti velit omne agens liberum, etiam illud quod peccare potest. Et hoc quidem omnino præter mentem D. Thomæ, qui eo loco nihil aliud intendit, quàm esse quædam obiecta circa quæ liceat contradictoriè operari stando semper in ordine finis. Hoc est, ita vt voluntas dirigatur semper in vltimum finem, quodcumque oppositorum eligat, cuiusmodi esse potest in Angelis beatis aliquò moueri, vel non moueri, hanc cum illo cogitationem communicare, vel non communicare. Circa hæc igitur obiecta ideo liberi arbitrij esse dicuntur Angeli beati, quia in eis tota liberi agentis definitio locum obtinet, cùm positis omnibus ad agendum prærequisitis possint agere & non agere: & ideo neutrum illorum oppositorum, *agere* & *non agere*, necessitatem patitur antecedentem, siue ex prædefinitione, siue aliunde, quod tantùm intendimus. Bis autem hoc loco fallitur hic Auctor. Primò quia hunc tantùm modum veræ libertatis agnoscit, quasi non sit etiam vera libertas illa, quâ quis vel manere potest in ordine finis, vel ab illo decrrare; cùm S. Thomas dicat solùm libertatem illam esse *maiorem* seu perfectiorem: quod non magis impedit quominus posterior quoque vera libertas sit, quàm impediat equum esse verum animal, quòd homo sit animal nobilius. Secundò peccat quòd hanc D. Thomæ doctrinam in eam sententiam detorqueat, quâ putat, necessitatem adhærendi Deo & vtendi medijs ad acquirendam eius possessionem requisitis, pro eo tempore quo sunt requisita & necessaria, quamuis tanta sit, vt absumat potentiam non vtendi, esse perfectissimam arbitrij libertatem. Quod si verum esset, non alia fuisset Caluinum inter & Tridentinum controuersia, quàm quia Caluinus veram arbitrij libertatem defenderet, quam Tridentinum oppugnabat, verâ & spuriâ in eius locum substitutâ. Sed de his plura Eugenius Philadelphus quem consule.

CXIII. Iam de cæteris seu Patribus seu Scholasticis, qui proprio quodam charactere liberi arbitrij notionem Eadem definitio pro-

batur ex Patribus.

expresserunt, aio nullum esse cuius sententia non incurrat in eandem omnino cogitationem cum ea quæ illi definitioni respondet, *Agens liberum est quod positis* &c. Semper enim admittunt in libero arbitrio potentiam ad opposita: & hoc intendunt Patres cum dicunt, causam liberam posse ἐπ' ἀμφοτέρα γίνεσθ, vt loquitur Iustinus in Apologia ad Senatum, quam sententiam TVissius in crucem agit, vt vidimus. Illud enim, *ad vtrumque*, non est aliud quàm agere & non agere: Vel *esse sui actus dominam*, vt dicit Clemens Alex. & Basilius. Quod dominium nihil aliud est, quam potestas eliciendi actum vel supprimendi: vel esse αὐτεξούσιον vt est apud Cyrillum Hierosol. Basilium & alios passim, quò pertinet etiam Clementis illud, Liberum arbitrium esse ἐξουσίαν τῆ ὁρμῆς καὶ ἀφορμῆς respondetque sententiæ S. Augustini significantis perpetuò liberum esse illud *quod est in nostra potestate* vt cum dicit. Conuersi ad Christum habemus IN POTESTATE vt non faciamus iniquitatem. *Et* Sathanas non cogit inuitum, IN TVA POTESTATE est consentire aut non consentire. *Et* Cum per Dei adiutorium IN POTESTATE TVA SIT vt consentias diabolo; quare non magis Deo quàm ipsi obtemperare desideras. *Et*, hoc est in NOSTRA POTESTATE quod cum volumus facimus.... Est in NOSTRA POTESTATE vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius seueritate, & hoc pertinere putant ad conceptum agentis liberi propriamque illius à non libero differentiam.

5. Strom. hom. 2. in exaëm. 5. Strom. Psal. 48. Psal. 51. hom. 12. ex 50. 1. Retr. c 22. Psal. 148. Ex hom. 15 ex 50.

Item ex Scholasticis.

Id ipsum quoque intendunt Scholastici quando dicunt, Agens liberum esse quod non determinatur ad vnum. Sensus enim est, ad vnum producendum. Nec aliâ ratione non est determinatum ad vnum producendum, quàm quia potest vel ab illo vno producendo abstinere, vel producere contrarium. Supponunt igitur omnes libero arbitrio propriè conuenire vt possit agere & non agere, vel agere contrarium. Hoc autem vel affirmatur suppositis omnibus ad agendum prærequisitis vel non: si primum, ergo libertas arbitrij consistit in eo quod *positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere & non agere, vel agere contrarium*, quod intendimus; si secundum, ergo falso affirma-

tur definitio illa de suo definito, quod nulla sit facultas de qua verè dicatur, non *positis omnibus ad agendum prærequisitis*, posse illam agere vel non agere.

Esset autem ridenda cogitatio, si quis putaret liberum agens esse illud, quod positis prærequisitis potest agere, & ijsdem vel aliquo eorum detracto non agere; quòd hoc quoque conueniat agenti necessariò. Sed alterius loci est fusior hac de re disputatio. Nunc contendo tantùm, vndecumque sit agendi necessitas, quæ non potest conciliari cum illo conceptu liberi agentis, quo dicitur posse non agere in ijsdem circumstantijs in quibus dicitur etiam posse agere; omnium consensu censendam repugnare libertati. Quod iam satis probatum est.

§. III.

De sensu composito & diuiso.

CXIV. Eluditur tamen hæc doctrina consuetâ illa distinctione sensus compositi & diuisi, respondeturque agens liberum affectum illa necessitate quam inuehit prædefinitio, posse nihilominus non agere in sensu diuiso: esto non possit in sensu composito. Quod autem possit non agere in sensu diuiso, satis esse ad libertatem. Cuius distinctionis quia solet esse multiplex sensus; accipio illum ipsum quem approbat & in quo acquiescit Didacus Aluarez, cuius hæc sunt verba. Voluntas ,, præmota in sensu composito non potest dissentire, non ,, habet hunc sensum, quòd voluntas quo tempore est ,, præmotio non posit dissentire; sed quòd non posit com- ,, ponere præmotioni actualem resistentiam. *Item ista quæ* ,, *iam retulimus*. Ad liberum arbitrium pertinet quòd cum ,, omnibus prærequisitis ad agendum componatur duplex ,, potentia; potentia scilicet assentiendi, & potentia dissen- ,, tiendi. *Item*. Non est de ratione aut definitione liberi ar- ,, bitrij, quòd cum omnibus prærequisitis ad agendum pos- ,, sit componere vel operationem, vel suspensionem eius: ,, itaque hæc duo sunt incompossibilia, quòd scilicet in li- ,,

Vera intelligentia sensus cōpositi & diuisi in sententia Aduersariorum.

disp. 25. n. 19. & disp 115. num. 4. & seq.

„ bero arbitrio pro aliquo instanti sint omnia antecedenter
„ prærequisita, & non producatur actus, sed producatur
„ actus contrarius, similia pleraque occurrunt apud hunc
Auctorem.

Prædictæ distinctionis applicatio.

CXV. Ex quibus constat cùm conceditur agens liberum supposita prædefinitione ac necessitate quæ sequitur ex illa, non posse non agere in sensu composito; sensum esse, illud agens facere non posse vt non actus componatur seu coëxistat cum prædefinitione. Hoc enim significat Aluarez cum dicit *hæc duo simul esse incompossibilia, quòd scilicet in libero arbitrio pro aliquo instanti temporis sint omnia antecedenter prærequisita ad productionem actus: & quod non producat actum.* Potentia quidem agendi & non agendi potest esse composita & simul existens cum prærequisitis illis, quemadmodum potentia videndi componitur & simul existit cum tenebris, quo exemplo alibi vtitur idem Aluarez: & potentia currendi componitur & simul existit cum compedibus, vel cum podagra: sed quemadmodum potentia illa visiua quæ componitur & simul existit cum tenebris, non potest tamen facere vt cum ijsdem tenebris componatur & simul existat actualis visus; nec potentia currendi, vt actualis cursus pariter componatur & simul existat cum compedibus aut podagra, cum quibus tamen ipsa componitur & simul est; ita nec potentia *agendi* & *non agendi* quæ componitur & simul existit cum prædefinitione, potest tamen ipsa facere, vt cum eadem prædefinitione componatur & simul sit alterum illorum, nempe ipsum *non agere.*

Ego in hac materia semper ita intellexi distinctionem illam & iuxta interpretationem huiusmodi; quæ vt patet est ipsius Aluaris, in contrarium sum argumentatus; vt immeritò questi sint aliqui, nos ex falsa intelligentia sensus compositi & diuisi processisse. Ostendo igitur requiri ad libertatem vt cum omnibus prærequisitis possit componere non actionem, ac facere vt simul sint: & consequenter, si prædefinitio liberi actus eam inferat necessitatem, quæ impediat ne liberum agens hoc possit; impedire ne sit liberum. Hoc autem probatur.

CXVI.

CXVI. 1. Quia liberum agens quatenus tale est, suppositis ad agendum præ requisitis, potest agere in sensu composito: ergo & non agere etiam in sensu composito. Probatur consequentia ex communi sensu Auctorum, qui cùm dicunt illud esse liberum agens quod potest agere & non agere, vtrumque sine dubio eodem modo posse putant, & aliqui etiam exprimunt, vt Clemens Alexandrinus cùm dicit vtrumque *ex æquo* posse. *Illud*, inquit, *est in nostra potestate* CVIVS EX ÆQVO SVMVS DOMINI, CVM EO QVOD EI ADVERSATVR; *vt Philosophari & non Philosophari, credere & non credere:* Et alij passim cum dicunt vtrumque *indifferenter* posse, vt S. Thomas. Quòd si dicatur illud esse agens liberum quod habens omnia ad operandum necessaria, potest operari in sensu composito, & potest etiam non operari, sed tantùm in sensu diuiso; nec *ex æquo*, nec *indifferenter* vtrumque potest, vt patet: & euanescit ille conceptus libertatis: nec affirmatur quidquam de causa libera, quod non etiam dici possit de necessaria. Nam & ignis instructus omnibus necessarijs ad calefaciendum, potest calefacere in sensu composito, & non calefacere in sensu diuiso, cum istud non sit minùs verum, ignem habentem quidquid requiritur ad calefaciendum posse non calefacere, quàm album posse fieri nigrum, quod tamen nemo negat in sensu diuiso.

Impugnatur applicatio prædictæ distinctionis.

1 p. q. 83. ar. 2.

Confirmatur. Quia potentia illa liberi agentis est potentia dominatiua, quâ datur illi optio actionis aut non actionis. At, quod dominium est illud, & quæ optio agendi & non agendi, si cum dicitur posse agere, non aliter intelligatur posse non agere, quam quo modo potentia visiua quæ in tenebris est, dicitur posse videre? Nempe, vt sit illud dominium & facultas illa optandi actionem vel non actionẽ, debet agens dominans posse coniungere non actionem cum illis circumstantijs, cum quibus coniungit actionem: alioqui non coniungit actionem ex dominio sed ex necessitate: nec nisi absurdissimè dici potest dari illi optionem vtram coniungat, vbi coniunctio actionis est necessaria, & coniunctio non actionis est impossibilis: ideoque nec tribui debet eius potestati quod coniungat

actionem, quando non habet potestatē non coniungendi seu, quod idem est, coniungendi non actionem. Non pertinet, inquam, ad dominium liberi agentis ponere aut non ponere circumstantias illas, nec item cum illis aliunde positis coniungere actionem potiùs quam non actionem, postquam coniunctio non actionis est impossibilis; quodnam igitur est hoc genus dominij? Et quid sibi vult Augustinus cum dicit, *Per Dei adiutorium in nostra esse potestate vtrum consentiamus diabolo*; cùm potiùs per Dei adiutorium illa *vtriuslibet* optio impediatur, postquam non consensus coniungi nequit cum illo Dei adiutorio? Quomodo, inquam, per Dei adiutorium habemus *potestatem* ad *vtrumlibet*, si cum Dei adiutorio implicat consistere alterum? Tam ergo debet posse componi vnum contradictoriorum cum prærequisitis, quam alterum.

Non componere actionem suam cum prærequisitis ad agēdum, est componere cum ijsdem non actionem.

CXVII. 2. Agere agentis liberi, est, agens liberum componere cum prærequisitis ad agendum ipsam actionem: ergo agens liberum posse non agere, idem est ac posse absolutè non componere actionem suam cum prærequisitis ad agendum. Rursus, agens liberum componere suam actionem cum prærequisitis ad agendum ex Didaco, est facere vt pro eodem instanti temporis simul sint in libero arbitrio & prærequisita ad actionem, & ipsa actio: Atqui agens liberum potest absolutè loquendo non componere suam actionem cum prærequisitis ad agendum: Ergo absolutè loquendo facere potest, vt pro eodem instanti temporis sint prærequisita & non sit actio. Denique pro eodem instanti temporis esse prærequisita ad agendum in libero arbitrio, & non esse actionem, est componi non actionem cum prærequisitis ad agendum: sed agens liberum absolutè loquendo primū potest: ergo & secundum. Hoc autem est posse non agere in sensu composito; significante compositionem non actionis cum prærequisitis ad agendum; hoc igitur potest agens liberum: & quæcumque necessitas impedit ne hoc possit, impedit ne sit liberum.

CXVIII. 3. Agens liberum debet hoc posse, ad quod aliquando tenetur: sed tenetur aliquando componere non actionem cum prærequisitis omnibus ad agendum: Ergo

debet hoc posse. Maiorem fortasse negabit TVissius, vt Caluinianum illud tueatur de impossibilitate mandatorum. Sed patiatur nos in eo sequi, non fidei modò, sed rationis etiam naturalis ductum, cuius illud est mortalium omnium pectoribus insitum, in eo non peccari quod quis vitare non potest: præsertim cùm ipsi etiam Caluiniani, vt quoquo modo suum errorem tegant, impotentiam illam seruandi mandata quam in nobis fingunt, voluntariam esse defendant ac liberam, vt pote libero primi hominis peccato contractam. Ergo tum ille saltem, tum Angelus etiam hoc potuere ad quod tenebantur: sed tenebantur componere non peccatum cum omnibus prærequisitis ad peccandum; quæ est minor syllogismi propositi, quæ probatur euidenter. Quia componere non peccatum cum prærequisitis ad peccandum, non est aliud quàm facere vt eodem instanti quo sunt prærequisita illa, sit etiam non peccatum, seu non sit peccatum: Atqui tenebantur facere vt pro eodem instanti temporis quo fuere prærequisita illa, esset non peccatum: alioqui non peccassent in eo instanti: neque enim peccatur tum cum aliquis non potest aliter facere: Ergo tenebantur componere illa duo: Ergo, si quæ necessitas faciebat impossibilem illam compositionem non peccati cum prærequisitis; tollebat necessariam ad peccandum libertatem.

Agens liberum tenetur interdum componere non actionem cum prærequisitis ad agendum.

CXIX. 4. Hoc quod est *non agere* positum in definitione liberi agentis, aliter dicitur in sacris literis & Concilijs, *renuere*, *abiicere*, *dissentire*, *resistere*; vnde illud *vocaui & renuistis*, &c, *abiecisti sermones meos*, &c. & quod habet Tridentinum, liberum arbitrium posse *dissentire* Deo vocanti, quibus apertè significatur esse in potestate libera agentis componere cum prærequisitis ad agendum ipsum *non agere*. Quid enim est quæso *dissetire* v. g. nisi dissensum ponere? Est autem de ratione dissensus, vt ponatur pro eodem instanti pro quo quis mouetur & inuitatur ad consensum: ac proinde vt componatur cum ipsa motione & inuitatione ad consensum. Nemo enim dissentire dicitur antequam moueatur; neque postquam motus fuit & obtemperauit motioni: Ergo posse dissentire est posse po-

Scriptura & Tridentinū idem supponunt. Sess. 6. can. 4.

nere dissensum pro illo instanti quo est motio, atque adeo componere dissensum cum motione; si quidem hoc est componi vt accepimus ex Didaco *esse vnum pro eodem instanti temporis quo aliud est.* Ergo quæcumque necessitas compositionem hanc impedit, impedit libertatem.

CXX. 5. Exigimus ab Aduersarijs vt distinctionis alterum membrum exponant, cùm voluntatem, quam negant positis ad agendum prærequisitis posse non agere *in sensu composito*, dicunt tamen posse non agere *in sensu diuiso.* Quid inquam, est, *voluntatem posse non agere in sensu diuiso?* Nempe sumendum est oppositum eius quod est *posse non agere in sensu composito.* Distinctionum enim membra debent esse opposita. Et quia posse non agere in sensu composito, vt Didacus nos docuit, est facere posse vt pro eodem instanti temporis simul sint prærequisita & non actio; consequenter posse non agere in sensu diuiso, non erit aliud quàm facere posse vt pro alio instanti temporis quo non sunt prærequisita, sit non actio. Atque ita definitio liberi agentis habebit hunc sensum, agens liberum est illud quod habet potestatem agendi pro tempore quo sunt prærequisita ad agendum: & simul habet etiam potestatem non agendi, sed pro tempore quo illa non erunt. Quasi verò sit vllum agens tam necessarium de quo non liceat hoc ipsum affirmare, videlicet illius potentiam agendi quæ cum prærequisitis ponit actionem, esse etiam potentiam non agendi pro tempore quo prærequisita deerunt.

Aliàs non distinguere tus agens liberum à necessariò.

At, inquies, in causis necessarijs hæc non tam est potentia non agendi, quàm impotentia agendi, quando non sunt prærequisita. Ego verò id ipsum retorqueo, & dico illam etiam agentis liberi potentiam non agendi, non tam esse potentiam non agendi, quàm impotentiam agendi: neque potest in contraria sententia dari ratio vlla disparitatis. Neque enim alia est ratio, cur potentiæ liberi agentis tribuatur τὸ posse non agere, quam quia liberum illi est pro illo instanti temporis quo cum prærequisitis ad agendum coniungit actionem, coniungere etiam non actionem. Quòd si non potest coniungere non actionem cum

præ requisitis ad illam ; sed cum eorum defectu tantùm quare non-actio tribuatur eius potentiæ non agendi, potiùs quam agendi impotentiæ?

Potest; inquis, agens liberum coniungere non-actionem cum sufficientibus ad agendum, quod non potest agens necessarium. Sed viderint qui hoc dicunt vtrum ad actionem *sufficere* dicenda sint, quæ defectum habent alicuius ad eam *prærequisiti*, quod nolo iam vrgere. Hoc tantùm contendo, si potentia non agendi sit impedita, vt est in hac suppositione per necessitatem ortam ex prædefinitione, neque possit componere non-actionem cum illo suo impedimento, sed tantùm possit illam ponere, seu potiùs supprimere, pro alio instanti quo illud erit sublatum; non posse dici potentiam non agendi, qualis requiritur vt *τὸ non agere* imputetur illius libertati. Quia similis omnino est potentiæ cadendi quam habet lapis qui sursum ligatus ex catena pendet : & potentiæ videndi quam habet is qui iacet in tenebris omni externo lumine priuatus. Quòd si quis putat sufficere hoc ad libertatem, velitque imputari lapidi quòd non cadat : vel posito in tenebris, & externo lumine carenti quod non videat; saluus sit. Cum eo enim non est amplius de libero arbitrio, vt pote iam destructo, disputandum.

CXXI. Augustinus certè nititur in contrarium, quando Pelagij distinctionem illam qua dicebat posse videre non esse in nostra potestate; videre autem esse, sic impugnat. Quomodo in potestate nostra est videre si velimus, „ cùm etiam saluâ integritate corporis oculorumque nostrorum, nec volentes videre possimus: siue per noctem „ luminibus, quæ forinsecus adhibentur, ademptis : siue nos „ quippiam in tenebroso loco aliquo includat? Quæ verba haud facilè conciliabuntur cum illis Didaci, Supponendum est cum Caietano, Ferrariensi & M. Medina quòd » dupliciter intelligitur liberum arbitrium posse pèr ali- » quod auxilium producere aliquem actum. Primo modo » absolutè & simpliciter, hoc est sine addito, sicut cùm » asserimus hominem per potentiam visiuam posse videre : » quia videlicet quantum est ex parte potentiæ per quam »

De natura & gra. cap. 47.

disp. 79. num. 2.

» constituitur in actu primo ad videndum, non requiritur
» vt verè dicatur posse videre, quòd superaddatur illi ali-
» qua alia potentia aut virtus tribuens in actu primo ipsum
» posse videre; quamuis vltra potentiam visiuam alia plura
» requirantur vt quis actu videat..... Secundo modo id po-
» test intelligi de principio siue auxilio quo potest comple-
» tè operari, ita vt non solum habeat principium sed etiam
» habeat complementum. Atqui Augustinus *simpliciter & absolutè* loquitur cum dicit *nos etiam saluâ integritate corporis oculorumque nostrorum non habere in potestate vt videamus*, &c, *nec videntes videre posse* si desit externum lumen. Nempe quia idem est Augustino *habere aliquid in sua potestate*, & *posse illud facere*; quod Didaco est, ; *completè posse*. Sed illâ distinctione vtendum fuit, ne gratia sufficiens apertè negaretur, cùm dicitur incompletè actiuum, esse tamen sufficienter actiuum, quantum satis est vt imputetur illi quod non agat. Nos cum Augustino dicere malumus, nec posse hominem videre cui deest externum lumen: nec posse non agere cuius illa non agendi potentia eâ necessitate constringitur, cum qua nihilomagis coniungi potest non actio, quàm visio cum defectu luminis. Et sicut quod aliquid habeat eam virtutem quæ sufficiat ad videndum pro illo instanti temporis quo tenebræ discesserint, non satis est vt dicatur habere visionem in sua potestate tum cùm in tenebris versatur; ita quod quis habeat eam virtutem qua suspendere possit actionem pro illo instanti temporis quo solutus erit à vinculo prædefinitionis, nequaquam sufficere potest, vt ille censeatur habere in sua potestate non actionem, etiam tum cùm est prædefinitio. Ergo est necessarium vt cum illa prædefinitione componere posſit non actionem, vt posſit non agere eo modo qui requiritur ad libertatem.

CXXII. 6. Eò refunditur Aduersariorum doctrina, vt dicatur sufficere ad hoc vt non actio imputetur voluntati, quòd potentia quæ agendi necesſitate impeditur à non agendo, sit tamen illa ipsa quæ pro alio instanti temporis quo huiusmodi impedimento soluta erit, poterit non agere, atque etiam coniungere cum sufficientibus ad agen-

dum ipsam non actionem. Esto non possit eam coniungere cum illa necessitate agendi: Atqui si hoc verum est, sequitur falsum esse illud de quo tamen inter nos conuenit, non esse liberum amorem beatorum qui sequitur ex visione. Voluntas enim quæ subest necessitati amandi ex visioni ortæ, illa ipsa est quæ pro alio instanti temporis quo non esset visio, suspendere posset illum amorem, componendo etiam non amorem cum sufficientibus ad amandum: quemadmodum quando subest necessitati prædefinitionis, illa ipsa est quæ pro alio instanti temporis non eliceret actum qui iam est prædefinitus, componendo non actum cum sufficientibus ad illum eliciendum. Quòd si istud satis est vt verè dicatur, nonobstante prædefinitione habere tamen potentiam non agendi, quæ requiritur ad actionis libertatem; quare non sufficiet illud vt non obstante visione, censeatur esse potentia non amandi, quæ ad amoris etiam libertatem requiritur?

Dices, Quia quando est visio non est indifferentia iudicij quæ requiritur ad potentiam amandi & non amandi. Contrà, hoc non est aliud, quàm dum est visio esse cognitionem necessitantem ad amandum: quod concedo. Sed dico seclusa visione esse prædefinitionem peræquè necessitantem, & quæro quare vna dicatur non relinquere in voluntate potentiam non amandi, alia verò dicatur relinquere?

Potentia, inquis, non amandi est concretum quoddam ex indifferentia iudicij & voluntate coalescens, vnde altero illorum deficiente deficit ratio talis potentiæ. Contrà, hoc est tantùm dicere illam potentiam coalescere ex voluntate & cognitione, sub ea ratione qua cognitio non est necessitans; quod est conflare rationem illam potentiæ ex voluntate & carentia cognitionis necessitantis: & semper quæro quare potentia non amandi confletur ex voluntate & carentia cognitionis non necessitantis, & non confletur etiam ex voluntate & carentia prædefinitionis non necessitantis? quòd videatur manifestum vno concesso aliud gratis negari. Cognitio indifferens requi-

ritur tantùm sub ratione indifferentis: & requiri sub ratiode indifferentis, est requiri sub ratione excludentis cognitionem determinantem necessariò ad vnum: & illa exclusio potissimum requiritur, & est id maximè quod conflat cum voluntate potentiam non agendi quod agit. Quare autem non requiritur pariter exclusio prædefinitionis efficaciùs & magis necessariò determinantis voluntatem, quàm faceret vlla cognitio?

Et confirmatur datâ hypothesi quæ minimè repugnat, quòd cum visione sit simul alia quædam diuinæ bonitatis cognitio, siue obscura siue manifesta, quæ alias sufficeret ad amandum liberè; quia ex suppositione visionis; minimè iam sufficiet, etiam si habeat ex se illam ipsam indifferentiam quam haberet si non esset visio. Hoc enim ostendit visionis absentiam, quatenùs tantùm est absentia cognitionis necessitatem inducentis, esse partem illius concreti quod dicitur potentia non amandi: & cognitionem ex se indifferentem, non constituere sufficienter talem potentiam, nisi suppositâ illâ carentiâ. Quare autem magis supponitur hæc carentia vel absentia, quam absentia cuiuslibet alterius causæ perinde reddentis inutilem illam cognitionis indifferentiam, eo quòd perinde inducat necessitatem agendi? Et quid prodest quod visio non inducat illam necessitatem, si non desit alia causa quæ etiam inducat, cuiusmodi est prædefinitio? Vnde.

Sequeretur necessitatem coactionis non nocituram libertati.

CXXIII. 7. Confirmatur iterum & probatur intentum. Quia vel esse vel concipi potest aliqua necessitas extrinsecus immissa, quæ libertatem destruat: & tamen nulla est quâ suppositâ non relinquatur semper in voluntate facultas non agendi in sensu diuiso: ergo facultas non agendi in sensu diuiso non sufficit ad libertatem, nisi sit etiam facultas non agendi in sensu composito. Antecedens patet, vel ex ipsa confessione Aduersariorum, qui dicere solent propterea Deum non tollere libertatem prædefiniendo, quia non cogit. Quasi faterentur, si foret coactiua ista necessitas, non futuram libertatem. Verùm suppositâ etiam coactione, siue illa sit possibilis siue non, staret semper voluntatem coactam posse non agere in sensu diuiso,

diuiso, sicut homo ligatus potest non currere: Ergo requiritur ad libertatem vt hoc possit etiam in sensu composito.

CXXIV. 8. Denique agens liberum completum ad agendum, loquendo propriè simpliciter & absolutè, dicitur posse non agere: ita enim illius notionem & differentiam à necessario exprimunt omnes? Ergo non debet habere quamcumque potentiam non agendi, sed illam quæ sufficiat ad denominationem potentis non agere simpliciter & absolutè loquendo: Atqui potentia impedita impedimento insuperabili non sufficit: Ergo &c. Probo subsumptum. Quia potentia coniuncta & composita cum sui effectus impossibilitate, quandiu talis est, non sufficit ad tribuendam absolutam denominationem potentis ponere illum effectum, alioqui dicetur quis absolutè potens ad impossibile: Atqui potentia coniuncta &composita cum impedimento sui effectus insuperabili, est potentia coniuncta & composita cum eiusdem effectus impossibilitate: Impossibilitas enim illa necessariò coniungitur cum impedimento insuperabile: & consequenter quod compositum est cum tali impedimento, debet censeri compositum cum effectus impossibilitate: ergo illa potentia non sufficit ad denominandum agens simpliciter & absolutè potens ponere talem effectum: Ergo requiritur vt nullum sit impedimentum cum quo non possit effectum illum componere, quod est agere seu non agere in sensu composito. Et quia iam constat necessitatem ortam ex prædefinirione hoc impedire, consequens est vt eadem censeatur impedire libertatis exercitium, quod est ipsam implicare, vt antea dictum est.

Ex ea suppositione ex qua dicitur impossibilis effectus, & causa negari debet posse illum producere.

§. IV.

Mens S. Anselmi atque aliorum PP. de præcedenti & consequenti necessitate.

Quæ necessitas repugnet libertati.

CXXV. EX dictis sequitur Anselmi doctrinam quâ docet necessitatem præcedentem tollere libertatem, non verò necessitatem consequentem, vniuersim accipiendam esse; ita vt omnis omnino necessitas quæ & insuperabilis sit, & independens à voluntate, censeatur impedire illius libertatem. Id enim conuincit & res ipsa, & aliorum Patrum auctoritas, & mens atque intentio ipsius Anselmi.

Et quidem quòd res ipsa id conuincat ostenditur. Quia si tota ratio, cur vna necessitas antecedens tollat libertatem reperitur quoque in omni alia, fatendum est omnem aliam tollere: Atqui tota ratio cur vna tollit, in omni alia reperitur: Ergo omnis alia etiam tollit. Probo minorem. Nulla enim ratio esse potest, cur aliqua necessitas antecedens tollat libertatem, nisi quia & insuperabilis est, & independens à voluntate. Quod constat, quia hoc solo sublato per possibile aut impossibile, & quocumque alio relicto, nulla erit necessitas quæ non facilè cum libertate concilietur. Fac illam quæ dicitur coactionis, vel non esse inuictam necessitatem: vel esse pendentem à voluntate; & statim intelligetur nihil obesse libertati. Vnde sequitur euidenter, per hoc præcisè obesse, quòd nec pendere nec superari potest. Obest ergo quæcumque hoc habet. Et nulla est antecedens quæ non hoc habeat, illa præsertim quam inducit Dei prædefinitio seclusa scientia mediâ, quam etiam TVissius vocat *irresistibilem*: Ergo & omnis antecedens, & illa nominatim, libertatem impedit.

1. Strom. Alij quoque Patres idem sen-

CXXVI. Nec est quòd quisquam suspicetur, non satis antiquam esse illam Anselmi distinctionem. Olim est cùm Clemens Alexandrinus necessitatem etiam anteceden-

tem, *προηγουμένην*, impedire dixit ne actiones humanæ vel laudi vel vituperio tribui possint. Sed vocat illam, inquis, *φυσικὴν* vt videatur designare necessitatem naturalem quâ grauia v. g. deorsum, leuia sursum feruntur. Fateor ita vocare, sed non eo sensu. Quia supponit induci necessitatem illam ab eo qui potest omnia: nimirum vt ostendat se non loqui tantùm de necessitate orta ex propensione naturali, sed à Deo etiam immissâ supra naturam operante. Et ideo confundit hanc necessitatem cum illa quæ oritur ab externa causa, *ὑπὸ τῆς ἔξωθεν αἰτίας*, quibus verbis clarum est excipere illum eam tantùm necessitatem, quam ipsa sibi voluntas facit. Atque in eo Clemens Dionysio mirè concinit reijcienti à libero arbitrio *ἐπεισκύκλιον ἀνάγκην*. Ergo cum *naturalem* vocauit, distinguere tantum voluit contra *moralem* & ab ipsa libertate pendentem.

tiunt quod Anselmus.

de Diuinis nom. cap 8.

S. Basilius necessitatem omnem exclusit à libero arbitrio, dum ob eam causam vitam hominis esse dixit *λελυμένην πάσης ἀνάγκης*. Omnem etiam exclusit Theodoretus dum negauit *damnandos homines à Deo, si aliqua necessitate adacti peccarent, & leges humanas supponere nullam esse vel naturæ vel fati necessitatem.*

Ho. Quod Deus non sit causa mali.

Lib. 5. de Græc. aff.

Exclusit & Augustinus dum eam tantùm reliquit quæ est in nostra potestate. *Si necessitas*, inquit, *nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate; manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse.* Vnde intelligas cæteros etiam Patres dum necessitatem submouent ab humanis actibus, & liberum opponunt necessario, quod sæpissime faciunt, excludere omnem omnino necessitatem quæ voluntaria non sit. Negatio enim terminum cui præfigitur distribuit, nec patitur indefinitè sumi: & ideo qui negat hominem necessariò agere, negat omnem, quæ non sit in eius potestate, necessitatem; quia vel vna tantùm sufficit, vt falsò dicatur *non necessariò* agere.

5. de Ciu. cap. 10.

CXXVII. Nec quidquam iuuat Aduersarios, quòd quandoque significent, se necessitatem reijcere quæ cogat aut vim inferat: quasi verò quancumque aliam non improbarent. Quia manifestum est non intelligi ab illis propriam

Coactionem quomodo accipiant Patres.

coactionem, & propriam vim seu violentiam illatam voluntati. Primò, quia diuinæ prouidentiæ tribuunt quòd non cogat voluntates nostras, quod de propria coactione accipi non potest: quippe quæ passim dicitur esse impossibilis respectu voluntatis. Secundò, quia malè omnino ratiocinarentur, dum interrogantibus quare Deus non omnes saluet aut aliquos perire sinat, vel in peccata labi; eam reddunt rationem, quia non decet eius prouidentiam cogere homines aut inuitos trahere. Quasi verò præter coactionem strictè sumptam & vim propriè illatam, non esset media quædam necessitas; illa quæ sequitur ex prædefinitione, quâ neque vis infertur alicui & sufficientissima est ad hoc vt nemo non bene viuat. Ergo coactionem latiùs accipiunt pro quacumque necessitate inuoluntariâ: quæ quia non est connaturalis agenti libero, ideo cogi putant & vim pati si ei subijciatur. Id quod

l. 2. de Cain & Abel. c. 9 „ Ambrosius perspicuè expressit his verbis. Vult te prouocare ad pœnitentiam Deus, vult de se sperari indulgentiam, vult demonstrare tua confessione quòd non sit Auctor malitiæ. Nam qui peccatum suum ad quandam referunt, vt gentiles, decreti aut operis sui necessitatem, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi inuitus occidit. Vbi vides pro eodem accipi solere, *necessitate aliquid facere*, & *facere inuitum ac vim pati.*

7. Strom. Constat hoc etiam ex Clemente Alex. cum dicit „ Deum non cogere quenquam salutem ex ipso accipere: esse seruatorem & dominum; seruatorem quidem eorum qui crediderunt, propterea quod scire voluerint; dominum autem eorum qui credere noluerunt: venisse ad omnium salutem. FIDEM ENIM ESSE COMMVNEM ELIGENTIVM. Vbi vides idem esse Clementi *non cogere*, atque hominum electioni salutem exponere. Quod apertiùs deinde significat, cùm reciprocam esse dicit & hominis in comparanda sanctitate, & Dei in conferenda gratia libertatem, „ ὅτι γὰρ, inquit, ὁ θεὸς ἄκων ἀγαθὸς ὃν τρόπον τὸ πῦρ θερμαντικόν. Quid enim est Deum non esse inuitum dum bonus homini est, quemadmodum inuitus est ignis

dum calefacit? Aut quid est ignem esse in calefaciendo inuitum, nisi esse necessario calefactiuum? Hoc igitur est, Deum non inuitos trahere quod *non necessariò* trahere: subiungit autem ὅτε μὴν ἄκων σωθήσεται ὁ σωζόμενος. Et mox ἄκων ὁ θεὸς ἀνάγκῃ ἀγαθοποιεῖ.

Constat item ex Anselmo cum dicit. *Nam violentia naturalis conditionis cogit cælum volui; te verò nulla necessitas facit loqui.* Vbi vides & coactionem & violentiam sumi pro ea necessitate cui subiectum nullo modo resistit: quin potiùs illi se cōnaturaliter accommodat. Idem in libro de concordia præscientiæ & liberi arbitrij ait Opus voluntatis cui datum est vt quod vult sit, & quod non vult non sit; esse bifariam necessariū: quia & voluntate cogitur fieri: & quia idem non potest simul fieri & non fieri. Vbi per opus voluntatis intelligit actum ab ea imperatum siue internum siue externum, qui & antecedentem habet necessitatem ex actu imperante ortam; & sequentem ex generali principio, quòd id quod est, quando est, necesse est esse. Et quamuis nulla in tali opere sit violentia propriè dicta vel coactio; cogi tamen dicitur opus illud, eò præcisè quòd subsit illi necessitati antecedenti ex imperante voluntate.

lib. cur Deus homo c. 18.

CXXVIII. Sed quia deprauat Anselmi doctrinam TVissius, dum negat talem sequi ex prædefinitione necessitatem, qualem Anselmus arcendam putat ab actibus liberis; referenda sunt S. huius Doctoris verba, si fortè possit Leouardiensis Theologus erubescere, quando solem meridie lucere negat. Ita ergo loquitur Anselmus Quod si te iterùm perturbat quia dixi necesse erat, *vt Christus moreretur ex hypothesi præscientiæ & prophetiarum*; memento quia veritas fidei virginis, *cui hoc erat reuelatum*, non fuit causa vt ille sponte moreretur; sed quia hoc futurum erat, vera fuit fides. Quamobrem si dicitur, necesse erat vt voluntate solâ moreretur; quia vera fuit fides siue prophetia quæ de hoc præcesserat; non est aliud quàm si dicas, necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat. Huiusmodi autem necessitas NON COGIT REM ESSE; SED ESSE REI FACIT NECESSITATEM ESSE. Est namque ne-

Anselmi sententia de necessitate præcedenti & sequenti.

2. Cur Deus homo c. 18.

„ cessitas præcedens, QVÆ CAVSA EST VT SIT RES: & est
„ necessitas sequens QVAM RES FACIT. Præcedens & efficiens necessitas est cùm dicitur, cœlum volui, quia necesse est vt voluatur: sequens verò QVÆ NIHIL EFFICIT, sed sic est cùm dico te ex necessitate loqui quia loqueris. Non quòd aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volui: te verò nulla necessitas facit loqui. Sed vbicumque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem vbi sequens ibi statim & præcedens. Possumus namque dicere, necesse est cœlum volui quia voluitur; sed non similiter est verum, idcirco te loqui, quia necesse est vt loquaris..... HAC SEQVENTI ET NIHIL EFFICIENTI NECESSITATE quia vera fuit fides & prophetia de Christo, quia voluntate non necessitate moriturus erat; necesse fuit vt sic esset.

In libro autem de concordia prædestinationis cum libero arbitrio, cùm ostendisset præscientiam non impedire libertatem actuum præscitorum; infert idem quoque dicendum de prædestinatione: quod nec ex ista sequatur præcedens necessitas. Pariter igitur, *inquit*, quamuis necesse sit fieri quæ præsciuntur & quæ prædestinantur; quædam tamen præscita & prædestinata non eueniunt eâ necessitate QVÆ PRÆCEDIT REM ET FACIT; sed eâ QVE REM SEQVITVR, sicut supra diximus. Non enim ea Deus quæ prædestinat facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo; sed in sua eam potestate dimittendo.

Addit aliter esse necessarium seditionem cras futuram, &, ortum solis etiam futurum. Futurum enim ortum solis necessario duplici necessitate, *præcedenti*, scilicet, quæ facit rem esse: & *sequenti, quæ nihil cogit esse*: Seditionem verò cras futuram necessariò vnâ tantùm necessitate, *sequente* videlicet. Pergit verò. Hac ergo consideratione palam est, quia sine omni repugnantia & Deus præscit omnia: & multa fiunt ex libera voluntate, quæ antequam sint fieri potest vt nunquam sint: & tamen quodammodo sunt necessitate, QVÆ NECESSITAS VT

dixi DESCENDIT DE LIBERA VOLVNTATE.

CXXIX. Ex qua doctrina in primis constat necessitatem bifariam diuidi; vt sit alia *præcedens*, quæ non stat cum libertate; alia sequens quæ cum illa stat. Quæ diuiso negari non potest sine illius Auctoris iniuria quem TVissius quoque; *Scholasticæ Theologiæ Primipilum* vocat, esse legitima atque adeo adæquata; nulla vt esse possit necessitas quæ non referatur ad alterutrum caput *præcedentis* nimirum vel *sequentis*. Vnde sequitur euidenter necessitatem illam quam inuehit diuina prædefinitio in actus prædefinitos, esse etiam alterutram ex mente Anselmi. Restat ergo vt videamus vtra sit ex proprijs rationibus vniuscuiusque necessitatis ab Anselmo designatis. Constat verò secundò, præcedentem necessitatem eam dici *quæ causa est vt sit res*, *Quæ est efficiens: Quæ præcedit rem & facit: Quæ cogit rem esse* sumendo τὸ cogere, latè, prout etiam conuenit motui minimè violento, cuiusmodi est motus cœli: Item esse illam quam intelligimus dicentes, *non tantùm esse necesse rem aliquam esse, quia est*; verum etiam *ideo rem aliquam esse, quia necesse est vt sit*, quod coincidit cum eo quod iam dictum est, esse necessitatem quæ causa est vt sit res. lib. 3 cap 8. pag 478.

Constat tertiò *sequentem necessitatem* vocari ab Anselmo eam *quam res facit: Quæ nihil efficit: Quæ non cogit rem esse* eo sensu quem iam dixit *Quæ descendit de libera voluntate*: Quæ tantùm intelligitur cum dicimus: *Esse necesse rem aliquam esse, quia est*: non è conuerso, *ideo esse quia necesse est, vt sit*.

Iam TVissium audiamus Anselmo respondentem. „ Negamus aut secundùm veritatem, aut secundùm Anselmum, suppositionem omnem antecedentem vsum libertatis præiudicare libertati creaturæ, licet VERA CAVSA fuerit actus subsequentis, & talis vt illâ positâ infallibiliter atque INEVITABILITER sequatur talis actus. Ineuitabiliter, inquam, ex suppositione, hoc est non simpliciter, sed secundùm quid. *Item*. Necessitas antecedens libertati inimica, non est alia secundùm Anselmum, quàm quâ necesse esse dicitur cœlum moueri. Hæc est autem „ l. 2. c. 3. pag 266

„ necessitas pure naturalis, quâ scilicet agentia naturalia
„ determinantur intrinsecus ad agendum. Non sic decreto
ib. p. 167 „ Dei determinatus fuit Cyrus &c. Ac tandem Brauardini
„ verbis fusè relatis, sic concludit. In istis apud Brauardi-
„ num sparsis & ad Anselmi sententiam elucidandam con-
„ ducentibus excerpendis, & in vnum colligendis, eò pro-
„ lixius spatiatus sum, vt os obstruerem isti Iesuitæ, qui
„ præter Anselmi auctoritatem prima fronte & secundum
„ superficiariam dumtaxat considerationem ipsi propitiam,
„ nihil habet quo vel credulum Lectorem præoccupet, &
„ in partes suas propensiorem reddat. Est itaque fateor
„ istiusmodi necessitas ex suppositione, idque ex SVPPOSI-
„ TIONE CAVSÆ: nec tamen qualis libertatem creatam de-
„ biliter; sed confirmet potiùs. Quippe cum non modò vt
„ fiat velit Deus; sed vt fiat contingenter & liberè Vnde
„ dicimus necesse esse, idque Necessitate antecedente &
„ causali, vt quæ fiunt à creatura rationali non modo fiant;
l. 1. c. 6. „ sed & contingenter fiant atque liberè. *His addendum &*
pag. 354. „ *hoc aliud* An verò quia absolutè vult Deus irresistibiliter
„ aliquid ab homine fieri liberè, propterea fiet minus li-
lib. 3. p. „ berè? Quod postea etiam repetit dum dicit, decreto
406. „ Dei contingentiam irresistibiliter stabiliri. Quandoqui-
„ dem quidquid Deus contingenter & liberè fieri vult, ne-
„ cesse est vt contingenter & libere fiat, aliàs de suæ omni-
„ potentiæ arce deijceretur Deus.

CXXXI. Ex quibus intelligis, Optime Lector, necessitatem quam TVissius sequi putat ex Dei prædefinitione, *Antecedentem*, *Causalem*, *Quæ est vera causa actus subsequentis*, *& talis vt eà posita ineuitabiliter sequatur effectus*, *& irresistibiliter*: & ratione cuius verè dicimus non tantùm necesse esse vt aliquid fiat, quia fit; sed fieri *quia necesse est vt fiat* postquam Deus fieri vult, alioqui *deijciendus de arce suæ omnipotentiæ*; hanc, inquam, necessitatem apud TVissium esse illam quæ stat cum libertate: idque omnino ad mentem Anselmi. Confer igitur necessitatem hanc cum illo vtroque distinctionis Anselmi membro, & vide an contineatur illo quo necessitas quæ libertati non obest à dicitur *quam res facit*: *Quæ nihil efficit*: *Quæ non* cogit

cogit rem esse: Quæ descendit de libera voluntate: Quæ necesse est tantum aliquid esse, quia est. Vide inquam, an necessitas *antecedens*, sit necessitas *sequens?* An illa quæ est *vera causa* actus, sit illa quam *actus facit?* An illa quæ est *causalis*, sit illa quæ *nihil efficit?* An illa quæ *ineuitabiliter & irresistibiliter* rem esse facit, ea sit quæ *non cogit* rem esse? Ea demum quæ oritur ex solo Dei decreto & ex *arce omnipotentiæ*, sit illa quæ *descendit de libera voluntate?* Confer modo & cum alterâ necessitate quâ dicit Anselmus destrui libertatem: & vide, an aliquid habeat Anselmi necessitas illa quæ huic TVissianæ non conueniat. Illa *præcedit* rem; ista antecedit: Illa *facit*, seu *efficit*; hæc *causat*: Illa dicitur *causa* vt sit res; ista etiam dicitur *vera causa*: Illa *cogit rem esse*; ista in eum finem accersit ex *arce omnipotentiæ vim irresistibilem*: Ratione illius verum est, *non ideo solùm necesse esse aliquid fieri quia fit; sed ideo fieri quia necesse est vt fiat*; ratione istius hoc ipsum verum est in eo actu quem TVissius liberum vocat, nempe non solùm necesse esse huiusmodi actum fieri quia fit; *sed ideo fieri quia necesse est vt fiat*, ex suppositione diuini decreti. Et cùm sit sole clarius TVissianam hanc necessitatem ipsissimam esse quam Anselmus reijcit ab actibus liberis; quis non merito rideat vanissimum thrasonem, qui se hîc loci Iesuitis obstruere os dictitat; & dum eam necessitatem quâ negat Anselmus vel *loquutionem* vel *seditionem* constringi, quibus exemplis quæcumque alia operatio similiter libera designatur, ipse palam in omnem actum contingentem spargit, videri tamen vult ad mentem Anselmi Philosophatus?

CXXXII. Necessitas, inquis, quam admitto est tantum necessitas ex suppositione & conditionata. Sed dic amabo ex qua suppositione? An ex suppositione consensus liberi aut alicuius causæ ab eo dependentis? Minimè gentium. Antecedentem enim facis. Ex qua ergo suppositione? Nimirum ex suppositione diuini decreti. Tu verò es admirandæ ac reconditæ sapientiæ Theologus, qui quærenti quomodo prædefinitio quæ necessitatem infert non tollat actus prædefiniti libertatem; ideo negas

X

tollere, quia illa est necessitas ex suppositione prædefinitionis, hoc est ex suppositione causæ suæ: Atqui quæcumque alia necessitas, est etiam ex suppositione causæ à qua procedit. Coactitia numquid est ex suppositione causæ vim inferentis? Naturalis numquid est ex suppositione formæ quæ naturalem propensionem communicat? Hoc autem explicandum tibi erat, quomodo necessitas quæ est ex suppositione causæ antecedentis vsum libertatis atque ab eo independentis, quæcumque tandem sit illa causa, non destrueret ipsam operationis libertatem. Destruere enim Anselmus significat eo ipso quod est causa *præcedens* & quæ *facit rem esse*.

CXXXIII. Anselmus, inquis, *præcedentem* necessitatem vocat eam tantùm quæ est naturalis, vt ostendit exemplum quo vtitur cùm dicit *præcedens & efficiens necessitas est, cùm dicitur, cælum volui.* Quid? num vis etiam ab Anselmo exclusam violentam necessitatem quâ fertur lapis sursum proiectus, eo quòd illius exemplum non apposuerit? An necesse fuit vt omnium necessitatum quæ præcedunt & libertatem destruunt exempla poneret? Ego similiter conficiam, ex Aristotele non esse in reptilibus potentiam loco motiuam, si forte ille dum eam exprimeret exempla tantùm posuit quadrupedantum. Simplex est & minimè inuoluta ratiocinatio. Necessitas quæ facit rem esse, & quæ causa est vt res sit, est necessitas præcedens & inimica libertati, ex Anselmo: Necessitas quæ sequitur ex prædefinitione facit rem esse, & est causa vt sit res, vt ipse concedis: Ergo illa est necessitas præcedens & inimica libertati, iuxta mentem Anselmi. Item. Necessitas sequens & quæ libertati non nocet alia non est ex Anselmo, quam illa quam res facit: illa quæ nihil efficit: illa quæ descendit de libera voluntate; Sed necessitas quam infert prædefinitio non est illa quam res facit: nec illa quæ nihil efficit: nec illa quæ descendit de libera voluntate: Ergo necessitas quam infert prædefinitio non est necessitas quæ apud Anselmum dicitur sequens, & quæ non nocet libertati. Quod si sub secundo illo traditæ distinctionis membro contineri non potest; restat vt ad primum reducatur,

& credatur esse necessitas tum præcedens, tum noxia libertati; aut damnetur Anselmus vna cum sua distinctione. Neque vnquam euinci poterit, esse potiorem rationem cur necessitas vna libertatem tollat, quàm alia, si sit vtraque perinde antecedens, atque à libero voluntatis consensu independens.

CXXXIV. Prædefinitio, inquis, apponit conditionem actui prædefinito, quia non fertur in illum quocumque modo, sed vt *libere* ac *contingenter* eliciendum; ideoque stabilire potius quam tollere libertatem censenda est. Tu verò semper in caput volueris, & eandem repetis contradictionem. Negare non potes quin Deus prædefiniendo id esse velit quod sequitur ex ipsius prædefinitione: atqui sequitur ex prædefinitione necessitas vt sit res prædefinita: Ergo vult Deus esse illam necessitatem: Ergo vult vt sit necesse rem fieri. Addis, vt sit necesse rem fieri contingenter. Postquam igitur hæc coniungis, substitue proprias vtriusque rationes, ipsius inquam *necesse* & ipsius *contingentis*: Et quia *necesse*, dicitur *quod non potest aliter fieri*; *contingens* autem *quod potest aliter fieri*, dic velle Deum actum prædefinitum ita sequi, *vt non possit aliter fieri*: & simul etiam ita *vt possit aliter fieri*: atque adeo velle Deum, idem simul esse & non esse.

Seclusâ scientiâ mediâ prædefinitio non potest apponere conditioné libertatis actui prædefinito. Vide suprà num. 15. & num. 77.

Neque hic obtrudas cauillum diuersorum respectuum. Nisi adeo es subtilis vt intelligas diuerso respectu fieri posse vt aliquod animal in seipso re vera simul sit rationale & non rationale: item aliquod subiectum simul album & non album.

Atque hæc est summa contradictionis quam inuoluit prædefinitio liberi actus, quæ non supponit scientiam mediam. Quia, prædefiniri actum liberum, est prædefiniri actum qui non trahat necessitatem essendi ex causa antecedenti & independenti ab illius voluntate cui liber dicitur: Atqui actum esse prædefinitum, est trahere necessitatem essendi ex tali causa: Ergo prædefiniri actum liberum, est prædefiniri actum qui non sit prædefinitus quod implicat. Vel. Prædefinire vt actus sit liber, est prædefinire vt sit sine causa ex qua trahat necessitatem antecen-

tem & independentem ad eius voluntate cui liber est: Atqui prædefinitio est talis causa: Ergo prædefinire actum esse liberum, est prædefinire vt sit actus sine prædefinitione. Aduersarij non distinguunt inter, prædefinire vt non sit necessitas operationis liberæ, & prædefinire vt sit operatio libera sine necessitate, quæ tamen plurimum distant. Primum enim non repugnat, & includitur in decreto concurrendi cum causis liberis. Secundum inuoluit eam quam dixi contradictionem. Et ratio est. Quia primum tantùm tollit necessitatem operationis liberæ, non ponit autem operationem ipsam necessariò: Vnde potest eius negatio componi cum tali prædefinitione. Secundum autem, & necessariò tollit necessitatem vt sit operatio, & necessario eandem operationem ponit, quod est tollere idem ac ponere. Vult enim Deus per illum actum & vt non sit necessitas in operatione creaturæ, & vt operatio ipsa sit: & vtrumque vult efficaciter & absolutè, & *irresistibiliter*: vnde quam certò ac necessariò decretum illud operatur *vt non sit necessitas* operationis prædefinitæ, tam certò & tam necessariò operatur *vt eadem operatio sit*. Operatur ergo decretum illud & vt *necessariò existat operatio* prædefinita, & vt non habeat existendi necessitatem, quod implicat.

Extinctæ libertatis confessio.

CXXXV. Neque aliud restat, quàm vt dicatur id quod relatis ex Brauardino verbis videtur colligere TVissius, excludi ab Anselmo necessitatem quæ præcedat diuinam voluntatem, quæ est prima radix contingentiæ ac libertatis actuum nostrorum: qui proinde non desinent esse liberi ac contingentes denominatiuè ab illa Dei voluntate, quemadmodum actus à voluntate nostra imperati vel interni vel externi liberi sunt, tametsi essendi necessitatem trahant etiam antecedentem ex actu imperante à voluntate ipsa elicito. Quod si est ita, neque aliter libera est ipsa per se voluntas creata respectu Dei, quam quo modo libera est motrix facultas respectu voluntatis creatæ cui subijcitur; actum est de libertate creaturæ, deque illo dominio ac potestate agendi & non agendi quam hactenus & ratio naturalis Philosophis: & institutio diuina

Theologis, & Patribus atque vniuersæ demum Ecclesiæ persuasit.

Brauardinum quod producit TVissius frustra est, quia obtinere aliud non potest, quàm vt concedamus non vnicum esse Anselmi malum interpretem. Et dum instat *Pontificium* fuisse illum; obtinebit hoc etiam, vt fateamur Pontificios omnes non id esse quod Pontifex, infallibiles scilicet in definiendis fidei controuersijs. Manifestum enim est ex iam dictis, nullam esse posse in eo quod iam quæritur antecedentis necessitatis differentiam, iuxta mentem Anselmi; sed omnem omnino quæ planè sit antecedens, & quam ipsa voluntas nullatenus faciat, perimere ipsius in agendo libertatem. Lubet apponere tria Scoti verba, vt appareat quàm temerè illum allegauerit TVissius, tanquam suæ de liberorum actuum prædefinitionibus sententiæ patronum, cum tamen Scotus nihil habeat quod TVissio congruere possit. Ita enim Scotus. Si esset necessitas præuia ad voluntatem, & voluntas intelligeretur cadere sub necessitate, tanquam impellente in actum & figente in actu; voluntas ageretur & non ageret: nec staret in actu libertas. Vide an hoc sit admittere decretum ex quo sequatur antecedens necessitas quæ *irresistibiliter* & *inevitabiliter* voluntatem creatam ad agendum moueat. Iterum Scotus. Cum libertas necessitatem compatitur, tunc necessitas CADIT SVB VOLVNTATE, sic quod voluntas propter firmitatem libertatis suæ, SIBI NECESSITATEM IMPONIT, & in eliciendo actum & in perseuerando siue figendo se in illum. An non hæc est necessitas sequens quam facit voluntas ex Anselmo; quæque ideo sola cum eius libertate conciliatur? Addendum & quod habet 4. Sent, Nunquam causam secundam præuentam à causa superiori agente ad vnum oppositorum, posse potentiâ propinqua exire in aliud oppositum. Ex quibus locis manifestum est Scotum Anselmo consentire circa oppositionem antecedentis necessitatis quam non facit voluntas, cum libertate: & circa concordiam necessitatis sequentis, & quam facit voluntas, cum eâdem libertate. Possem in eandem quo-

Expressa Scoti doctrina contra prædefinitiones à scientia media independentes.

In quodlib. quæst. 16.

dist. 49. quæst. 6. dub. 1.

que sententiam producere pleraque S. Thomæ testimonia, nisi hoc iam luculenter præstitisset vir eruditissimus & de tota Philosophia ac Theologia optimè meritus P. Petrus à S. Ioseph Cisterciensis, opusculo proprio, *Defensio D. Thomæ*, inscripto.

Gonzales t.p. disp. 57 num. 54.

CXXXVI. Ex his modò facilè est intelligere, quanti sit faciendum quod aliqui respondent, diuinam quidem prædefinitionem esse *antecedentem* ad actus prædefinitos, sed tamen hoc non facere vt necessitas quâ sequitur actus prædefinitus sit etiam antecedens: ac proinde nec esse à ratione liberi actus excludendam. Hoc, inquam, ex dictis satis reijcitur. Anselmus enim non relinquit mediam aliquam necessitatem inter antecedentem & consequentem: ideoque si non est antecedens illa quæ nascitur ex prædefinitione, restat vt dicatur consequens. Non est autem consequens apud Anselmum nisi *quam facit liberum agens* seu quæ *de libera voluntate descendit* vt ipse loquitur: & est manifestum illam quæ oritur ex prædefinitione, nec fieri ab agente libero, nec descendere de libera voluntate: Ergo immeritò dicitur consequens.

Effugium inutile, non esse antecedentem illam necessitatem cuius causa est antecedens.

Sed & hoc quoque videtur absurdum, negari antecedentem esse necessitatem cuius causa est antecedens; cùm constet apud omnes, quamcunque necessitatem sequi conditionem suæ causæ atque ab ea denominari. Et ita naturalis dicitur necessitas illa quæ causam habet naturalem; violenta, quæ vim extrinsecus illatam; absoluta, quæ existentem atque operantem obsolutè; conditionata, quæ suspensam ex aliqua conditione siue in existendo, siue in operando. Iam quo sensu vel qua probabilitate dicetur consequens, necessitas illa cuius causa est antecedens? Et illa quæ dicitur antecedens, quare sic dicitur, nisi quia est ex causa antecedenti? Sed ne circa verba rixari frustra videamur, Necessitas quam abhorret agens liberum illa est, cuius causam ipsum nec impedire potest, nec vincere: Necessitas agendi quæ sequitur ex prædefinitione seclusâ scientiâ mediâ, est eiusmodi: Ergo illa est quam abhorret liberum agens. Neque hoc argumentum eget probatione sed meditatione.

Simplicior est atque candidior doctrina Didaci Aluarez, cùm dixit, necessitatem ex suppositione voluntatis diuinæ *antecedere quidem causam secundam*, sed non antecedere *causam primam*. Nos verò etiam non pugnamus pro libertate causæ primæ; sed pro libertate causæ secundæ, quam violari contendimus ex Anselmo eâ necessitate quæ illam antecedit.

Disp. 12. num. 41. Necessitas orta ex prædefinitione Didaco est antecedens respectu causæ secundæ.

CXXXVII. Idem dicendum de alio subterfugio quo Caluinum quoque vsum constat, vt dicam postea. Nempe, necessitatem hanc ex prædefinitione ortam, esse *consequentiæ*, non *consequentis*. Nam cum nulla omnino sit necessitas quâ vnum cum alio connectitur, quæ non possit dici *necessitas consequentiæ*; illa dici solet esse tantùm necessitas consequentiæ, & non tollere libertatem consequentis, cuius antecedens vel non est causa consequentis: vel eius libertatem quodammodo supponit. Et ita ex diuina præscientia dicitur necessariò sequi Iudam peccaturum saluâ illius peccati contingentiâ & libertate, quia præscientia non est causa cur ille peccaturus sit, quemadmodum Patres toties inculcant, sed è conuerso. Similiter, ex diuina prædefinitione suppositâ scientiâ mediâ necessariò sequitur exercendum actum prædefinitum, saluâ pariter eius contingentiâ & libertate: quia prædefinitio illa scientiam mediam supponit, & scientia media futurum conditionatè actum illum. At verò quando antecedens necessariæ illius consequentiæ est causa consequentis independens à libertate, nemo dubitare potest quin non sit tantùm necessitas consequentiæ, sed & consequentis quoque, vt videre est in consequentia amoris beatifici ex visione, & actus violenter coacti ex vi cogente. Cum ergo diuina prædefinitio, seclusâ scientiâ mediâ, nec pendeat à nostra libertate, nec illam supponat: & tam indissolubiliter sibi connectat positionem actus prædefiniti, quàm visio beatificum amorem, aut vis cogens actionem coactam; quare dicitur tantùm necessitas consequentiæ, & non etiam consequentis? Quia finit, inquis, liberum esse consequens. Atqui hoc ipsum peto, cur præ-

Infrà disp. 4 num 112.

Necessitas quæ sequitur ex prædefinitione seclusâ scientiâ mediâ non est tantùm *consequentiæ* sed & *consequentis*.

definitio quæ facit, vt vel tantâ, vel etiam maiori necessitate sequatur actus prædefinitus ex nostra voluntate, quantâ sequitur amor videntis Deum ex visione; dicatur tamen in illo actu relinquere libertatem, quam visio non relinquit in amore? Et si respondeas, quia prædefinitio infert modum libertatis; contra. In tantùm visio non infert modum libertatis, in quantùm infert modum necessitatis independentis à libertate: Atqui prædefinitio pariter infert. Ergo negari debet similiter inferre modum libertatis. Reditque semper circulo quodam eadem interrogatio, cum petitur. Quare dicatur necessitas quam infert prædefinitio esse consequentiæ tantùm, & relinquere liberum consequens, cum sit ex antecedenti causa & independenti; non dicatur autem id ipsum de necessitate quam infert aut visio, aut vis illata?

CXXXVIII. Neque verò sperent Aduersarij se nobis facilè verba daturos. Quæ hic esse dicitur *necessitas consequentiæ*, inter actum prædefinitum & prædefinitionem, est obiectiua quædam necessitas; quâ secundum esse reale, actus ex prædefinitione sequitur tanquam à causa: ita vt necessitas afficiat consequutionem illam, seu emanationem realem: nec est tantùm necessitas quædam formalis seu intentionalis consequentiæ, quâ per intellectum vnius cognitio etiam causæ, ex alterius etiam effectus sui cognitione infertur. Si quidem illâ priore necessitate fit, vt non sit tantùm necessarium cognosci vnum si cognoscatur aliud; sed & poni reipsa, si aliud ponatur: & ideò tantùm sit necessarium cognosci, quia necessarium est & poni re ipsa. Ergo synonyma sunt ista omnia, esse realem illam consequentiæ necessitatem, esse necessariam consequentiam, & vnum ex alio necessariò consequi secundùm esse reale: & quod est idem, vnum ab alio necessariò reali necessitate causari. Iam verò quâ necessitate aliquid causatur, eâdem existit: sed actus prædefinitus reali necessitate causatur à prædefinitione: Ergo actus prædefinitus necessariò reali necessitate existit. Vnde vltimò sic argumentor. Necessitas illa quâ fit vt non tantùm necessaria

cessaria sit illatio consequentis ex antecedente, sed vt ipsum etiam consequens existat necessariò, non est tantùm necessitas consequentiæ sed & consequentis: Atqui necessitas quâ effectus prædefinitus ex prædefinitione sequitur eiusmodi est, vt non tantùm necessaria sit illatio consequentis ex antecedente, sed vt ipsum etiam consequens, quod est actus prædefinitus, necessariò existat, vt patet ex dictis: Ergo illa non est tantùm necessitas consequentiæ, sed & consequentis. Hæc autem, etiam per Aduersarios, libertati repugnat: ergo & illa.

CXXXIX. Vnde colliges quàm sit intricata Didaci cogitatio cùm dicit, *Illud consequens, ego faciam hoc in particulari, esse necessarium necessitate consequentiæ, vt subest illi antecedenti, scilicet, Deus vult vt faciam hoc.* Eo enim ipso quod consequens dicitur esse *necessarium*, admitti debet *necessitas consequentis*: ideoque dicere, consequens esse necessarium necessitate consequentiæ, ludere est, idemque affirmare ac negare. Necessitas enim consequentiæ dicitur ad excludendam consequentis necessitatem; ideoque *necessarium esse consequens necessitate consequentiæ*, non est aliud quam necessitatem consequentiæ in subiecta materia esse etiam necessitatem consequentis, cùm tamen illa ita nominetur ad hanc excludendam. Consequentia, quæ hic dicitur necessaria, est materialis, sita in connexione reali actus cum prædefinitione vt causâ, quâ fiat vt sit necessarium & fieri & existere actum dependenter à prædefinitione. Quod autem habet necessitatem existendi dependentem ab eo quod est à mea libertate independens, mihi tamen liberum esse quis meritò dixerit?

disp. 22. num. 42.

Didacus Aluarez pugnantia loquitur.

CXL. Hinc verò facilè apparet, quantopere intersit Aduersariorum negare independentem esse à libero agente prædefinitionem suam. Quod videtur facere voluisse qui dixit Esse illam in manu nostra: non quidem tanquam effectum procedentem à libertate nostra; sed tanquam causam libertatis nostræ. Sufficere autem vt aliquid dicatur esse in nostra potestate, quòd vel sit effe-

P. Ioan. à S. Thomas qu. 14. disp. 20. ar. 5. p. 678

" Deiprædefinitionem esse in manu

nostra censet? Io. à S. Th.

Quod est causam esse in causa sui effectus.

„ ctus libertatis ; vel libertas sit effectus illius : & esse pe-
„ rinde atque esse in mea potestate, quia est causa vt actus
„ seu effectus in mea potestate sit. Quorum verborum sententiam qui facilè capiat, nullam ego illi puto Apocalypsim obscuram fore. Quid enim aliud quæso est, aliquid esse in mea potestate, quam esse mihi liberam illius existentiam : Mihi autem quomodo libera esse potest illius rei existentia quæ à me reipsa nullo modo nec in vllo genere causæ pendet ? Quomodo autem pendeat id quod existentia sua-uim omnem meam & facultatem & actionem occupat & præuenit ? Sed vide, Lector, quo hæc tendant ? Si verè dici potest prædefinitionis positio esse in mea potestate, atque adeo esse mihi libera ; cùm sequatur inde mihi quoque liberum esse quidquid ex illa pendet ; fit vt dicenda sit esse mihi libera gratiarum omnium præuenientium, quas Deus in nobis sine nobis operatur, positio & existentia. Ecquid dicent, qui capere non possunt, quomodo libertas quæ non existit, sit tamen ratio cur Deus ab æterno cognoscat aliquid esse futurum : ideoque omni præscientiæ necessario putant præmittendum esse decretum ; cum iam dicunt prædefinitionem ab æterno existentem, esse in potestate libertatis existentis post æternitatem : quod est rem quæ est, esse liberam ei quæ non est ? Vbi autem legerunt, & quo iure postulant, vt sine teste, ac sine probatione concedamus, sufficere vt aliquid dicatur esse in mea potestate *quod mea libertas sit effectus illius ?* Num satis Philosophica est illa cogitatio, quâ causa necessariò prærequisita putatur *esse in potestate sui effectus* ? Et cùm id quod dicitur esse *in manu alterius*, vel *in potestate alterius*, supponatur eo ipso habere aliquam in se ad existendum vel non existendum indifferentiam, determinari autem ab eo *in cuius manu vel potestate* dicitur esse, iuxta illud Ecclesiastici, *Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui*, quorum verborum sensum mox explicat cum dicit *apposuit tibi ignem & aquam ad quod volueris porrige manum tuam*: & illud Augustini *Esse id in nostra potestate quod cum*

1 Retr. cap. 22.

volumus facimus: itáque; *esse in nostra potestate vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius seueritate*; cum, inquam, ita se habere dicatur id quod est in alicuius *manu aut potestate*, vt ad illius nutum sit aut non sit; num admittunt æternam & prædefinientem Dei voluntatem ita esse in potestate voluntatis creatæ, atque ab ea quam antecedenter determinat, ipsam vicissim determinari ad hoc vt sit aut non sit? An hîc admittent circularem causalitatem illam, qua dici possit, & prædefinitionem causam esse cur sit potiùs quàm non sit hoc exercitium meæ libertatis: & hoc exercitium meæ libertatis causam esse, cur sit aut non sit prædefinitio? Cogitationum certè circulus hic vitari non potest, dum interreganti cur sit in mea potestate meæ voluntatis operatio, respondetur, quia prædefinitio quæ ipsa est in potestate mea, hunc illi modum præscribit: & iterum interroganti cur dicatur prædefinitio esse in mea potestate, respondetur, quia operatio mea cum qua illa necessario connectitur, in mea potestate est. Vnde iterum dico inexplicabilem hac Philosophandi ratione sententiam contineri. idem ib.

CXLI. Eâdem verò confusione laborat quod addunt, habere nos potestatem antecedentem ad tollendam vel ponendam suppositionem prædefinitionis, vel cum ea coniungendam negationem actus prædefiniti. Quod est ingenuè fateri esse potentiam ad impossibile, &, quæ per totam æternitatem non est voluntatem nostram, impedire tamen posse totâ æternitate rem ab ipsa independentem, & cuius existentiæ ipsa nulla ratione supponitur. Verùm hæc omnia satis ostendunt quibus difficultatibus constringantur qui sublatâ scientiâ mediâ tueri volunt absolutas liberorum actuum prædefinitiones. Addo huius sententiæ condemnationem ex Aluare dum dicit, Determinatio diuinæ voluntatis secundùm quod est in Deo, & vt est actio immanens illius, non est in nostra potestate; SED TANTVM IN POTESTATE SOLIVS DEI.

Datur potentia ad impossibile in sententia Aduersariorum.

Aduersarij inuicem pugnant.

disp. 22. num. 33. In fine præfationis.

CXLII. Atque hæc sufficiunt tum ad probandam scien-

tiæ mediæ necessitatem : tum ad vniuersos Guillelmi TVissij cuius occasione iam eramus digressi, conatus eneruandos. Qui quòd profiteatur *se neque antea nauauisse, neque post hac nauaturum operam operosiorem*; eo nomine infœlix & dignus commiseratione videri possit, quod eius operæ pretium non fecerit. Accusandus etiam, & coram Apolline ac musis conueniendus, Quod temerè in messem Scholasticorum falcem immiserit, Poëtice derelictâ, quam si colere pergeret Teutonicus Poëta, & hederam sperare potuisset & vinum.





DISPVTATIO SECVNDA.

AVCTOR ANONYMVS LIBRI DE ORDINE DEQVE PRIORI ET POSTERIORI.

I. VM hoc Doctore eò agendum erit humaniùs, quòd ille amicitiam præfatur; quam etiam dolet ex præscripto Philoſophi exemploque fuiſſe poſt habendam veritati. Sed eſt tamen nobis pro iure atque officio amicitiæ, tum illius cauſa condolendum, tum noſtrâ ſuccenſendum. Nam quòd eius contra ſcientiam mediam diſputatio in illud tempus incurrerit, quo Guillelmus TViſſius eandem petebat, ſicuti prodiret vir egregiè Catholicus ad excipiendum Caluiniſtam, ſuaſque cum illo copias iungendas; qui non doleat, amicus non ſit: Quòd verò ex vniuerſo amicorum cœtu ſe vnum exiſtimauit ſepoſitum eſſe, cui ſe veritas viſendam præberet cæteris excæcatis; quis non putet illi meritò ſuccenſendum? Fuit verò in eo etiam mirabilis eius perſuaſio, quòd cùm duæ omnino partes eſſent in hac controuerſia, ille vnam ita deſeruit, vt exceſſerit alteram: & cum communem Ieſuitarum doctrinam impugnet,

nec saltem steterit cum Thomistis; vt possit tale aliquid vsurpari de illo, quale olim de eo qui dicebatur & *Senatorem perdidisse & Monachum non fecisse.* Thomistæ siquidem & olim ferè, & hodie plerique omnes, quantum conijcere licet ex P. Ioanne à Sancto Thoma, ita scientiam mediam reijciunt, vt tamen cogi se fateantur ad retinendum conditionatam; neque aliter differunt à Iesuitis, quàm quia id quod isti dicunt cognosci à Deo independenter ab omni decreto, illi è contrario cognosci contendunt dependenter à decreto, sed pariter conditionato. At vero Doctor Anonymus & decretum conditionatum, & scientiam inde sequutam profligat: suamque seorsim familiam ducere aggreditur, rariorem sine dubio minusque frequentem ea de causa futuram. Condonandum hoc tamen, laudandusque conatus, quem amor veritatis expressit: cuius radios quia communicare voluit cum amicis; en adsumus probaturi nouam lucem, oculosque adhibituri non indociles. Quis enim velit esse lumini rebellis? Sed quando ille nobis pro sua humanitate eiusce rei copiam facit; interea dabimus operam vt fumum ab igne distinguamus.

CAPVT PRIMVM.

Decem rationes Anonymi contra scientiam mediam examinantur.

Cap. 25. ib. n. 1.

II. Ecem argumenta contra Scientiam mediam disposuit. Quæ, vt ipse quidem putat, *firmissima* sunt: quamuis ea nec ex scriptura, nec ex concilijs, nec ex PP. nec ex communibus illis locis vnde conclusio peti debet, vt sit Theologica, deducantur, vt reponere liceat quod de nobis ille pronunciat *Latinè quidem & eleganter, sed parum Theologicè.*

cap. 42. n. 9 Quæ sit obiectiua ratio cognoscendi futuri conditionati.

Est igitur prima ratio, qua inquit *manifestè* ostenditur

impossibilem esse scientiam mediam, hoc est scientiam futuri conditionati, quia si cognosceretur huiusmodi futurum *vel in se & secundum quod est actu, vel in sua causa*: Neutrum dici potest. Ergo, &c. ℞. Breuiter, nego maiorem, & dico futurum conditionatum neque in sua causa cognosci, neque in se *secundum quod est actu*, sed *secundum quod esset*; quia hoc tantùm de illo futuro asseritur, non *quòd sit*, sed *quòd esset* si conditio poneretur: ergo veritas illius cognitionis non requirit *actum qui sit* sed *qui esset* ex hypothesi. At, inquit, maior illa est S. Thomæ qui docet *duobus tantùm modis futurum contingens* (*siue absolutum siue conditionatum*) considerari. Oppono hunc Doctorem ipsum sibi dum ita loquitur. At contrà contendo „ ego horum nominem neque vllum alium ante Molinam „ de Dei scientia media ne per somnium quidem vnquam „ cogitasse, nec eam vllibi vel supposuisse, vel adhibuisse „ ad vllam siue Scripturæ sacræ, siue Theologiæ Scholasticæ difficultatem expediendam. S. Thomas eo numero comprehenditur, ergo *ne per somnium quidem* vnquam cogitarit de scientia media, ac proinde nec de scientia futuri conditionati, quæ apud Anonymum conuertitur cum scientia media. Ergo cùm dicit futurum duobus tantùm modis cognosci, non intelligit de futuro *siue absoluto siue conditionato* vt vult Anonymus: sed de *absoluto* tantùm, quippe qui de cognitione conditionati, *ne per somnium quidem cogitarit*.

1 p.q.14. a. 18

c. 24. n. 4.

Addo particulam exclusiuam *tantùm* non esse in D. Thoma, nec dicere illum *duobus tantùm modis* considerari & cognosci futurum contingens. Verba illius sunt. Ad „ cuius euidentiam considerandum est quòd contingens „ aliquod dupliciter potest considerari, vno modo in se ipso „ secundùm quod iam in actu est, & sic non consideratur „ vt futurum sed vt præsens..... Alio modo potest considerari contingens vt est in sua causa, &c. Qua in sententia nihil est quod quemquam prohibeat quominus tripliciter etiam consideret contingens & quadrupliciter, nempe vel prout est actu absoluto: vel prout est actu ex hypothesi: vel prout est in causa quæ aliquando absolutè

existit: vel prout esset in causa tantùm possibili, si ea poneretur.

III. Sed quia neque hoc dare cogimur, neque verum est D. Thomam non cogitasse vnquam de futuris conditionatis, dico Quadruplicem illum considerandi modum non multiplicari per additionem ad duos illos qui allati sunt, sed per eorum diuisionem: Nam cum dicit futurum considerari posse in seipso secundùm quod iam actu est; intelligi potest de actu, qui vel absolutè ponitur, vel ex positione tantùm conditionis ita est suspensus, vt eâ positâ infallibiliter ponendus sit. Similiter cùm dicit futurum considerari posse in sua causa, interpretandum est de causa, quæ vel existit aliquando, vel existeret si Deo ita videretur. Atque ita liberum erit, vel absolutè negare maiorem illam, vel iuxta interpretationem hanc ita distinguere, nihil vt inde possit concludi contra scientiam futuri conditionati.

IV. Instat Anonymus. Quod est nobis futurum, esse debere Deo præsens vt ab eo cognoscatur: Futurum conditionatum non posse Deo præsens esse. ℞. Primò probationem *Manifestam* qualis esse ista dicitur, non debuisse alligari obscurissimo principio, cuiusmodi est illud, quòd ratio intelligendi futura contingentia sit præsentia, quam habent in æternitate Dei: de cuius germana intelligentia ipsi quoque Thomistæ in partes diuisi sunt. Deinde dico id quod est nobis futurum, esse debere Deo præsens vt intelligatur, eâ ratione qua nobis futurum est, non autem aliâ. Cum ergo futurum conditionatum ita nobis futurum sit, vt eius futuritio sit ex conditione suspensa, Deo quoque ita præsens esse debet, vt ea præsentia ex eadem conditione suspensa sit. Et hoc est quod Deus scire debet, si est omni-scius, nempe, nihil aliud requiri quam vt ponatur talis conditio, vt talis effectus æternitati suæ realiter fiat præsens: nihil, inquam, aliud requiri vt pœnitentia Tyriorum v. g. ex eorum libera voluntate sequatur, & quando ita loqui volunt, æternitati realiter præsentetur, quàm vt præcedat talis gratia cum talibus circunstantijs. Neque verò inde consequens est

est, vt quemadmodum suspensa est præsentia illa realis futuri conditionati, sit etiam suspensa obiectiua præsentia, & existentia scientiæ, quâ id ipsum cognoscitur; cùm constet obiecti conditionati esse posse tum cognitionem, tum volitionem existentem absolutè; nihilo minùs quàm possit esse tum cognitio tum volitio præsens obiecti tum futuri tum præteriti: addo & cognitio spiritalis, obiecti corporei; & accidentalis, obiecti substantialis. Cognitio enim non imitatur modum obiecti quoad suam existentiam & entitatem, sed tantùm quoad repræsentationem, in quantum non repræsentat nisi quod est, atque adeo quod est futurum vt futurum, quod est præsens vt præsens. Et quemadmodum non est necessarium, vt illud contingens cuius cognitio coëxistit æternitati totaliter & adæquatè, seu potius ipsa per se æterna est, eidem æternitati coëxistat *totaliter* & *adequatè* vt Anonymus fatetur: ita neque necessarium est, vt illud cuius cognitio existit absolutè, habeat etiam ipsum absolutam aut existentiam aut præsentiam. Antichristus v. g. quamuis non coëxistat *totaliter & adequatè* æternitati Dei secundùm realem præsentiam, eius tamen cognitio & consequenter eius obiectiua præsentia ratione talis cognitionis nihilo minùs antiqua est quàm Deus ipse. Similiter etiam quamuis pœnitentia Tyriorum suspensam habeat præsentiam, hoc est existentiam realem ex conditione possibili vocationis & miraculorum: eius tamen cognitio in mente diuina existit absolutè, & consequenter etiam eius obiectiua præsentia ratione talis cognitionis absoluta est & minimè suspensa. Vt enim cognoscit Deus successiua simul, composita simpliciter, multa vnitè, ita & conditionata cognoscit absolutè. Atque ita diluitur prima ex *certissimis* & *manifestis* rationibus. c. 19. n. 11.

V. Secunda nullius est momenti, & in quæstionem de voce desinit. *Scientia conditionata*, inquit, *dicit imperfectionem essentialiter.* Hoc verò negatur. Probat autem inductione. Sed hæc inductio in quibus fiet? Opinor in creatis; Atqui eadem inductione constabit omnem omnino scientiam formam esse accidentariam, ac proinde

Cognitio quæ conditionata est ex obiecto, non dicit imperfectionem.

nullam esse in Deo. Adoremus ergo stipitem, quando scientia omnis imperfecta est & indigna Deo. Sed, inquit, particula, *Si*, est coniunctio, & nota coniunctionis mentalis. Verbum, *est*, numquid etiam est copula & nota compositionis mentalis? Negemus ergo scire Deum quod hac propositione significatur *homo est animal*, ne cognitionem putetur habere compositam, quando propter idem periculum scire negatur *conuertendos Tyrios si vocentur.*

Quis sit sensus propositionis conditionalis?

Eadem, inquit, particula significat illationem mentalem. Sed hoc præcisè negatur; significat enim tantùm concomitantiam duorum enuntiabilium, cum dependentia vnius ex alio vel libera vel necessaria: id quod adeò verum est, vt ne Thomistæ quidem aduersentur, qui præter sensum illatiuum consequentis ex antecedente respondentem hypotheticæ propositioni; distinguunt alium non illatiuum, de quo videri potest Didacus Aluarez d. 7. de auxilijs num. 7.

Et cum instat Anonymus, si nihil aliud intendamus, quàm Deum intelligere id quod nos enuntiamus conditionatè, hoc non esse ponere in Deo scientiam conditionatam, non magis quàm discursiuam ex eo quod, &c. ℞. Nos omnino nihil aliud intendere, quàm Deum suo modo, id est, perfectissimo ac diuino, id ipsum cognoscere, quod nos modo imperfectiore cognoscimus dum dicimus verbi gratia *Tyrios conuertendos si vocentur.* Quod si non placet istiusmodi cognitionem in Deo dici conditionatam, viderit ipse quid vocet eam, modò esse non neget. Noster est tamen sermonis vsus atque possessio; nec est necessarium vt scientia conditionata nomen accipiat ex modo sciendi potius quàm ex obiecto.

Quæ sit obiectiua veritas propositionalis conditionalis.

VI. Tertia, Veritas cognitionis conditionalis est veritas connexionis antecedentis & consequentis: nulla verò Dei cognitio constat antecedente & consequente: ergo nulla potest esse vera illâ veritate. Hæc ratio includebatur in priore, qua ideo negabatur esse in Deo cognitio conditionata, quòd ea sit illatiua. ℞. Nego maiorem,

quòd in ea malè describatur veritas cognitionis conditionalis: quæ non est aliud, quàm eius conformitas cum obiecto suo, hoc est cum obiectiua concomitantia & sequela libera & contingenti effectus liberi ex sua causa. Quam dico etiam respectu Dei vocari posse connexionem antecedentis & consequentis, dummodo hæc nomina de obiectis dicantur, non de cognitione ipsa, & connexio intelligatur esse libera, non necessaria.

Arbitrariũ est præscientiam conditionatorum vel seponere in diuisione scientiæ vt sit tertium membrum, vel ad alterum è duobus reducere.

VII. Quarta conficitur ex varijs interrogationibus. 1. Cur constituamus tertium genus scientiæ potiùs pro futuris conditionatis, quam pro præsentibus aut præteritis? ℞. Concedat nobis Anonymus scire Deum id quod vocamus futurum conditionatum, verbi gratia liberè sequuturam Tyriorum conuersionem ex hypothesi vocationis; postea enim facile permittemus vt huiusmodi scientiam ad illud genus reducat quod ei magis placuerit; si non placet ad tertium ad secundum saltem, sin minus ad primum; Optionem illi damus loculi commodioris. Quod verò addit, Tyriorum conuersionem illam hypotheticam, esse præteritum conditionatum; obiectionem propositam atque interrogationem soluit. Cùm enim constet præscientiam illius conuersionis reduci à nobis ad genus scientiæ mediæ; consequenter non constituimus tertium genus scientiæ pro futuris conditionatis, potiùs quàm pro præteritis. Idem dicerem si protulisset exemplum de præsenti conditionato. Nempe non vocamus tantùm futurum conditionatum illud, quod ita se habet vt occasio & tempus ponendi conditionem ex qua illud sequuturum pronuntiatur, pendere adhuc & futura esse intelligatur; sed illud cuius conditio non intelligitur esse posita, siue tempus illam ponendi præterierit, siue non. Et ita quamuis tempus vocandi Tyrios præterierit, tamen quia non intelligitur posita vocatio, dicimus futuram eorum pœnitentiam ex hypothesi vocationis; liberumque relinquimus vt hoc significetur per verba temporis præteriti, vel præsentis, vel futuri. Hoc modo, si hoc fuisset, fuisset & illud, si hoc ponitur, ponitur & illud, si hoc ponetur & illud quoque, prout aptius Gram-

maticis atque oportunius videbitur.

Scientia conditionata *necessariorum* comprehẽditur sub ſciẽtia ſimplicis intelligentiæ; non ita *liberorum*.

2. Interrogatio eſt. Cur illa ſcientia eſt potius de futuris conditionatis liberis, quàm de neceſſarijs? Facilis eſt reſponſio, quia libera non ſunt neceſſaria, nec neceſſaria libera. Quòd ſi adhuc petit quare non admittatur ſpeciale genus ſcientiæ pro conditionatis neceſſarijs. ℞. Quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ neceſſariò eſt etiam ſcientia futuri conditionati neceſſarij. Cùm ſit impoſſibile, ſciri ſolem eſſe neceſſariò lucentem, & neſciri futuram lucem ſi Sol producatur: vnde fit vt ſcire ſolem poſſe creari, ſit ſcire futuram lucem ex hypotheſi creationis. At verò, quia poſſibile eſt non conſentire Tyrios ſi vocentur: ideo ſcire illos poſſe vocari, non eſt ſcire conſenſuros ex hypotheſi vocationis.

3. Interrogatio, cur illa ſcientia conditionata ſit potiùs ad futura conditionata quæ numquam erunt, vt volunt nonnulli prædictæ ſcientiæ aſſertores, quàm ad ea quæ erunt aut fuerunt? ℞. Si qui ſunt qui tam malè philoſophentur, vt non putent ſcientiam conditionatam prælucere diuinæ voluntati etiam circa illa, quæ deinde aut faciente aut permittente Deo, fiunt de conditionatis abſoluta, & exiſtunt in aliqua differentia temporis, viderint illi quid ſint reſponſuri. Ego ad illam opinionem defendendam, procurationem nec habeo, nec habere volo.

Quare detur medius locus ſciẽtiæ conditionatorum liberorum.

VIII. Quinta ratio eſt, *non eſſe multiplicandam in Deo ſcientiam ſine neceſſitate* quæ hic nulla eſt. Siquidem ſcientia futuri conditionati reducitur ad ſcientiam viſionis; ſi tale futurum cum ſua conditione exiſtit in aliqua temporis differentias & ſi nunquam exiſtit, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. ℞. Vt ſuprà, conueniamus vt dicatur Deus certò ſcire Tyrios verbi gratia ex hypotheſi vocationis & miraculorum conuertendos, & ſic de alijs; & poſtea videbimus ſub quo genere conſtituenda ſit hæc ſcientia. Addo. Si velit Anonymus ſcientiam illam reduci ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, propterea quòd & vocatio & conuerſio Tyriorum nec fuit vnquam, nec eſt, nec erit; impetrare debebit à Theologorum repu-

blica vt aliquid contingens, & cuius contradictorium sciri absolutè possit, pertinere dicatur ad scientiam simplicis intelligentiæ. Nam quòd Tyriorum conuersio, etiam ex hypothesi vocationis, non sit futura possibile est absolutè: vnde fit absolutè loquendo, tam sciri posse non futuram, quàm futuram: & tamen reipsa scitur futura tantùm ex illa hypothesi, & non scitur non futura; quod contingens est. Similiter si velit scientiam conuersionis Sancti Augustini ex hypothesi vocationis quam accepit in horto illo vbi cum Alipio versabatur, pertinere ad scientiam visionis, propterea quòd & talis vocatio, & talis conuersio re ipsa sequutura est, & transijt in existentem absolutè; impetrare debebit, vt sibi dicere liceat ad scientiam visionis reduci posse scientiam rei præscindentis ab absoluta obiecti sui existentia. Præciso enim absoluto Dei decreto de vocando Augustino, & consequenter præcisâ tum vocationis tum conuersionis Augustini absolutâ existentiâ, intelligimus Deum scientem sequuturam Augustini conuersionem ex tali vocatione, non secus ac sequuturam Tyriorum ex alia tali. Nos verò quia nolumus importuni esse Theologis, excludentibus à scientiâ simplicis intelligentiæ contingentia, de quibus aliquid aliud asseritur quam quòd sint possibilia; & à scientiâ visionis, absolutè nusquam existentia, medium locum inuenimus in quo scientiam futuri conditionati poneremus. Addit Anonymus demonstraturum se postea, scientiam visionis rerum omnium causam esse iisque priorem, nos verò demonstrationem illam expectabimus: & simul examinabimus an reuera stare commodè possit creatorum agentium libertas, cum diuinis decretis scientiâ mediâ reiectâ.

IX. Sexta, *falsum est*, inquit, *quod dicunt scientiam illam mediam esse priorem scientiâ visionis, quâ enim prioritate? Non durationis, non causalitatis*, &c. Nolo alias ex alijs quæstiones nectere; nec ad examen vocare totam Anonymi lucubrationem de priori & posteriori. Loquatur vt lubet; concedat nobis aliquam esse in Deo scientiam quæ illius voluntati *præluceat* (concedit autem etiam sub illo

termino cap. 34. num. 6.) aut si displicet τὸ *præluceat*, quæ saltem Deum constituat in ratione agentis liberi completissimè: & quæ præscindat nihilominus ab absoluta & actuali existentia liberi effectus. Esse huiusmodi scientiam in Deo, si concedere nolit, interrogo: an non liberè abstineat Deus ab alio Angelo producendo? Non negabit, opinor. Si verò liberè abstinet, ergo abstinet cum omni cognitione ad hoc necessaria vt velle possit illum creare. Ergo cognitio qua velle potest illum creare, præscindit etiam præcisione reali, à tali creatione: ac proinde etiam à scientiâ visionis talis Angeli quæ foret si Deus illum creare vellet. Iterum interrogo. Si Deus illum creare vellet, quem liberè non creat, perirétne talis scientia? Non vt opinor: inauditum enim est, vt quod ad aliquid requiritur, eius suppositione destruatur. Esset igitur adhuc illa scientia cum voluntate creandi, & consequenter esset cum scientia visionis, à qua iam abstrahit. Iterum ac tertiò interrogo, quomodo ergo se haberet illa scientia ad scientiam visionis? Esset ne prior, an posterior? Et quod respondebit Anonymus, sibi sumat. Ita enim dicimus se habere scientiam mediam ad scientiam visionis, quando idem est vtriusque obiectum, quod de conditionato transit in absolutum, cuiusmodi est verbi gratia conuersio Augustini quæ de conditionatè futurâ facta est futura absolutè; quomodo se habet illa, qua Deus completur vltimò vt liberè possit creare vel non creare Angelum, ad illam qua videt eundem Angelum dum de possibili fit existens; quod attinet ad rationem prioris & posterioris. Et velit nolit Anonymus concedere debet hic reperiri prioritatem in subsistendi consequentia: Item illam quæ saluâ identitate reali concipi potest inter cognitionem diuinam exhibentem obiectum volitioni, & volitionem obiecti ita cogniti. Nam quòd ille ordo, qui reperitur inter operationem intellectus & voluntatis creatæ, reperiatur etiam inter scientiam & voluntatem Dei: quantum patitur realis identitas & simplicitas: & communis sensus sapientum fatetur, & diuinæ processiones confirmant. Quid enim aptius respon-

Scientia futuri conditionati liberi quodammodo prior est ipsâ visione.

deas interroganti, quare Spiritus sanctus non sit secunda persona; quæ cum Patre generet filium ab eo nullatenus spirata; quam quia intellectio est prior volitione aliqua ratione quæ in ipsa earum naturâ fundatur: vnde fit vt quod ex intellectione procedit, principium esse debeat illius quod procedit ex volitione, potius quàm è conuerso, idque ex natura rei?

X. Septima, Neminem nostrûm ita desipere vt hypothetica iudicia simul concipiat cum absolutis de eadem re. Quis enim, inquit, lucentem cernens lunam dixerit, si luceret Luna eam aspicerem; aut breuiarium tenens aut legens, si haberem breuiarium; illud legerem, &c. ℞. Neminem nostrûm ita desipere debere, vt neget idoneos esse hypotheticos syllogismos, in quibus à positione antecedentis proceditur ad positionem consequentis: vt cum dico, si Sol lucet, dies est: Atqui Sol lucet, ergo dies est. Sed in huiusmodi syllogismis necesse est vt concipiantur hypothetica iudicia simul cum absolutis de eadem re, vt patet in hoc exemplo, in quo τὸ, *dies est*, absolutè iudicatur in conclusione, & hypotheticè in maiori propositione: Ergo &c. Exempla quæ proponuntur ab Anonymo; ideo sunt absurda, quia in illis iudicium absolutum & experimentale præsupponitur hypothetico; priùs enim cernitur Luna, & priùs tenetur breuiarium; quo posito absurdum est concipere hypotheticam propositionem, conditionalem illam connexam per particulam *Si*, quia intellectus significatur esse adhuc suspensus circa iudicium absolutum. Non est autem absurdum posito etiam illo experimentali & absoluto iudicio; concipere adhuc iudicium causale quo dicatur, *quia lucet Luna, illam aspicio: &, quia breuiarium habeo, illud lege*. Vnde semper manet iudicium hypotheticum stare cum absoluto de eadem re. Siquidem hæ propositiones causales continentur sub hypotheticis vt constat ex D. Thoma.

An & quomodo stet hypotheticum iudicium cum absoluto de eadem re.

Iam vero quando iudicium hypotheticum, etiam conditionale, præsupponitur absoluto, esse ambo simul in eodem intellectu & circa rem eandem, qui neget; ille

desipiat. Ita enim accidit passim dum vtimur hypothetico syllogismo vt iam dictum est; vtimur autem, aut vti debemus dum deliberatè agimus. Quid enim? An non magnæ sapientiæ est, priusquam aliquid concludas, ita iudicare apud te, *si hoc volo, sequitur illud.* Quòd si tunc voluntas substituat veluti minorem propositionem, *atqui hoc volo.* An non est locus absoluto iudicio quo dicas, *hoc sequitur*? Ita vero se res habet in intellectu diuino, sublatis imperfectionibus. Scit enim Deus independenter ab omni decreto absoluto, *Si moueatur Stephanus ad orandum pro Paulo, pro illo oraturum.* Cui scientiæ decretum adiungit quo statuit Stephanum ad hoc mouere: & sequitur inde visio orationis Stephani: atque aliud decretum, quo intuitu orationis visæ, statuit vocare Paulum.

Et cum dicit Anonymus esse hoc *indignè de Deo sentire*, cauere debet ne cui det occasionem de ipso aliter sentiendi quàm amici cupiant. Nam quod sit aliquid absurdum in ijs quæ ille repræsentat, repræsentantis culpa est, qui colorem idoneum adhibere noluit cùm facilè posset: Nec aliud exigendum ab ipso quàm vt suas illas species emendet; futurum enim statim vt neque de Deo indignè sentiat, neque iudicium conditionatum excludere putet absolutum de eadem re.

Futurum conditionatum quomodo & à merè possibili distinguatur & ab absolutè futuro.

XI. Octaua, Ex futuris conditionatis quæ in medium proferuntur, plurima non esse futura; quod nec ipsa nec eorum conditio aliquando ponenda sint: Item, quia quod est futurum, dicitur futurum respectu alicuius præsentis aut præteriti, Item, erit aliquando præsens aut præteritum, quod non cadit in ista conditionata saltem plurima: esse igitur tantùm possibilia, prout possibile opponitur impossibili actuali. ℞. Plurima ex futuris conditionatis non esse absolutè futura, neque talia, vt dici de illis possit, *erunt*: sed tantùm, *essent* si conditio poneretur. Quid tum? Hoc solùm nobis concedatur de illis verè dici posse, *si hoc esset, & illud quoque:* & contenti sumus. Hoc autem neque Augustinus negat, neque Prosper dum ea vocant futura, quæ non sunt futura. Et cum dicit Anonymus, quod est futurum dici futurum *respectu alicuius præsentis*

præsentis aut præteriti; hoc sensu verum est, quòd nimirum non debeat coexistere præsenti aut præterito, & hoc maximè conuenit conditionatis illis de quibus tantùm dicitur quòd essent ex hypothesi. Quod autem addit futurum dici tantùm quod erit aliquando præsens aut præteritum; concedendum de futuro absoluto; negandum de conditionato, quod ideo tantum futurum dicitur, non quia *erit* aliquando, sed quia *esset* si conditio poneretur. Denique hoc futurum in eo differt à merè possibili, quia ipsius contradictorium est etiam possibile, dicitur autem de ipso aliquid quod non dicitur de contradictorio. Tyrios non conuerti ex hypothesi vocationis est possibile, rectéque dicitur; si vocarentur Tyrij possent non conuerti: Conuersionem autem ipsam non solum dicimus possibilem ex hypothesi, sed omnino futuram. Non, inquam, dicimus tantùm, si vocarentur possent conuerti; sed omnino, conuerterentur. Ergo hæc conuersio non est tantùm possibilis, quod superaddat actualitatem ex hypothesi futuram.

XII. Nona ratio multa complectitur & confundit, bona, maláque. Deus, inquit, non potest scire scientiâ conditionatâ quid sit futurum in his vel illis circumstantijs. Primò propter rationem primo argumento propositam. Quid? ratio quoque proposita secundo & tertio argumento & alijs consequentibus non hoc ipsum concludebat? Ecquid quæso probandum assumpsit hoc toto capite, atque his decem argumentis, quàm *Deum non posse scire scientiâ conditionatâ quid sit futurum in his aut illis circumstantijs?*

Addit secundò rationem aliam, quæ ipsa erit Nona, *quia inquit, scientia conditionata nihil ex se ponit in re, tollitve: nihil affirmat aut negat futurum, subaudi absolutè* Quasi diceret, scientia quæ nihil ponit in re tollit ve: & quæ nihil affirmat aut negat absolutè futurum, non est in Deo: sed conditionata talis est: Ergo. Abutor Lectoris otio si respondeam; Breuiter dico in maiori peti principium. Addo scientiam quæ nihil ponit in re, hoc est in obiecto absolutè, ponere tamen in sciente cognitionem eo di-

gnam: quòd ad illum pertineat non tantum ſcire quid abſolutè ponatur, ſed inſuper ſi poneretur hoc, quid aliud ex eo vel neceſſariò vel contingenter & liberè ſequeretur.

Addit tertio aliam rationem, quæ dici poſſet decima. Quia cùm de omnibus ferè de quibus fiunt propoſitiones abſolutæ, fieri poſſint hypotheticæ, admittenda erit in Deo conditionata de rebus omnibus ſcientia, eáque prior abſolutâ, quod eſt abſurdiſſimum. ℞. Nego eſſe poſſe de rebus omnibus ſcientiam quæ & ſuperaddat aliquid ei cognitioni qua ſciuntur eſſe poſſibiles, eo modo quo paulò ante dictum eſt; & præſcindat ab abſoluta earum exiſtentia: & conſequenter nego dari de omnibus ſcientiam conditionatam, prout illa conuertitur cum ſcientia media.

Dei decretum quomodo includatur in hypotheſi in qua ſcitur aliquid conditionatè ac liberè futurum.

Addit quartò aliam rationem, quæ dici deberet vndecima. Quia Deus non poteſt ſcire quid ſit futurum, niſi ſciat omnes cauſas à quibus illud futurum pendere poteſt: has autem omnes illâ non nouit ſcientiâ, quia ſcilicet decretum ſuæ voluntatis, ſine quo nullus effectus eſſe poteſt, nullum nouit. ℞. Cognoſcere Deum omnes cauſas futuri conditionati, & ſuum quoque decretum illud quod neceſſarium eſt ad huiuſmodi futuritionem. Sed dico ad hoc nullum eſſe neceſſarium decretum exiſtens abſolutè, ſeu quod de facto ſit, ſed tantùm quod eſſe poſſit. Hypotheſis ex qua intelligit Deus aliquid conditionatè futurum, eſt hypotheſis talis voluntatis in talibus circumſtantijs ponendæ & adiuuandæ concurſu neceſſario ad agendum & eius libertati accommodato, quæ hypotheſis includit decretum concurrendi, non vt poſitum actu, neque vt ponendum, ſaltem abſolutè, ſed vt ponibile. Hinc Deus ſequi videt voluntatem operaturam liberè. Et ita concipi debet illa ſcientia, vt dicat Deus, præſcindendo ab omni exiſtentia decreti liberi & à ſcientia viſionis quâ ſuum ipſe decretum intelligit vt exiſtens actu & abſolutè; *Si volo creare illam voluntatem in talibus circumſtantijs, & ſi volo cum ea concurrere quomodo aptum eſt vt eius libertas ſaluetur; liberè illum actum eliciet*: vel *liberè non eliciet*.

Et dum quærit Anonymus quale sit illud decretum, siue illa Dei voluntas quæ tunc intelligitur, absolutáne an conditionata? ℞. Interrogando vicissim qualis sit illa voluntas qua Deus de facto decernit creare voluntatem hominis aut Angeli & suum illi concursum exhibere accommodatè ad eius libertatem? Talis enim intelligitur per scientiam quæ præscindit à scientia visionis, qualis ponitur reipsa, qualisque per ipsammet scientiam visionis intelligitur. Sed est tantùm differentia, quòd per istam intelligatur vt existens actu absolutè; per illam vt possibilis. Quemadmodum enim intelligit Deus se posse velle creare alium Angelum, quem de facto creare non vult, & consequenter intelligit suam illam voluntatem vt possibilem, præscisâ illius actuali & absolutâ existentiâ; ita intelligit se posse velle creare illum quem de facto creare vult, & se posse velle cum eius voluntate concurrere, independenter & præcisè ab actuali & absoluta vtriusque decreti positione: & hoc voco intelligere *vt possibilem*, non quasi concipiatur positiuè illius non existentia; sed quia præcisa est, ad eum modum quo scientia simplicis intelligentiæ qua intelligitur Michaël vt possibilis, præcisa est & ab eiusdem Michaëlis existentia, & à scientia visionis quæ intuetur existentem. Ex hac autem possibilitate tum Angeli, tum decretorum, sequi dico conditionatè, hoc quidem liberè ac contingenter futurum, illud vero liberè ac contingenter non futurum. Et miror quod Anonymus hic misceat refutationem Suaris asserentis in Deo dari scientiam tum conditionatam tum absolutam respectu diuinorum actuum tanquam aliquo modo & impropriè futurorum tum absolutè tum conditionatè: disparata enim est illa controuersia, de qua quidquid statueris parum refert ad huius argumenti solutionem.

XIII. Decima & vltima ratio non impugnat scientiam conditionatam qualis à nobis ponitur, sed aliam quandam imaginariam quâ scilicet sciri dicitur quid factura esset voluntas in his aut illis circunstantijs, si se sola & independenter à Deo ageret. Quare si qui sint qui propo-

nendis soluendisque huiusmodi quæstionibus delectentur, viderint ipsi quid sint responsuri. Hoc tantùm dico eâ parte parum efficaciter impugnari hanc scientiam ab Anonymo., quòd illâ hypothesi admissâ, nempe scire Deum quam in partem esset inclinatura voluntas si ageret se sola in his & illis circunstantijs, contendit eiusmodi scientiam pertinere vel ad scientiam visionis, vel ad scientiam simplicis intelligentiæ. Nam, inquit, datâ illâ hypothesi, vel est aliquid factura voluntas, vel non: si primum, pertinet hoc ad scientiam visionis; si secundum, ad scientiam simplicis intelligentiæ. Hæc verò argumentatio laborat duplici peccato: & quidem manifesto. Primum quòd illud quod supponitur futurum ex hypothesi etiam impossibili, confundat cum eo quod existit absolutè in aliqua temporis differentia: ideóque ad obiectum scientiæ visionis reducat: Secundum, quòd voluntatem non esse aliquid operaturam cognosci putet à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ: fallorque nisi etiam noctes & cæcitates & id genus obiecta sciri à Deo putat eâdem scientiâ. Atqui ego putabam eandem esse contrariorum scientiam; & liberas ac contingentes entium actionumque negationes reduci ad idem genus, ad quod etiam reducitur libera & contingens eorum existentia, quorum negationes sunt, Dionysio præeunte apud S. Thom. cum dicit *Deum per semetipsum tenebrarum accipere visionem.*

Libera rerum non existentia reducitur ad obiectum scientiæ visionis.

Quæst. 14. 1. p. ar. 10.

Atque hæc est summa decem argumentorum quæ contra scientiam mediam comparauit Anonymus, Ipsius iudicio *firmissimorum*. Ita nimirum expediebat sentire illum ac loqui, ne probabilis causa discessionis ab amicorum sententiâ nulla fuisse videretur. Spero autem æquum Lectorem collatis solutionibus facilè iudicaturum, fuisse illam admodum improbabilem; cùm si vel dubia foret hæc controuersia, momentisque librata paribus vtriuslibet opinionis optionem exhiberet Philosophantibus; non potuerit tamen nescire vir eruditus, *in dubijs possessionem stare debuisse pro amicitia.*

CAPVT II.

Impetus Anonymi contra Ludouicum Molinam retunditur.

XIV. POST oppugnatos vniuersim Assertores Scientiæ mediæ, Ludouicum Molinam duello petit Anonymus, monstraturus in illo *quid nouitatis & falsitatis habeat hæc scientia.* Ita vero cum eo agit vt ad amussim exigat omnia, circa verba quoque ac dicendi rationem rixatus: illiberaliùs certè quàm ferant amicorum officia, quos decet sua inter se ita componere, vt neque in æquilibria scrupulosiùs intenti sint: neque minutias sua reuocent ad computa. Quod si nobis quoque placeret illa seueritas in excutiendis Anonymi commentarijs, quis finis? Et quæ pagina non vberem suppeditaret vitilitigandi materiam? Sed non committam vt in ea re vel otio abutar meo, vel de Lectoris humanitate desinam benè mereri. cap. 26. num. 1.

§. I.

Seclusâ scientiâ mediâ difficilem esse liberi arbitrij cum præscientia & Diuinis decretis concordiam.

PRimum ergo Molinæ peccatum est quædam periculi denuntiatio, si qui sine directione scientiæ mediæ diuinam prouidentiam cum libertate arbitrij & rerum contingentia conciliare velit, *Quod periculum*, inquit Anonymus, *Non ego solus non video; sed nec vlli ante eum Doctores Scholastici aut SS. Patres animaduerterunt.* Difficilem esse diuinæ præscientiæ ac prouidentię cum arbitrij

libertate concordiam ; & esse periculum nequis in ea hallucinetur, vt vult Molina, opinor, idem sunt. Neque ego iam contendo illam seu difficultatem seu periculum tolli adhibitâ scientiæ mediæ distinctione: sed quod Doctoribus Scholasticis & Sanctis Patribus, quibus ea fuisse dicitur ab Aduersarijs incognita, proindeque sine illa philosophati sunt, difficilis visa sit diuinæ præscientiæ cum arbitrij libertate conciliatio; adeò est manifestum, vt si quis neget, desiderare nos cogat suam vel diligentiam in voluendis antiquiorum monumentis, vel attentionem in obseruandis, vel in retinendis memoriam.

cap 30.n.5 Ideoque valde miror id quod habet idem Auctor Theo-
„ logos omnes ante recens excogitatam scientiam mediam
„ prædicta omnia (*quæ ad gratiam efficacem pertinent*) com-
„ modè & sufficienter declarasse, *Et illud*, Totam hanc
c 41.n.3. „ certitudinem, concordiam, suauitatem, & efficaciam
„ præscientiæ, prouidentiæ & concursus diuini cum nostra
„ libertate, ab Antiquis & præstantissimis Theologis longè
„ meliùs solidiusque declarari, quàm ab vllis recentioribus.

Nimirum ipse quoque de se non aliter ac de Antiquis sentit, & ideo expositâ illa, quam idoneam credidit,
ib. n. 4. „ huius concordiæ ratione, subdit. Quid contra hæc ab
„ Aduersarijs obijci, aut quid amplius in hac materia ab eis
„ rationabiliter quæri, aut ab alijs responderi possit, non
„ video: hacque responsione Theologi antiqui totam dif-
„ ficultatem exhaustam esse putant, nec aliam communiter
„ tradunt, ac nominatim S. Thomas.

Difficilis semper visa præsciẽtiæ ac prouidentiæ cum libertate concordia.

XV. Erit fortasse postea quod & obijciamus & respondeamus. Interea dico, non satis isti conuenire cum ijs quibus has difficultates quas Molina proposuit fuisse putat incognitas. Patres nominat. Vnus Augustinus sit instar omnium, qui libro secundo de peccatorum meritis &
Cap. 18. „ remissione ita loquitur. Ipsa etiam ratio quæ de ijs rebus
„ à talibus quales sumus iniri potest, quemlibet nostrum
„ quærentem VEHEMENTER ANGVSTAT, ne sic defenda-
„ mus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur,
„ rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, vt superba im-
„ pietate ingrati Dei gratiæ iudicemur. Et vt Augustinus

angustari vehementer se dicit, vbi eum Anonymus ambulare putat in latitudine.

Idem in libro de gratia Christi contra Pelagium & Celestium; Sed quia ista quæstio vbi de arbitrio voluntatis „ & Dei gratia disputatur ita est ad discernendum DIFFICILIS, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari „ Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, „ liberum arbitrium putetur auferri; potest Pelagius ita se „ LATEBRIS OBSCVRITATIS INVOLVERE, vt etiam ijs quæ „ à Sancto Ambrosio conscripta posuimus, consentire se „ dicat, & ea quoque se sentire proclamet, semperque „ sensisse, atque ita singula conetur exponere, vt etiam suæ „ sententiæ conuenire credantur. Hîc etiam Anonymus „ periculum nullum videt vbi Augustinus videt quæstionem *difficilem, obscuram, inuolutam latebris*, in quibus hæretici delitescunt; gratiæ diuinæ scilicet ac liberi arbitrij hostes. Cap. 47.

Idem in libro de gratia & libero arbitrio ad Valentinum & cum illo Monachos: Nuntiatum est mihi vobis, „ Fratres, ab aliquibus qui in vestra congregatione sunt „ & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quod „ de hac re (*de concordia gratiæ cum libero arbitrio*) dissensiones in vobis sunt. Itaque dilectissimi ne vos perturbet „ huius quæstionis OBSCVRITAS moneo vos primùm vt de „ ijs quæ intelligitis agatis Deo gratias. Quidquid est autem „ quo peruenire nondum potest vestræ mentis intentio, „ pacem inter vos & charitatem seruantes A DOMINO „ VT INTELLIGATIS ORATE, &c. Quæstionem hîc quoque obscuram vides, & cuius expositio eruditorum hominum captum superet: neque tam ex humani viribus ingenij, quam ex Dei reuelatione sit expectanda. Inde est illud quod fatetur Andreas Vega (l. 12. de Iustif. cap. 22.) ne Augustinum quidem hunc nodum satis vnquam expedijsse. Et hæc sæpe desideraui, *inquit*, vt Augustinus palam & apertè respondisset obiicientibus ipsi „ quod à prædicatione prædestinationis & gratiæ cessandum esset coram populo, quod ea officeret audientibus, &c. Cap. 1. In c. 9. Ep. ad Rom.

XVI. Sed quia nominat etiam Anonymus Scholasticos Doctores quos putat intrepidos fuisse in eo, quod à Molina confingitur, periculo; audiat Dominicum Soto.
„ Qui sic loquitur: Subsequitur tandem vt de posteriori
„ quæstione Pauli nonnihil explicemus, quam sanè fate-
„ mur Difficilem semper explicatu fuisse. Scilicet cur de
„ peccatoribus conqueritur Deus, quos ipse reprobauit,
„ cùm eius voluntati nemo possit resistere. Est nihilomi-
„ nus responsio, quòd neque prædestinatio neque repro-
„ batio quidquam nobis adimit libertatis, aliàs nulla esse
„ posset ratiò aut meriti aut culpæ. At verò hinc nobis
„ OFFVNDVNTVR DVBITATIONIS TENEBRÆ,
„ nempe quod cum Dei nec scientia falli possit, nec vo-
„ luntas mutari; iamque Deus ab æterno non modo præ-
„ sciuerit verùm certo proposito constituerit, quidnam
„ cuique sit obuenturum, in cassum abire videntur nostri
„ conatus; quoniam nulla nobis videtur superesse libertas,
„ atque adeo frustranea sunt præcepta monitaque Dei,
„ consilia prudentiæ nostræ. Diffiteri profectò non possu-
„ mus, quin ANGVSTIÆ INGENII NOSTRI ÆGRE
„ HOC CAPIANT: haud tamen ideo vel omniscientiam
„ Dei, vel eius æternam voluntatem negare debemus, vel
„ quam experimur libertatem nostram per totam sacram
„ scripturam explicatissimè assertam. At si aliud in re diffi-
„ cili præstare non valemus, facile est ostendere quod ea-
„ dem difficultas quoscumque premat, quomodocumque
„ sentientes de prædestinatione ac reprobatione. Vide Lector, quàm sit verum, nullum ante Molinam periculum sensisse in ea soluenda quæstione, quam Dominicus Soto, qui Molina superior est, & explicatu difficilem fuisse omni tempore testatur, & suum quoque ingenium in *angustias* redigere.

In c. 9. ad Rom. Audiat & Caietanum Soto etiam antiquiorem, cuius
„ sunt verba illa quæ citauimus antea. Et cū obijcis, coniun-
„ ge hæc verba simul (*nempe, electionem Dei esse infallibiliter*
„ *effectum habituram, & quemlibet nostrum esse liberi arbitrij*)
„ Respondeo me scire quòd verum vero non est contra-
„ rium, sed nescire hæc iungere, sicut nescio mysterium Trinitatis,

Trinitatis; ſicut neſcio animam immortalem; ſicut neſcio verbum caro factum eſt, & ſimilia quæ tamen omnia credo. Idem ad argumentum illud tritum quomodo diuina prouidentia, quæ æterna eſt & præexiſtit effectui libero ineuitabiliter ex ea ſequuturo, libertatem eius non deſtruat, ita loquitur. In reſponſione ad primum dubitatio occurrit valde ardua, & fortè ab humano intellectu inſolubilis. Ad cuius euidentiam, vt melius percipiatur in quo conſiſtit dubitatio. aduertendum eſt &c. ac deinde propoſitâ tum dubitatione illâ, tum eâ quam dare potuit ſolutione, ſubijcit. Verum ſaluare prædictam infallibilitatem cum indifferentia ſeu libertate executionis ſeu euentus, hoc opus hic labor eſt. Si enim infallibile eſt, &c. *Difficultatem iterum aperit & ſubdit.* Ad hanc dubitationem nihil ſcriptum reperi in S. Thoma. Quoniam eum nullibi hanc mouiſſe recolo. Sed ſemper ſtuduit ad ſaluandam contingentiam. In alijs quoque Doctoribus nihil hactenus comperi ad quæſtionem iſtam, niſi quæ communiter dicuntur de ſenſu compoſito & diuiſo: de neceſſitate conſequentiæ & conſequentis: de libertate electionis diuinæ in æternitate: deque natura cauſarum ad vtrumlibet in vniuerſo inuentarum. Sed hæc omnia vt ex dictis patet intellectum non quietant. *Recenſitiſque ac reiectis variis dicendi modis.* Oportet igitur, *inquit*, ſi quæſtionis huius veritas quietare debet intellectum noſtrum; alterum duorum dicere: aut quòd eſſe prouiſum non ſequatur ineuitabilitas: aut quòd ineuitabilitas euentus prouiſi non deroget euitabilitati eorumdem euentuum. Et hoc ſecundum quidem propter rationem ſupra adductam, nec capio quomodo poſſit verificari. Liquet enim quod non niſi ſecundùm quid euitabilitas ſaluari apparet. Primum autem quamuis communiter à Doctoribus adſtruitur, dicentibus quòd eſſe prouiſum ſeu volitum, ſeu prædeſtinatum (pro eodem enim quoad hanc difficultatem omnia accipio) non ſequitur ineuitabilitas: ego tamen non vt opponam me contra torrentem, nec aſſerendo, ſed ſtante ſemper captiuitate intellectus in obſequium Chriſti; ſuſpicor quod quemadmo-

1. p. q. 22 ad ar. 4.

S. Thomas ex Caietano nuſquã explicuit rationẽ conciliandæ libertatis cum prouidentiã eius cõcordiæ Aſſertor magis quam Explanator. Idem & de cæteris ſentiendum

dum esse prouisum, &c. Vno verbo, ex eo quod est esse prouisum suspicatur non sequi euitabilitatem, neque ineuitabilitatem euentus prouisi; sed altius quippiam atque
» eminentius. Et subdit. Et si sic est, quiescit intellectus,
» non euidentiâ veritatis inspectæ, sed altitudine inacces-
» sibili veritatis occultæ. Et hoc ingeniolo meo satis ra-
» tionabile videtur, tum propter rationem prædictam;
» tum quoniam, vt ait Gregorius, minus de Deo sentit qui
» hoc tantùm de eo credit, quod suo ingenio metiri po-
» test. Nec propterea negandum aliquid eorum, quæ ad
» diuinam immutabilitatem, actualitatem, certitudinem
» atque vniuersalitatem & similia spectare scimus, aut ex
» fide tenemus, suspicor. Sed aliquid occultum latere, vel
» ex parte ordinis qui est inter Deum & euentum proui-
» sum: vel ex glutino inter ipsum euentum & esse proui-
» sum, arbitror. Et sic intellectum animæ nostræ, oculum
» Noctuæ esse considerans, in ignorantia sola quietem il-
» lius inuenio. Melius est enim tam fidei Catholicæ quàm
» philosophiæ, fateri cæcitatem nostram, quàm asserere
» tanquam euidentia quæ intellectum non quietant: Eui-
» dentia namque quietatiua est. *Et tandem* Optimum au-
» tem atque salubre consilium est in hac re, inchoare ab his
» quæ certò scimus, & experimur in nobis, scilicet quòd
» omnia quæ sub libero arbitrio nostro continentur, euita-
» tabilia à nobis sunt; & propterea digni sumus pœnâ vel
» præmio. Quomodo autem hoc saluo diuina saluetur pro-
» uidentia, ac prædestinatio, &c. Credere quod Sancta Ma-
» ter Ecclesia credit. Scriptum est enim altiora te ne quæsie-
» ris: plurima enim sunt sibi supra sensus hominum reuela-
» ta: & hoc est vnum ex illis. Vide, Lector, qua fide sit dictum ab Anonymo *Nullum* ex Theologis Molinâ prioribus *periculum aduertisse* in concilianda cum libertate Dei præscientia: omnes huiusmodi quæstionem *commodè ac sufficienter declarasse*: nec videre se *quid rationabiliter amplius quæri ab Aduersarijs, quid obijci, quid responderi possit*. Fruitur ipse nimirum luce quadam cæterorum oculis inuisibili, estque illis adeò propitius, vt aquilas esse contendat, vbi se illi *noctuas* dicunt; perspicaciâ valere plurimum,

vbi suam *cæcitatem* fatentur: soluere *sufficienter*, quod *insolubile* putant: *declarare commodè*, *inaccessibilem veritatem & in cuius sola ignorantia quies* inuenitur: *Exhaustam esse totam difficultatem* tum à cæteris tum *nominatim à S. Thoma* cum ea quæ magis vrget ne *mota* quidem ab illo *vsquam* sit, eius testimonio qui omnium diligentissimè versauit scripta S. Doctoris, ab alijs verò ita sit soluta, vt quæcumque illi dicunt *intellectum non quietent.*

XVII. Denique audiat Thomistas recentiores, & quamuis Molinâ posteriores, priorum tamen sensa referentes simul & approbantes. Didacus Aluares disputationem 118. inscribit, *Vtrum concordia liberi arbitrij cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ possit naturali ratione demonstrari:* allatâque tertia sententiâ quæ sic habet: Tertia sententia fatetur arbitrij nostri libertatem posse quidem solo lumine naturæ euidenter cognosci & demonstrari, qualiter autem actualis vsus illius stet cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ, atque cum efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ, non posse perfectè solo lumine naturæ cognosci aut comprehendi: & ideo rationem huius concordiæ CREDENDAM ESSE ET CAPTIVANDVM INTELLECTVM IN OBSEQVIVM FIDEI, *& subijcit* hanc sententiam Veram esse censeo & ad mentem. S. Augustini S. & Thomæ, &c. disp. 118. de Auxiliis Num. 5. Num. 6.

Dominicus Bannez fidem etiam hîc imperat? Si quis non intelligit quomodo vsus liberi arbitrij sit liber & nihilominus sit effectus iam prædefinitus à diuina prouidentia, oportet eum credere. Idem cum retulisset eorum obiectiones qui dicunt se non posse intelligere quomodo gratia ex prædefinitione efficax, stet cum libertate: Ad hanc ego obiectionem responsurus, *inquit*, nequeo satis mirari huiusmodi Theologorum ignorantiam, ne dicam temeritatem. Nam primum omnium debuissent credere quod aiunt se non posse intelligere. Credimus Mysterium Trinitatis, etiamsi non intelligamus. 1 p. qu. 23 ar. 5. 22 q. 10. ar. 1.

Ex his liquido constat, non Molinam tantùm, sed alios quoque Doctores nonnullum in eo periculum agnouisse,

in quo nihil superesse difficultatis Anonymo videtur. Et vbi erat lux illa quæ affulsit huic Doctori, quando vltimis Augustini temporibus Africana primum Ecclesia, mox Gallicana concussa est, non satis comprehensâ illius de prædestinatione sententiâ? Vbi aliquot deinde sæculis, dum Galliâ iterum Germaniâque à Godescalco turbatis, Remensem Ecclesiam cæterasque Galliæ Belgicæ vna ex parte, ex alia verò Lugdunensem cum Viennensi atque Arelatensi mutua suspicio sic disiunxit, vt diu fuerit laborandum ne cui ex illis prædestinatio esset in interitum? Vbi cùm Vviclefus negotium facessiuit Catholicis doctoribus necessitatem quam ille diuinâ ex præscientiâ prouidentiâque deriuabat in humanos actus impugnantibus? Vbi cùm Lutherus Caluinusque in eundem lapidem impegerunt? Et cùm vix possit alius scopulus reperiri Philosophorum Hæreticorumque naufragio magis infamis, quam illa diuinæ præscientiæ, prouidentiæque cum humana libertate connexio; Molina quia vidit aliquod in ea esse periculum, hoc vidit quod nemo ante eum viderat?

lib. 2. in Ep. ad Rom. p. 130. Quanto rectius Cardinalis Sadoletus, dum monet » Magnum concursum acerrimarum disputationum exci- » tare, magnumque mare commouere, quicumque hanc » DIFFICILLIMAM OMNIVM QVÆSTIONEM, & si ve- » rum fateri volumus, pœnè inexplicabilem, tractari » postulant.

§. II.

De Diuisione diuinæ scientiæ, & quem in ea locum inueniat scientia media.

cap 26. n. 3. non futurum formaliter sumptum pertinet ad obiectum

XVIII. Aliud est Molinæ peccatum ex Anonymo, quod sub nomine scientiæ liberæ *duas inuoluat simulque confundat Dei scientias*, dum Deum illâ scientiâ cognoscere dicit eas ex complexionibus contingentibus quæ reipsa sunt futuræ, *quod pertinet*, inquit

Anonymus, *ad scientiam visionis*, & eas quæ non sunt futuræ, *quod est proprium scientiæ simplicis intelligentiæ*. Sed nemo est qui non facilè videat hoc peccatum rectius esse quam sit ipsa eius censurâ; quæ præter rationem ac præter exemplum, cùm hoc quod est *aliquid esse futurum* obijciat scientiæ visionis, hoc quod est, *esse non futurum*, obijcit scientiæ simplicis intelligentiæ. Suppono enim quod manifestum est, *non futurum* ita sumi à Molina quomodo *futurum*, nempe *formaliter & reduplicatiuè*, vt loquuntur: & sensum illius esse, de re quam Deus scit esse possibilem per scientiam simplicis intelligentiæ, scire insuper *esse futuram*, vel *esse non futuram* per scientiam liberam, quæ illi eadem est cum scientia visionis. Hoc autem & verissimum est, & ex vsu ac sensu Scholasticorum; qui toties non futurum ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinere putant, accipiunt illud materialiter, & specificatiuè, pro re quæ non futura est, & quæ sepositâ futuritione intelligitur tamen vt possibilis. Neque negare potest Anonymus, quin scire quòd aliquid *non sit futurum*, pertineat propriè ad scientiam liberam, liberè enim *non futurum est*. Quod si nihilominus contendit eam scientiam esse scientiam simplicis intelligentiæ; quod accusat, ipse potius committit: *duasque inuoluit simulque confundit Dei scientias*.

scientiæ visionis.

Vide Ruiz fol. 144.

Sèd addit non probari etiam quod ait Molina, per secundam illam scientiam, videlicet liberam, Deum cognoscere res absolutè tantùm & absque vlla hypothesi & conditione, Quasi verò, *inquit*, quæ absolutè futura sunt, „ non sint etiam ex hypothesi & conditione aliqua futura, „ & quæ item sunt non futura defectu & absentiâ alicuius „ causæ & conditionis non sint non futura. Quasi verò, inquam, Molina etiam neget futura ex hypothesi quæ sunt absolutè futura. Sed ex hypothesi futura sunt independenter ab actuali & absoluto decreto, quo Deus statuit hypothesin ponere: absolutè verò sunt futura dependenter à tali decreto. Vnde & independer ab illo decreto actu posito sciuntur scientiâ mediâ & conditionata: dependenter verò, scientiâ simpliciter liberâ, quæ & scien-

tia visionis dicitur. Neque videt iste Auctor tali quodam *quasi verò*, impugnari posse distinctionem scientiæ possibilium, à scientia futurorum: cum nemo non possit dicere *quasi verò* ea quæ futura sunt, non sint etiam possibilia, & ideo distinguenda sit ea scientia, qua vt possibilia sciuntur, ab ea qua sciuntur vt futura.

Ib. num 4. Ib. num 4.

Dei scientia extrinsecè inæqualis in attingendis futuris conditionatè, potissimum eminet.

XIX. Tertiò ferre non potest Anonymus quod dicit Molina Deum ex *altissima & inscrutabili comprehensione cuiusque liberi* arbitrij, *intueri per scientiam mediam &c. Perinde ac si in verbis illis*, inquit Anonymus, *lateat aliquid singulare & excellens quod non sit in alijs Dei scientijs, &c.* Sed est ista nimia quædam & delicata seueritas, qua si quis vti velit, & sancti Patres ferulæ subijciendi sint: & ne ipse quidem euasurus sit qui talia objicit. Inæqualitas effectuum meritò facit vt inæqualia potentiæ diuinæ tribuantur epitheta, maiorque illa quodammodo censeatur in Angelo producendo, quàm in musca. Inæqualitas obiectorum in ratione cognoscibilis, quidni quoque obtineat à nobis, vt diuinus intellectus inæqualiter & apprehendatur & laudetur? Et sicut est difficilior secretorum cordis aspectus, quàm vultus ipsius; quidni excellentiæ maioris esse dicatur illa scientia quâ Deus scrutatur hominum corda, quàm illa quâ eorum vultus dignoscit? Item cùm sit difficilius ea quæ sunt nobis futura cognoscere, quàm quæ præsentia; quid peccat qui præstare dicit eam scientiam qua scit Deus quæ nobis futura sunt, illi quâ scit ea quæ sunt præsentia? Præsertim cùm illa captum superet ipsorum etiam Angelorum, non verò hæc? Denique cùm illa quæ nec sunt, nec erunt, sed essent si aliqua conditio poneretur, videantur esse difficiliora cognitu, quàm quæ sunt absolutè futura, quippe quæ sunt præsentia in aliqua temporis differentia; consteque hoc vel ex ipsa confessione Aduersariorum, dum ea negant posse cognosci à Deo, vel omnino, vel saltem antè decretum suum; is qui huic etiam obicem submouet diuinæ scientiæ, asseritque intellectus diuini radios ad hæc quoque obiecta pertingere, poëticè loquatur si dicat pertinere hoc ad *altissimam & inscrutabilem liberi arbitrij comprehensionem*? Nihil

igitur ea quidem ex parte Molina deliquit: sed est aliud quod Anonymus non obseruauit, quod tamen à cæteris & quidem meritò reprehenditur. Nempe quòd putet ipsam liberi arbitrij comprehensionem esse Deo rationem intelligendi futura; quòd constet comprehensionem causæ non habentis ex se determinatam cum altero ex oppositis connexionem, non posse esse rationem intelligendi vnum ex illis vt determinatè futurum; nec prodesse quidquam quòd perfectè comprehendatur, cùm, quò magis comprehenditur, eò magis intelligatur illa non connexio cum vno determinato, sed indifferenter cum alterutro.

Num. 5.

Videre, intueri latiùs aliquando vsurpata intelligi de scientia simplicis intelligentiæ.

XX. Nam quod etiam reprehendit Anonymus, Molinam scilicet æquiuocè vsum verbo *intuitus*, vt & alibi verbis, *videre*, præuidere, cernere, contemplari, *quæ* inquit, *in hac* materia à Theologis scientiam visionis & initiuam à scientia simplicis intelligentiæ distinguentibus sumuntur strictiùs, solique scientiæ visionis per accommodationem tribuuntur; hoc, inquam, peccatum consentio vt non impunè illi sit, nisi habet idoneos eius Auctores, S. Aug. videlicet & S. Thomam, atque alios non vltimæ notæ Scholasticos. S. Aug. dum exponit illud quod factum est in ipso vita erat. In qua vita, inquit, vidit omnia quando fecit & sicut vidit ea ita fecit, non præter seipsum videns sed in seipso *Item.* Neque enim ea faceret, nisi nosset antequam faceret, nec nosset nisi videret, nec videret nisi haberet quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus. Quo loco perspicuum est Augustinum loqui de scientia rerum productarum, non vt existentium in aliqua temporis differentia, sed vt possibilium; hoc est de scientia simplicis intelligentiæ: tum quia loquitur de scientia quæ non dependet à decreto faciendi, sed illud potiùs dirigit; tum quia de illa etiam loquitur cuius formalis & obiectiua ratio cognoscendi est ipse Deus, siue ipsa Dei vita. Deus autem & Dei vita, cùm non habeat necessariam cum existentia rerum connexionem vt habet cum earum possibilitate, non potest esse ratio illas sciendi tanquam existentes, sed tantùm vt possibiles. Vti-

l. 5. de gen. ad lit. c. 15. & 16.

tur ergo Augustinus *videndi* verbo in exprimenda possibilium cognitione.

„ S. Thomas apertiùs etiam loquitur. Patet igitur quòd „ apud artificem potest esse cognitio alicuius artificiati, „ quandoque quidem quod facere disponit, quandoque „ vero quod facere nunquam disponit, vt cum confingit „ aliquam formam artificiati vel artificij, quod facere non „ intendit, hoc autem artificiatum quod facere nunquam „ disponit, non semper INTVETVR vt in potentia existens: „ quia quandoque excogitat tale artificium ad quod conficiendum vires ei non suppetunt, sed considerat illud in „ fine suo, prout scilicet VIDET quòd posset ad talem finem per tale artificium deuenire, &c. *Pergit*, Patet ergo „ quòd Deus potest cognitionem habere aliquorum non „ entium, & horum quidem habet quasi practicam cognitionem, scilicet quæ sunt vel fuerunt vel erunt, quæ ex „ eius scientia secundum eius dispositionem prodeunt: „ quorundam vero quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, „ quæ scilicet, nunquam facere disposuit, habet quidem „ speculatiuam cognitionem: & quamuis possit dici quod „ INTVETVR ea in sua potentia, quia nihil est quod ipse non „ possit, tamen accommodatius dicitur quod INTVETVR „ ea in sua bonitate quæ est finis omnium quæ ab eo fiunt „ secundum scilicet quod INTVETVR multos alios modos „ esse communicationis propriæ bonitatis quàm sit communicata rebus existentibus En vt etiam D. Thomas verbis *videndi* & *intuendi* designat cognitionem possibilium.

in cap. 9. Ep. ad Rom. Addi potest Dominicus Soto cuius hæc sunt verba. At „ quia diximus præuisas illi fuisse creaturas, non solum intelligimus visas antequam sint; sed visas etiam antequam „ ordinentur in suos fines, visione autem simplicis intelligentiæ vt cap. superiore exponebamus, &c. Facilè erat talia quædam plura notare apud alios Auctores; sed quis credidisset necessariam esse obseruationem hanc ad absoluendum Molinam?

Ibid. Quartò quod obijcit præterea num. 6. repetitio quædam est Argumenti iam propositî ac diluti cap. superiori.

XXI.

XXI. Quintò, Illa conditio, *inquit*, illud, si, illeque „
ordo ex infinitis; vel est actu ponendus in rerum natura „
vel non est: vel est tantum possibilis possibilitate præci- „
sionis: si primum, eius cognitio ad scientiam visionis: si „
secundum ad scientiam simplicis intelligentiæ: si tertium „
ad scientiam naturalem & præcisionis spectat. ℞. 1. esse „
hanc quandam etiam repetitionem argumenti propositi & soluti, & Anonymum inani labore consumi, dum reducendam contendit scientiam futuri conditionati ad aliquam ex alijs. Concedat nobis esse talem scientiam, & vbi volet deinde collocet. Facile enim erit locum ei meliorem inuenire, si non placeat quem ille assignauerit. 2. ℞. Vt valere possit hoc argumentum, expectari debere vt Theologis placeat distinctio triplicis scientiæ quam Anonymus confinxit, cùm duæ tantùm ab ijs distingui soleant *visionis*, & *simplicis intelligentiæ*, quibus ipse superaddit *naturalem* quam vocat *præcisionis*: neque tamen pati vult vt Molina superaddat scientiam *mediam*, quasi verò ius illi sit nequis audeat, quod licere sibi putauit. ℞. 3. Non esse bonam illam disiunctionem maioris propositionis, quòd non sit in membra opposita. Illa inquam *conditio*, illud *si*, ille ordo & est ponendus actu in rerum natura, & non est ponendus. Illud *si in Tyro & Sidone*, non est ponendum actu in rerum natura. Illud *si exaltatus fuero à terra*, est ponendum: quid tum postea? Si est ponendum, inquit, eius cognitio pertinet ad scientiam visionis. Eius cognitio vt dependens ab absoluto & actuali decreto ponendi tale *si*; concedo: vt independens à tali decreto & mansura in Deo quamuis decretum contrarium conciperetur; nego. Et cum dicit, si non est ponendum pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, iterum distinguo. Si illud *si* seu conditio sumatur simul cum eo quod ex illa sequuturum affirmatur, v. g. prædicatio & miracula Tyrijs proposita vnà cum eorum pœnitentia, nego. Quia illud non est tantùm possibile, sicut eius contradictorium: sed est insuper futurum, quod eius contradictorio non conuenit. Si vero sumatur illud *si* seu illa conditio sola & seorsum ab eo quod ex illa sequutu- Contradictorium

non debet esse tantùm *consequentiæ & illationis*. Esset enim Molina per quàm absurdus, si diceret, præscientiam actus qui debet esse liber, ideo non impedire illius libertatem, quia cum eo connectitur necessariò; ita vt ex eo quòd actus sit, necessaria sit consequentia & illatio qua colligatur præscientiam præcessisse, aut reciprocè ex eo quòd præscientia præcesserit, necessaria sit consequentia & illatio qua colligatur actum esse. Nempe hoc quoque maximè verum esset, quamuis supponeremus præscientiâ libertatem destrui. Tunc enim & ex positione actus inferretur præscientia, & ex positione præscientiæ, inferretur actus. Non igitur hoc tantùm intendit tum Molina tum alij per illud *quia* & per illud *ideo*. Et confirmatur, quia ita sumunt illud *ideo* & illud *quia*, vt non sit reciprocum. Dicunt enim præscientiam non impedire libertatem actus præsciti, quòd hæc sit vera, *ideo præsciri actum quia est futurus*, non verò ista, *ideo esse futurum quia præscitus est*: Atqui si designarent tantùm consequentiam & illationem, illud *ideo* & illud *quia* esset reciprocum. Quia tam necessariò sequitur *futurum actum si est præscitus*, quam, *esse præscitum si futurus est*: non ergo designant tantùm consequentiam & illationem præscientiæ ex actu, sed insuper quendam modum causalitatis in actu futuro respectu præscientiæ, quo fiat vt ista vera sit in sensu causali *liberum actum ideo præsciri tanquam futurum, quia ille re vera futurus est*. Non vero ista, *Ideo esse futurum quia præscitus est tanquam futurus*. Ita enim idonea redditur ratio eaque manifesta, quare præscientia non destruat libertatem actus. Nempe quia cùm ipsa sit ex actu consequens, fit vt & necessitas actus, si quæ inde colligitur, sit necessitas consequens ex eodem actu, & necessitas quam ipse causet: quam constat non esse contrariam libertati. Est igitur illud *ideo* & illud *quia*, non tantùm *consequentiæ & illationis*, sed etiam, *rei*, vt loquamur cum Anonymo.

Scire futura quia futura sunt, non è conuerso.

XXIII. Sed quia timet ne propositio illa, *Deus ideo præscit actum futurum quia futurus est*, in sensu causali sit iniuriosa Deo: addendum est, per illam nequaquam designari veram & propriam causalitatem, qualis est causæ

Nihil imperfectionis importari Deo per huius-

modi sensum causalem. phisicè influentis, sed impropriam tantùm, qualis est rationis obiectiuè mouentis aut terminantis, quæ supponit intelligendi virtutem perfectissimè completam, ac nihil aliud requirentem quàm vt ponatur obiectum intelligibile. Hôc enim tantùm posito ipsa se ipsâ solâ ac sine rei cuiusquam adminiculo illud intelligit. Sicut autem ex eo quòd desit obiectum, nihil tollitur de infinitate potentiæ intellectiuæ quæ in eo tantùm consistit, quòd sit intellectiua eius omnis quod est intelligibile: ita & quòd obiectum ponatur, nihil illi perfectionis accrescit, quòd per se ipsa illius expressiua sit; neque aliud requiratur ex parte ipsius, quàm vt non repugnet ipsum intelligi: sicuti potentia effectiua Dei ex parte sui effectus requirit vt non repugnet ipsum produci. Cum igitur agens liberum creatum sit causa cur ponatur obiectum, potest etiam dici causa cur illud percipiatur ab eo intellectu quem nihil latere potest eorum quæ sunt: & obiectum ipsum esse ac præsentare se illâ suâ qualicumque existentiâ videndum, est etiam obiectiua ratio cur videatur, quod sufficit ad sensum causalem propositionis, qua dicitur Deus aliquid ideo præscire futurum absolutè, quia illud futurum est; seu quia erit: vel futurum conditionatè, quia esset si poneretur conditio.

Et nimirum hoc est semper habendum præ oculis, sicut non pertinet ad perfectionem potentiæ effectiuæ quâ talis, vt ipsa suum opus intelligat, sed tantùm vt faciat si est factibile: ita non pertinere ad rationem potentiæ intellectiuæ vt talis est, vt ipsa sibi obiectum faciat, sed tantùm vt vndecumque ac quomodocumque factum positumque, atque ita iam intelligibile, intelligat? & si spectare dicatur ad diuinam perfectionem, vt obiectum suum non intelligat modò, sed etiam causet; (quod tamen non videbitur necessarium cogitanti Deum intelligere negationes, priuationes, rerum repugnantias & impossibilitates quas ipse non causat) sed si esset necessarium vt causaret quod intelligit: illud *causare* referendum esset potiùs ad omnipotentiam & vim effectiuam, quàm ad intellectiuam. Ac proinde si quid esset timendum ex illa causali

Deus ideo præscit futurum actum quia futurus est, timendum esset omnipotentiæ potiùs, quàm scientiæ Dei. Re autem verâ nihil est timendum, nisi si cui consuetum est vmbras timere.

XXIV. Is verò poterit reddi securus præsidio SS. Patrum, qui cùm idipsum sæpe dicant quod Molina, Deum scilicet ideo præscire futura quia futura sunt, non è conuerso; & in eundem finem ita loquantur; nempe vt ostendant nullam ex Dei præscientiâ sequi necessitatem quæ libertati creatorum agentium præiudicet; fieri non potest vt alio sensu loquuti sint, quàm causali; nisi velimus eos impellere in absurditatem à qua iam liberauimus Molinam. Quin & addo sensum hunc apud Patres non tam conijciendum aut inferendum esse, quam legendum. Origenes enim disertis verbis dicit Prædictorem non esse » CAVSAM futuri, sed futurum cum sit futurum, etiamsi » non præcognosceretur, præcognitori CAVSAM dedisse » prædicendi. Athanasius de cruce & passione Domini, Prophetas non fuisse Iudæis auctores eorum quæ in Christum admiserunt, *Quin potius ipsos* IN CAVSA *fuisse vt talia de ipsis Prophetæ prædiuinarent.* Quomodo autem Iudæi Prophetis præbuerint causam prædicendi, nisi quia præbuere Deo causam præsciendi quæ ille Prophetis prædicenda reuelauit? Eusebius ex Origene cum retulisset *præcognitionem non esse futurorum causam*, addit *Dicam etiamsi absurdum multis forsan, videatur, id quod futurum est* CAVSA EST *vt Deus euenturum illud præuideat.* Epiphanius, Non quia prædixit scriptura Iudæi crucifixerunt & Iudas prodidit: sed quia traditurus erat Iudas & Iudæi Crucifixuri; *ea de* CAVSA, scriptura prædixit. Cyrillus, *Non ergo vt adimpleatur scriptura: nec ista de* CAVSA *facta sunt à quibusdam quæ scriptura prædixit, sed contra*, &c. Damascenus. *Vis Dei præsciens à nobis* CAVSAM *haudquaquam habet: at verò vt ea quæ facturi sumus præsciat*, A NOBIS PROFICISCITVR. Idem. *Prænotionis diuinæ* CAVSA *hæc est quod ita futurum erat.* Beda to. 8. lib. variar. quæst. *Quid ergo*, inquit, *coëgit nos Deus vt mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potius* NOS COEGIMVS EVM *vt nos malos videret.*

Patres eodem sensu loquutos.

l. 2. con. Celsum.

lib. 6. c. 9.

lib. 1 hæresi 38. con. Caianos.

lib. 9. in Ioan c. 10.

contra Manich.

quæst. 13

Cap. 22. num. 15. Quibus subnectendus est Ammonius, qui peripateticas cogitationes temperare potuit Christianis sensibus: cuius
» hæc sunt verba quæ refert Anonymus. Non esse cogi-
» tandum ideo necessarium exitum habere quæ dicuntur
» contingentia, quod à diis definitè cognoscantur. Neque
» enim quod ea cognoscant dij, propterea necessariò eue-
» nire; sed quoniam contingentem habentia naturam, &
» ancipitem finem omnino talem aut talem habitura sunt,
» hoc necessarium esse, vt dij nouerint quo modo sint euentura. Vbi vides scientiam Diuinam illam, qua videt futurum contingens, ex eo quòd illud futurum sit, habere existendi necessitatem; non è conuerso: quod esse non potest nisi obiectum aliquam habeat rationem causæ respectu scientiæ.

Ex his ergo satis liquet stare non posse quod dicit Anonymus, non esse causales illas. PP. propositiones, sed significari tantum consequentiam & illationem præscientiæ ex futuro contingenti. Ipsi enim apertè dicunt esse causales.

XXV. Sed ait, ipsum nomen *causæ* aliasque particulas causales, *ideo*, *idcirco*, *quia*, & similes non adeo premendas esse & rigidè sumendas: neque nos ausuros ita rigidè sumere ac dicere res futuras esse causas scientiæ diuinæ: Patrum auctoritate, naturali ratione, ac fide diuinâ certum esse, Deum scientiâ sua & præscientiâ verè esse causam rerum omnium.

Nos verò particulas illas in tantùm premimus, in quantum necessarium est vt iniustam à Molina oppressionem depellamus, dum id in eo reprehenditur quod à SS. PP. accepit. Temperamus etiam illum sermonem: neque *rigidè* sumimus nomen causæ, quando realem omnem influxum negamus, dicimusque futurum non alia ratione causam esse præscientiæ, quàm quia virtuti ad cognoscendum completissimæ exhibet quod cognoscat. At ipse quod temperamentum adhibet ad particulas illas?

Interpretatio Anonymi reijcitur & ostenditur Patres Exponendæ, inquit, sunt *de causa consequentiæ & illationis non de causa rei*. Quasi diceret, rem esse futuram, causam esse cur inferamus esse præscitam. Sed 1. non videt

Patrum sententiam duas habere partes, quarum ipse vnam ita interpretatur, vt aliam destruat? Scientia, inquiunt Patres, qua Deus scit contingens aliquod esse futurum, non est causa cur illud futurum sit. Et, Contingens aliquod esse futurum, est causa cur Deus hoc sciat. Hoc secundum ita exponit Anonymus, Esse aliquid futurum, est nobis causa inferendi quod hoc Deus sciat. Benè habet. At, Deum hoc scire, numquid etiam nobis est causa inferendi esse futurum? Quare igitur negat Patres, Deum scire aliquid esse futurum, causam esse cur illud futurum sit? 2. Constat ex dictis SS. Patres id ipsum dicere de Prophetia & prædictione quod de præscientia. Videat ergo num benè quadret ista sententia, Contingens aliquod esse futurum, est nobis causa inferendi, esse igitur prædictum: &, Contingens aliquod esse prædictum, non est nobis causa inferendi esse futurum. 3. Interpretationem illam applicet ad Institutum SS. PP. qui exinde colligunt, scientiam qua Deus scit aliquid esse futurum, non obesse libertati, nec inducere necessitatem contrariam contingentiæ; vide autem num idonea sit ista collectio, Ex eo quòd aliquid est futurum, possumus inferre illud esse à Deo præscitum: Ergo præscientia non obest libertati, neque infert necessitatem. Atqui pariter concludam, effectum necessarium non esse necessarium. Ex eo enim quod iste sit futurus, inferre possumus præcessuram eius causam: Ergo-ne igitur causa illa non influet in effectum necessitatem? 4. Quod est nobis causa tantum consequentiæ & illationis, debet esse præcognitum respectu eius quod ex illo sequitur, aut infertur: & ita fumus à nobis visus est causa consequentiæ & illationis respectu ignis: & lux similiter respectu solis, diciturque causa in cognoscendo tantùm, quia sui cognitione, cognitionem alterius excitat. At contingens aliquod esse futurum, cui quæso notius est, quam esse præscitum, vt hoc ex illo possit inferre?

non loqui tantum de causa consequentiæ.

XXVI. 5. Confirmatur hoc, argumento vt aiunt ad hominem. Vt enim Anonymus Aristotelis sententiam de futuris contingentibus tueatur, idem esse putat alteram

cap. 21. num. 10.

oppositarum de futuro contingenti esse, determinatè veram, aut determinatè falsam; &, hanc veritatem aut falsitatem esse cognitam: & quia *nulla via & ratione naturali certò, distinctè & determinatè* dicere possumus alteram ex oppositis illis esse veram, alteram esse falsam; ideo neutram esse determinatè ac propriè veram aut falsam. Quam ego sententiam in præsentiarum non impugno: nec ostendo quàm non sit bene meritus hic auctor de veritate, dum eos insequitur quos dicit esse malè meritos de Aristotele. Hoc tantùm accipio quod dat, *nullà via & ratione naturali cognitum* nobis esse futurum contingens, esto, cognitum sit via & ratione supernaturali, testimonio videlicet Dei reuelantis. Sic autem argumentor. Quod est incognitum non potest esse causa in cognoscendo, seu causa consequentiæ respectu alterius incogniti; futurum contingens est huiusmodi respectu prædictionis & præscientiæ; Ergo, &c. Item, Quod est causa in cognoscendo seu causa consequentiæ & illationis, debet esse notius eo respectu cuius dicitur causa: futurum contingens reuelatione Dei cognitum, non est notius prædictione, quippe quæ ipsa reuelatio est, neque præscientiâ, cùm cognoscere reuelationem idem sit, ac cognoscere Deum scienter hoc est ex præscientiâ loquentem; vt ideo repugnet intelligi prædictionem & non intelligi præscientiam: Ergo futurum contingens reuelatione Dei cognitum non potest esse causa in cognoscendo, seu causa consequentiæ & illationis respectu præscientiæ aut prædictionis. Ruit igitur hæc interpretatio.

Cap. 19. num. 7.

Non de malis tantùm, sed & de bonis Patres loquutos.

XXVII. Neque firmiores sunt aliæ quatuor, quas subiungit, *Patres de futuris peccatis sæpius loqui*. Sed sæpe etiam non loquuntur de illis tantùm, sed vero etiam de bonis actibus, vt videre est in Origene apud Eusebium loco anteà citato, vbi comprehendit etiam illa quæ *præclarè* à nobis fiunt, & Athanasio qui miracula negat ideo futura quia prænuntiata, sed è conuerso. Hieron. loquitur manifestè de *bono & malo*, Damascenus de *virtute & vitio*. Aliàs in vniuersum loquuntur. Vt Epiph. loco antea citato. Hieronymus in cap. 26. Hier. Origenes contra Celsum.

in cap. 2. Ezech.

Et

Et quamuis loquerentur semper de præscientia peccatorum, quia tamen hoc potissimùm intendunt, vt saluent peccantium libertatem, & contrariam illi necessitatem excludant; fieri non potest, vt non vtantur principio communi & pariter necessario vt saluetur etiam libertas actionum bonarum: cùm hæ nihilo minus debeant esse liberæ, neque plus requiratur ad libertatem malarum quàm bonarum. Denique nihilo absurdius est, aliquod bonum esse futurum causam dici cur à Deo præscitum sit; quàm aliquod malum: quin potiùs tolerabilius est, vt dicatur Dei præscientia pendere à bono futuro, quàm à malo. Hæc ergo responsio nihil ad rem. Dial. con. Manich.

Sed neque quâ dicit nonnullos ex his Patribus non de præscientia loqui, sed de *prænuntiatione* & *prædictione* quæ futurorum euentuum causa non est. Nam 1. satis esset quod plerique de præscientia loquantur. Deinde prænuntiatio nullam habet connexionem cum existentia rei prænuntiatæ nisi ratione præscientiæ cui subest. Ergo quod dicunt, rem esse futuram, causam esse cur prædicatur; non aliter verum esse potest, quàm quia causa est cur præsciatur. Nihil enim commune rebus cum vocibus, nisi quatenus illæ sunt conceptuum vicariæ. Et notandum est Anonymum semper mediam tantùm partem obiectionis soluere. Nam quod Patres de *prædictione* loquantur, ad hoc tantùm valet, vt merito dixisse credantur prædictionem rei futuræ non esse causam cur illa futura sit: sed quod addunt, rem esse futuram, causam esse cur sit prædicta, quomodo erit verum? De præscientia loquuntur & quod dicunt de prædictione non nisi ratione præscientiæ verum est.

XXVIII. Quarta Expositio cæteris est deterior, *Patres populariter loquutos: declarare solùm velle Deum scientià & præscientià sua nihil nostram lædere libertatem, &c.* Vellem doceret quando-nam Patres serio loquantur & dogmaticè. An quando scripturam interpretantur? Citatur Origenes in Epistolas Pauli; Chrysostomus in Mathæum hom. 60. in cap. 18. Hieronymus in Prophetas, Cyrillus in Ioannem. An quando fidei doctrinam infidelibus proponunt? Disputat Origenes cum Celso Philosopho Epicureo. An quando Catholicam fidem tuentur aduersus Non sunt tantum loquuti populariter. Lib. 7. in cap. 8 Ep. ad Rom.

hæreticos? Caianos impugnat Epiphanius, Manichæos Damaſcenus. Ecquando Theologicè loquentur ſi tunc loquuntur populariter? Quod ait Patres oſtendere voluiſſe Dei ſcientiam nihil nocere libertati, verum eſt; ſed quibus quæſo id fuit oſtendendum, plebi an Philoſophis? Impeditos illa difficultate Græcos aberraſſe, ac præſcientiam negauiſſe vt contingentiam tuerentur, do-
Lib. 6. de cet Euſebius ex Origene: pleroſque alios ex ijs qui ἐπιστα-
præp. c. 9. τικώτεροι, hoc eſt perſpicaciores videbantur in contrarium abijſſe, perſuaſos nullam eſſe in rebus humanis contingentiam, teſtatur Ammonius. Quem neſcio an velit
Ad 1. de interpret. ſect. 2. n. 7. etiam Anonymus populariter loquutum dum Ariſtotelem commentario ſequitur. Hi ergo ſunt quos Patres edocent, non populus. Sed fac etiam cum populo egiſſe, non cum Philoſophis: nec aliud voluiſſe quàm vt intelligerent Dei præſcientiam non auferre libertatem; hoc quæritur, an ſatis dignè de illis ſentiat, qui putet eos rem veram ratione falſa confirmaſſe, dum dicunt, propterea ſtare humanorum actuum cum Dei præſcientiâ libertatem, quia *non ideo illi futuri ſunt quod futuri præſciantur*, ſed potius *ideo futuri præſciantur quia futuri ſunt?*

Vltimam expoſitionem quæ apud Anonymum quinta eſt, vt fatear meam tarditatem, ego non capio: neque video quid poſſit afferre momenti ad ſoluendam difficultatem propoſitam. *Dici poſſet*, inquit, *PP. tantùm velle, non poſſe à nobis concipi præſcientiam quam Deus habet de rebus futuris, niſi verè ſint futuræ*, &c. Patres volunt ideo liberum eſſe quod futurum præſcitur, quia non ideo futurum eſt, quia præſcitur: ſed ideo præſcitur, quia futurum eſt. Quid hoc quæſo ad noſtram de tali præſcientia cognitionem? Et quid magis minuſue libertati nocebit præſcientia, ſi hoc aut illo modo à nobis intelligatur? Denique non
„ experior quod Anonymus promittit, facillimum fore
„ vnicuique ex recitatis SS. PP. teſtimonijs vel quibuſlibet
„ afferendis, quam volemus ex his expoſitionibus, & quæ
„ cuique commoda erit applicare. Iam enim applicuimus, & quodcumque in latus conuertantur, nulla ſuum loculum inuenit, nulla quadrat.

§. IV.

Auguſtinum, Gregorium, & D. Thomam eodem ſenſu loquutos.

XXIX. SEd ſatisfaciendum eſt auctoritati S. Auguſtini, S. Gregorij, & S. Thom. Nam S. Auguſtinus perſpicuè docet cauſalem hanc ſuperiori contrariam, *creata non ideo videri à Deo quia ſunt, ſed ideo eſſe quia videntur à Deo.* Idem Gregor. quos refert & ſequitur S.Th. ℞. Nos non negare Dei ſcientiã eſſe rerum cauſam, Abſit. Hoc tantùm negamus de ſcientia quæ dicitur *viſionis*, quâ ſcilicet Deus ſcit creaturas exiſtẽtes, vt exiſtentes in aliquâ differentiâ temporis, ſeu quæ illius exiſtentiæ atque actualitatis expreſſiua & enuntiatiua eſt. Hanc negamus eſſe cauſam ſui obiecti cum ijs Patribus quos antea recenſuimus. Etiam negamus iſtos qui nobis obijciuntur de illâ loqui, ſed de ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, quâ illa etiam quæ facta ſunt & in aliquâ differentiâ temporis exiſtunt ſciuntur vt poſſibilia. Cum enim hæc ſcientia rationes omnes proponat diuinæ voluntati, quibus illa poſſit adduci vt facere velit de poſſibilibus exiſtentes, omneſque modos in eo ſeruandos; perfectiſſimè directiua illius eſt: atque adeo, mediâ voluntate operatiua: & proinde cauſa ſine quâ nihil futurum eſt, ne malum quidem. Dirigit enim eius permiſſionem: ſed eſt inſuper cauſa cur bonum omne ſit futurum eo modo quo congruit libertati creaturæ. Ita interpretamur iſtos Patres, itaque conciliamus cum alijs, quorum antea ſententiam ſpecie tantùm, non autem reipſa contrariam, propoſuimus.

Vltimo confeſſ. cap. vlt. 6. de Trin. c. 10. & 15. cap. 13 20. Moral. c. 25. alias 24. & lib. 32 c. 6. Quæſt. 14. 1. p. ar. 8. & alibi.

Scientia viſionis nõ eſt cauſa rerũ apud hos Patres ſed tantum ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Sed nec iſta cauſa eſt cur actus malus ſit futurus, ſed tantùm ſine qua non eſt futurus.

XXX. Ne quis autem vim faciat in eo quod S. Auguſtinus & S. Gregorius vtuntur verbo *videndi*, quo tantùm deſignatur ſcientia viſionis; iam ante oſtendimus, non ſolum Scholaſticos Doctores, ſed ipſum quoque Auguſtinum hoc verbo vſum ad deſignandum poſſibilium cognitionem. Et idipſum nunc oſtendo in S. Gre- 32. Mor. c. 6.

gorio cuius hæc sunt verba quæ nobis objiciuntur, *Non existentia videndo creat, existentia videndo continet.* Vbi cum circa idem obiectum & prout est non existens, sed tamen creandum: & prout est existens ac iam creatum, versari dicat visionem; scientia verò quæ versatur circa id quod existit & non vt existit, sed secundum esse quod habet etiam non existens, non sit scientia visionis illa strictè sumpta; superest vt Gregorius visionem sumat latiùs, prout etiam scientiæ simplicis intelligentiæ aptari potest.

XXXI. S. Thomas interpretationem hanc longè facilius recipit. Nam primò, ille nusquam indicat scientiam hanc quam dicit esse causam rerum, esse scientiam visionis strictè sumptam. Non esse autem conuincitur ex multis locis. Sed sufficit ille qui nobis solet obiici ex quæstion. 14. 1. p. vbi sic loquitur. Sed considerandum est quòd forma naturalis in quantum est forma manens in eo cui dat esse, non nominat principium actionis, sed secundum quod habet inclinationem ad effectum. Et similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis secundum quod est tantum in intelligente, nisi adiungatur ei inclinatio ad effectum, QVÆ EST PER VOLVNTATEM. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat (cum sit eadem scientia oppositorum) non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum vt dicitur in 9. Metaph. &c. Hinc concludit scientiam Dei esse causam rerum. *Secundum quod habet voluntatem coniunctam.* Et negat competere illi rationem causalitatis, nisi *adiunctà voluntate.* Quibus verbis lucem afferunt hæc alia ex quæstione 2. de veritate. Inter scientiam Dei quæ est causa rei, & ipsam rem causatam, inuenitur duplex medium; vnum ex parte Dei, scilicet diuina voluntas; aliud ex parte ipsarum rerum quantum ad quosdam effectus..... Omnis autem effectus non solum sequitur conditionem causæ primæ, sed etiam mediæ. Et ideo res scitæ à Deo procedunt ab eius scientiâ PER MODVM VOLVNTATIS.

ar. 14. ad 1.

Ex illis verbis S. Thomæ colliguntur ista. Primum,

Scientiam illam Dei quæ est causa rerum *habere se indifferenter ad opposita, determinari autem ad alterum illorum per voluntatem.* Quod non potest habere alium sensum, quàm, ex se non inclinare magis in productionem quàm in non productionem eius quod tanquam possibile repræsentat, sed adiuncto voluntatis decreto determinari ad productionem quorumdam, quorum ideò causa est: & ad non productionem aliorum, quorum ideo non est causa. Secundum, Esse illam cui nos intelligimus adiungi inclinationem ad agendum per voluntatem, ac proinde quæ scientia quidem est sine voluntate, sed non est actiua, Tertium, Esse illam *inter quam & effectum media est voluntas producentis*, quæque ideo est veluti *prima causa* respectu voluntatis, quæ *media* tantum est. Atqui nihil horum competit scientiæ visionis vt talis est; ergo scientia visionis non est illa quam S. Th. putat esse causam rerum. Subsumptum est manifestum. Cui enim adeo peruersa esse potest cogitatio, vt concipiat eam scientiam quæ non fertur in obiectum suum nisi vt existens, cuiusmodi est scientia visionis, habere se indifferenter ad opposita, hoc est ad existentiam vel non existentiam illius? Quis etiam concipiat voluntatem aliquid producendi accedere ad scientiam qua videtur eadem res vt producta, eique quodammodo extrinsecus adiungi, cui potiùs supponitur? Quis eandem voluntatem *mediam* fingat inter effectum & scientiam visionis, cui potiùs præuia est? Et quomodo stabit inscriptio libri *de ordine deque priori & posteriori*, si tanta inducitur perturbatio, vt ea scientia quæ dicitur *causa prima*, sit scientia visionis, quam sequatur decretum voluntatis tanquam causa posterior & *media* inter *primam* & effectum; cum sit manifestum, si quis sit ordo inter actus illos, decretum voluntatis quo ponitur obiectum & quasi terminus scientiæ visionis, si non sit prius, posterius saltem illâ scientiâ esse non posse? Ex his ergo liquidò constat D. Thomam dum scientiam Dei causam esse rerum asserit, scientiam accepisse indeterminatè atque indistinctè, quippe qui hoc solum obtinere volebat: vt diceretur Deus agens intelle-

ctiuum ſcientiſſimè ac liberrimè producens quidquid producit. Hoc autem obtinetur facilè admiſſâ ſcientiâ directiuâ voluntatis, quæ medio actu quem dirigit cauſare dicitur id omne quod pendet à tali actu. Scientia autem quæ diuinam voluntatem dirigit, alia eſſe non poteſt, quàm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & quam ipſi defendimus, ſcientia media, omnino remanſura etiamſi non ſequeretur actus voluntatis. Eſt enim directiua liberi actus: ac proinde illâ poſitâ eſt adhuc in poteſtate diuinæ voluntatis vt velit aut nolit, quod per eam repræſentatur: & ſi velit, fiet efficax adiunctione talis volitionis; ſi nolit, erit ſemper eadem ſcientia ſed inefficax. At ſcientia viſionis quæ habeat neceſſariam connexionem cum effectu viſo, non eſt remanſura, ſi non ſequeretur volitio producendi talem effectum: vnde neque dici poteſt directiua illius volitionis, nec illâ mediante cauſa effectus.

XXXII. Hanc eſſe mentem S. Thomæ præter ea quæ iam diximus, conficitur alio inſuper argumento. Nempe quia quoties D. Thomas explicat quomodo præſcientia futuri, quæ eadem eſt ſcientia viſionis, non inferat neceſſitatem libertati obiecti ſui repugnantem, quamuis cum eo neceſſariâ conſequentiâ connectatur; rationem ex eo petit, quòd ſcilicet non feratur in obiectum tanquam futurum, & in cauſis ſuis exiſtens, ſed feratur in illud vt eſt præſens, & in ſeipſo exiſtens, ad eum modum quo viſus noſter fertur in obiectum ſuum vt eſt in ſe: ac proinde ſicuti viſus noſter quantumuis neceſſariâ etiam conſequentiâ connectatur cum exiſtentia rei viſæ; non impedit tamen eius libertatem & contingentiam, ſi quam habet aliunde; ita neque diuinum intuitum eandem impedire. Quo diſcurſu atque exemplo. S. Doctor vtitur multis locis vt quæſt. 16. de Malo ar. 7. ad 15. & de Ver. quæſt. 2. ar. 12. ad 2. & 7. & in 1. de Interpretatione lect.

Lect. 13. „ 13. & 14. ex quo loco notanda ſunt verba iſta. Hoc modo „ eſt aliquid verum, quo habet eſſe. Cum autem aliquid „ eſt in præſenti, habet eſſe in ſeipſo, & ideo verè poteſt „ dici de eo, quòd eſt. Sed quandiu aliquid eſt futurum,

nondum est in seipso, est autem aliqualiter in suâ causâ. "
Et deinde Deus est omnino extra ordinem temporis quasi " Lect. 14.
in arce æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui "
subiacet totus temporis decursus, secundùm vnum & "
simplicem eius intuitum: & ideo vno intuitu videt omnia "
quæ aguntur secundùm temporis decursum, & vnum- "
quodque secundùm quod est in seipso existens, non quasi "
futurum quantum ad eius intuitum, prout est in solo or- "
dine suarum causarum videat; sed omnino æternaliter sic "
videt vnumquodque eorum quæ sunt in quocumque "
tempore, sicut oculus humanus videt Socratem sedere in "
seipso non in causa sua. Ex hoc autem quod homo videt "
Socratem sedere non tollitur eius contingentia quæ res- "
picit ordinem causarum ad effectum: tamen verissimè & "
infallibiliter videt oculus humanus Socratem sedere dum "
sedet; quia vnumquodque prout est in seipso iam deter- "
minatum est. Sic igitur relinquitur quòd Deus certissimè "
infallibiliter cognoscit omnia quæ fiunt in tempore, & "
tamen ea quæ in tempore eueniunt non sunt vel fiunt ex "
necessitate, sed contingenter. Qui discursus inutilis alias "
futurus, sapientiæ ac rationis plenus erit, si colligatur in hunc modum. Præscientiam futuri non impedire illius contingentiam, quia non fertur in futurum vt producendum, sed vt productum in ea temporis differentia in qua illud futurum est. Seu, quia præscientia non est operatiua futuri vt faciendi, sed est illius speculatiua vt iam facti. Hoc enim est, in illud ferri *tanquam in seipso & extra suas causas positum.* Ex quo benè intelligitur quo modo necessaria illa connexio futuri cum præscientia inuiolatam relinquat libertatem. Necessitas enim quæ libertatem lædit, deriuatur à priore in posterius, & à causa in effectum; præscientia verò quæ non respicit futurum nisi tanquam existens & in se ipso, ac extra causas positum, non potest habere rationem causæ respectu illius: nec proinde causalem in illud atque antecedentem necessitatem inducere, quæ sola tollit contingentiam. Quin potiùs futurum ipsum quatenus suâ illâ existentiâ & præsentiâ reali se ipsum exhibet cognoscendum, potest quodammodo dici

causa suæ præscientiæ, vt antea explicuimus: vnde etiam fit vt necessitas, quam inde trahit, sit consequens ex ipso, vt ex Anselmo & Damasceno referebamus: quibus adiungendus Chrysostomus Hebr. c. 7. Ho. 11. & ad populum. Hom. 42. Et ita optimè quadrat exemplum illud seu similitudo intuitus humani. Qua quia ferè vtitur etiam S. Augustinus in eundem finem, nimirum vt diuinam præscientiam cum libero arbitrio conciliet; restat vt dicamus conspirare ambos in eandem sententiam, vt negent, & diuinam præscientiam, & in vniuersum scientiam visionis vt talis est, esse causam rerum; esto supponant omnes scientiam Dei atque adeo scientiam visionis specificatiuè, quatenus vel est identicè, vel includit scientiam simplicis intelligentiæ, esse causam eorum omnium quæ à Deo fiunt, eo modo quo fiunt ab illo. Quæ scientia, quia ita sumpta indeterminatè se habet tam ad futurum quàm ad non futurum, determinatur autem per adiunctam voluntatem; ideo aliam non habet connexionem cum futuro, nisi quam habet illa voluntas: quæ ipsa nullam etiam habet libertati repugnantem, vt aliunde hîc supponendum est.

Cap. 35. XXXIII. Respondet Anonymus, similitudinem illam humani visus nihil prorsus iuuare, quod sit *popularis & ad vulgi captum accommodata* quæ est etiam *popularis* quædam solutio, qua reddatur inutilis Patrum omnis & Doctorum auctoritas. S. Thomas Aristotelem interpretatur, & *ad vulgi captum se accommodat?* Imprudens sit: quippe qui non recordetur se cum philosophis agere. De scientia Dæmonum disputat, in quæstione de Malo, & de scientia Dei in secunda de Veritate, & tunc *popularibus* vtitur exemplis, & quæ si exigantur nihil probent? Inconsultè hoc quoque, qui cogitare debuit se Theologos instituere.

Non ignoro comparationes aliquando claudicare, vt dicunt, solere; verum si claudicant ex vtroque pede: neque in eo saltem rectæ sunt quod per illas intenditur, sunt ineptæ: neque in eruditorum hominum conspectum productæ aliud possunt quàm ridiculum quoddam exhibere spectaculum.

ſpectaculum. Et vide, quæſo, quomodo incederet diſcurſus. S. Thomæ, ſi vera eſſet Anonymi ſententia. Propoſitum illi eſt oſtendere Dei præſcientiam non tollere libertatem, tametſi conſequentia neceſſaria ſit ab illa ad exiſtentiam rei præſcitæ. Vt hoc illuſtret vtitur exemplo viſus humani, à quo licet etiam detur neceſſaria conſequentia ad rem viſam, nihilo tamen minùs res viſa libera eſt. Quod ſi præſcientia eſt cauſa rei præſcitæ, cum viſus ſit potiùs effectus rei viſæ, ita erit tota hæc ratio concipienda, vt dicatur, non eſſe mirum ſi Dei præſcientia ex qua res præſcita infertur neceſſariò tanquam ex cauſa, non tollat libertatem: quando conſtat viſum humanum: ex quo etiam res viſa infertur neceſſariò tanquam ex effectu, illam non tollere. Vide Lector lucem-ne an tenebras afferat hæc comparatio.

XXXIV. Clariùs adhuc hoc cernitur in D. Auguſtino, quem conſtat vti argumentatione accurata axactaque, vt ne Scholæ quidem lima deſiderari videatur. Petit enim ab Euodio cum quo colloquitur, vnde timeat ne Dei præſcientia libertatem excludat rei præſcitæ, an ex ſpeciali ratione præſcientiæ vt diuina eſt, an ex communi & vt eſt præſcientia in vniuerſum? Mox extorquet non hoc habere præſcientiam vt diuina eſt: quòd hoc non habeat niſi quatenus neceſſariò conſequitur, ſi præſcitum eſt aliquid à Deo, eſſe illud futurum: quod quia ſequitur etiam neceſſariò ex humana ſcientia, ſi vlla eſt, conficitur præſcientiam Dei non vt eſt Dei, pugnare cum libertate, ſed vt eſt præſcientia. Iterum autem ſubſumit, præſcientiam in vniuerſum non pugnare cum libertate rei præſcitæ: probatque in homine, cuius præſcientia non aliter ſe habet ad futurum, quam ſe habeat memoria eiuſdem ad præteritum, etiam illud quod non eſt ab ipſo qui meminit productum, quâ nemo putat impediri eiuſdem præteriti libertatem. Vnde ſequitur tandem neque in præſcientia Dei eſſe aliquid quod impediat libertatem rei præſcitæ Hæc germaniſſima eſt Auguſtini cogitatio, vt conſtabit ex ijs verbis quæ mox producam. Quæ tota non modò redditur inutilis & inſulſa, ſi vera eſt Anonymi ſen-

tentia, sed captiosa etiam & fallax, atque ad illudendum composita; vt religio sit tribuere illam Augustino. Nam neque verè hoc assumit Augustinus, Si Dei præscientia libertati nocet, nocituram non vt est Dei, sed vt est præscientia. Etenim si nocet, nocet potissimùm vt est causa rei præscitæ, non est autem causa vt est præscientia in vniuersum, sed vt est Dei, vt Anonymi sententia fert. Item illud quoque insidiosum, Dei præscientiam, si libertati officit; ideo esse quia sequela necessaria està veritate præscientiæ, ad veritatem rei præscitæ, quod pariter reperitur in præscientia hominis: neque tamen officit libertati. Insidiosum, inquam, illud est. Siquidem sequela quæ necessaria dicitur ab hominis præscientiâ ad existentiam rei præscitæ, sequela potius est causæ ex effectu, quàm effectus ex causa: & ideo præscientia hominis circa futurum, comparatur memoriæ circa præteritum. At verò sequela quæ necessaria dicitur à præscientiâ Dei ad rem præscitam, est sequela effectus ex causâ, ex Anonymo. Quis autem non videt quàm sit absonum, supponere causam aliquam non influere necessitatem in effectum; quandoquidem effectus ipse in causam minimè influit? aut quæ proportio inter memoriam præteriti, & præscientiam futuri, vt hæc intelligatur non obesse libertati sui obiecti, quia illa non obest, si hæc causa est, & non illa? Sed audiamus Augustinum qui sic Euodium alloquitur obijcientem Deum iustè punire non posse quæ necesse sit fieri; esse autem necesse fieri quæ futura præscirentur.

de lib. arb.

» rentur. Vnde tibi videtur aduersum esse liberum arbi-
» trium nostrum præscientiæ Dei: quia præscientia est?
» An quia Dei præscientia est? *Euodius*, Quia Dei. *Aug.*
» Quid ergo si tu præscires peccaturum esse aliquem, non
» esset necesse vt peccaret? *Eu.* Immo necesse esset vt pec-
» caret, non enim aliter esset præscientia mea nisi certa
» præscirem. *Aug.* Non igitur quia Dei præscientia est,
» necesse est fieri quæ præscierit, sed tantummodo quia
» præscientia est. Quæ si non certa præscierit, vtique nulla
» est. *Eu.* Consentio, sed quorsum ista? *Aug.* Quia nisi fal-
» lor non continuò tu peccare cogeres quem peccaturum

esse præscires: neque præscientia tua peccare eum coge- »
ret, quamuis sine dubio peccaturus esset. Non enim ali- »
ter id futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi aduer- »
santur hæc duo, vt tu præscientiâ tuâ noueris quod alius »
suâ voluntate facturus est; ita Deus neminem ad pecca- »
tum cogens, præuidet tamen eos qui propriâ voluntate »
peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus, quæ fieri non »
cogit præscius? Sicut enim tu memoriâ tuâ non cogis »
facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non »
cogit facienda quæ futura sunt, &c. »

XXXV. Longiùs quam putaram producta est hæc disputatio, quòd fuerint in vnum cogenda locum, quæ sparsim dixerat Anonymus; vt conficeret scientiam visionis esse rerum causam. Neque tamen adhuc videtur omittenda demonstratio quam eiusce rei se daturum pollicetur. Sunt enim demonstrationum merces rarissimæ in hac, quâ versamur caligine, ac rerum ignoratione; & ideo studiosiùs colligendæ sunt ac magni faciendæ dum occurrunt. Probatur ergo scientia visionis esse causa rerum ratione, *inquit*, planè demonstratiuâ. Impossibile est » Demonstratio inutilis & sine luce.
scientiam illam eius rei esse causam quam non cognoscit, »
& cuius non est idea: At scientia simplicis intelligentiæ »
nullius rei creatæ est idea & similitudo; sed sola scientia »
visionis: igitur, &c. Maior probatur, quia omnis ars, »
omnisque scientia factiua, eius tantùm rei est factiua quæ »
est illius obiectum, seu cuius est idea, &c. Minor probatur »
ex vtriusque scientiæ definitionibus à Theologis omnibus »
receptis & à nobis relatis supra cap. 23. Definitur enim »
scientia simplicis intelligentiæ, cognitio eorum quæ nec »
sunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam: atque adeò quo- »
rum Deus nec fuit, nec est, nec erit causa: scientia autem »
visionis est eorum quæ sunt, fuerunt vel erunt, & quidem »
à Deo, &c. *Addit* Licet scientia Dei præcisâ voluntate & »
vt præit ac prælucet eius absoluto decreto de aliquo ope- »
re efficiendo, non visionis adhuc, sed præcisionis tantùm »
sit scientia: tamen & coniunctam cum voluntate, & ab »
ea determinatam ad aliquid efficiendum, seu vt est actu »
directiua potentiæ diuinæ aliquid extra operantis & »

„ exequentis, esse verè scientiam visionis, non simplicis
„ intelligentiæ.

En tibi rationem *planè demonstratiuam*, quam ego in primis si vocauero ad calculos, citiùs in illo syllogismo quinque terminos numerauero, quàm numerauerit Anonymus quatuor in alio quodam argumento Suaris, quod ideo *nullum* esse pronunciauit, cum sit optimum secluso litigandi studio. Quod quia displicet etiam mihi; neque vacat insidiari sermoni, quando non est dubia loquentis mens: aut dialecticam nectere quæstionem ex Theologica; concessâ maiori, nego minorem. Ad cuius probationem nego pariter Theologos omnes ita definire scientiam simplicis intelligentiæ, vt dicatur eorum quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, sumendo formaliter, ita vt enuntiatiua sit non existentiæ; sed materialiter tantùm vt intelligatur enuntiatiua possibilitatis, & omnium attributorum quæ necessariò competunt ijs quæ de facto neque sunt, neque fuerunt, neque erunt. Similiter nego Theologos omnes ita definire scientiam visionis, vt sit eorum quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt loquendo materialiter; sed verò etiam formaliter, ita vt intelligatur esse enuntiatiua & expressiua existentiæ in illis temporis differentijs: quo modo adhuc non definitur adæquatè, cum sit etiam enuntiatiua & expressiua non existentiæ & omnis demum prædicati contingentis ac liberi; vt antea diximus. Et dico ita sentire Didacum Ruiz, qui ius habet & meritum vt inter Theologos numeretur, quique ita sentientes refert Marsilium, Molinam & Bannez. Quin etiam & S. Thom. Suppositâ igitur hac sententiâ, quòd scientia Dei absoluta (conditionatam enim seponimus) adæquatè diuidatur in eam quæ versatur circa possibilitatem scibilis & omne attributum non contingens aut liberum, vel asserendo, vel negando, siue obiectum existat siue non; & illam quæ versatur circa existentiam & omne attributum contingens aut liberum, eodem modo asserendo videlicet aut negando; Dico priorem habere posse rationem ideæ ac similitudinis creandorum, quantùm satis est vt dicatur eorum causa, voluntate vt ait D. Thomas

Scientia simplicis intelligentię est etiam existẽtium sed specifi catiuè, scië. tia visionis est existentium sed formaliter & reduplicatiuè.

Disp 15. de scientia Dei sect. 9. num 5.

Scientia simplicis intelligentiæ habet rationem ideæ ac similitudinis creandorum.

accedente. Et quia placet cum iam laudatis Auctoribus vocare illam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, concludimus ſcientiam ſimplicis intelligentiæ illam eſſe quæ rerum cauſa dicitur, non autem ſcientiam viſionis vt pote voluntate poſteriorem. Quando autem laudatos Auctores obtendimus, non ideo fatemur cæteros nobis eſſe contrarios, cùm conſtet illos non tam negare diſtinctionem allatam duplicis ſcientiæ iuxta datam interpretationem, quàm non affirmare: quippe qui minutiùs iſta non diſputant. Conſenſuros autem facilè iudicabit, qui attenderit quam ſit præter eorum mentem trimenbris illa diuiſio in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & præciſionis. Vix enim apud illos vllum huiuſce tertij membri veſtigium reperias. Et cùm aliunde ſcientia quam hic Auctor *præciſionis* vocat, reduci non poſſit ad ſcientiam viſionis, quòd nullam habeat cum rerum exiſtentia connexionem, reliquum eſt vt illam ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ comprehenderint: vt ſit periculum, ne quam putat eſſe *omnium* Theologorum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ definitionem, *nullorum* ſit. Penſandum hoc quoque fuerit, in ea diuiſione quâ diuiditur Dei ſcientia in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & præciſionis, quomodo diſtinguatur diuiſum ab hoc tertio membro diuidente: & quid de illo ſentiendum qui animal trifariam diuideret, in rationale, irrationale, & quod abſtrahit ab vtroque.

Sed neque illa, quæ addit Anonymus, ſatis percipio quomodo cohæreant, Dei ſcientiam vt præit ac prælucet „ eius abſoluto decreto de opere aliquo efficiendo, non „ eſſe adhuc ſcientiam viſionis: nam vt præit ac prælucet „ Dei Decreto, negari non poteſt quin ſit cauſa mediante „ tali decreto, vt referebamus ex S. Thoma, eorum quæ exinde ſequuntur, neque enim aliud requiri poteſt ad rationem ideæ & cauſæ exemplaris, qualem intendit Anonymus, quàm vt *præeat & præluceat* voluntati efficaci qua fit aliquid: Atqui ſub illa ratione nondum eſt, inquit Anonymus, ſcientia viſionis: Ergo ſcientia Dei quæ nondum eſt ſcientia viſionis eſt tamen cauſa rerum. Ergo

Aduerſarij quędam parum cohærentia.

falſum, ſolam ſcientiam viſionis vt talis eſt, eſſe cauſam rerum. Atque ita ratio quæ dicebatur *planè demonſtratiua* ſe ipſam confundit.

Hæc etiam ſcire velim quomodo quadrent, ſcientiam Dei vt præit ac prælucet decreto voluntatis, non eſſe adhuc ſcientiam viſionis, &, eſſe ſcientiam viſionis vt eſt actu directiua diuinæ potentiæ aliquid extra exequentis. An aliter *præit* aut *prælucet* Dei ſcientia eiuſdem decreto, quam *actu?* Quomodo ergo diſtinguentur hæc duo, Diuinam ſcientiam actu *prælucere* ac *præire* diuino decreto, &, *eſſe actu directiuam diuinæ potentiæ*, vt alterum affirmari, alterum negari iure poſſit ad ſcientiam viſionis pertinere? An, inquam, aliud eſt diuinam ſcientiam prælucere actu diuino decreto, & aliud actu dirigere? Et conſequenter poteſtne vt actu directiua pertinere ad ſcientiam viſionis, & non vt actu prælucens? Et qui hæc confundit atque implicat, vti ſe putat ratione *planè demonſtratiuâ?*

Adde illud æquiuocè dictum, Dei ſcientiam vt eſt *actu directiua* diuinæ potentiæ, eſſe *ſcientiam viſionis*; Nam ſi ſenſus eſt, formaliter & eo ipſo præciſè quòd diuina ſcientia voluntatem aut potentiam dirigit, eſſe ſcientiam viſionis, eſt falſum, Quòd ſub ea præciſè ratione nihil repræſentet vt exiſtens aut vt non exiſtens determinatè: ſin autem vult, vt eſt actu directiua conſequenter & illatiuè eſſe ſcientiam viſionis; eſt verum. Ex eo enim quòd intelligitur *actu directiua*, colligimus eſſe decretum aliquod liberum, & eſſe aliquid liberè futurum aut non futurum vi talis decreti, & conſequenter eſſe aliquam in Deo ſcientiam, quæ vt *repræſentatiua formaliter* tum decreti, tum eius quod vi decreti futurum aut non futurum eſt determinatè, dici debet ſcientia viſionis? non autem vt *directiua* præciſè. Vno verbo, ſcientia directiua diuini decreti, non fit ſcientia viſionis accedente huiúſmodi decreto vt concauſa tantùm, ſed accedente vt obiecto, itaque tum ſeipſum, tum effectum ſuum cognoſcendum exhibente: tunc enim quæ tantùm erat ſcientia poſſibilium, diuinâ quadam extenſione fit ſcientiâ exiſtentiam.

Quare ego ex illa ratione *planè demonſtratiua*, non video quid poſſit colligi niſi materia quædam argumento conficiendo quod in ipſum Auctorẽ retorqueatur in hunc modum. Sola ſcientia directiua diuini decreti, eſt cauſa rerum; ſcientia viſionis non eſt directiua diuiui decreti: Ergo ſcientia viſionis non eſt cauſa rerum. Maior patet. Eſſe enim cognitionem aliquam directiuam, & eſſe practicam idem ſunt: Eſſe autem practicam, & eſſe cauſam ſunt pariter idem; vnde quæ non eſt directiua, nec practica eſſe poteſt, nec cauſa. Minor probatur. Scientia futura ex hypotheſi poſſibili quòd non eſſet ſcientia viſionis, non eſt ſcientia viſionis, vt ex terminis notum eſt: Scientia directiua diuini decreti futura eſt ex hypotheſi poſſibili quod non eſſet ſcientia viſionis; Ergo ſcientia directiua diuini decreti, non eſt ſcientia viſionis. Declaratur hæc minor propoſito exemplo decreti de creando hoc mundo, & ſcientiæ directiuæ talis decreti. Nam quòd hæc ſcientia directiua ſit actus liberi, ſequitur ſuppoſitionem eſſe poſſibilem, quòd ſit talis ſcientia, & quòd non ſit talis actus ſeu tale decretum. Ex illa vero ſuppoſitione poſſibili ſequitur futuram talem ſcientiam, non futurum autem mundum, nec proinde ſcientiam viſionis mundi; quæ mundo non exiſtente impoſſibilis eſt: Ergo ex ſuppoſitione poſſibili quòd non ſit ſcientia viſionis mundi, futura tamen eſt ſcientia directiua decreti de mundo creando. Quemadmodum de facto eſt ſcientia directiua decreti de alio mundo creando, à quo Deus liberè abſtinet, cui nihil prorſus deeſt ad completam rationem cauſæ in actu primo. Sed de his hactenus. Redeamus ad purganda cætera Molinæ peccata.

§. V.

Cætera Molinæ defenduntur, &, de ordine Prioris & Posterioris inter actus diuinos.

XXXVII. HOc ergo Septimum est quod reprehenditur in Molina, quod ex nostro finito,
Cap 36. num. 9. » imperfecto, & in adæquato infinitam Dei scientiam con-
» cipiendi modo, videatur definire velle modum quo Deus
» à parte rei cognoscit, vult, agit, intelligit, operatur: &
» existimet talem esse à parte rei diuinæ præscientiæ, vo-
» luntatis & concursus cum nostra libertate concordiam
» & suauitatem, qualem nos concipimus. Quod, *inquit*,
» non satis Theologicum videtur. Atque hoc multis verbis oratoriè ac concionatoriè amplificat. Quid? Num etiam dicendum erit Deum non esse à parte rei infinitum, omnipotentem, omniscium, postquam non debemus existimare *talem esse à parte rei qualem concipimus*. Ad rem, mi Doctor. Molina hoc vnum postulat, vt concedas Deum certò scire quod affirmat, futurum scilicet ex hypothesi non futurâ prædicationis, vt Tyrij conuertantur, & sic de alijs. Quod si concesseris, erit illi factum satis, neque inficiabitur Deum & hoc scire & vti scientiâ illâ non humano modo, sed suo, hoc est diuino. Tuusque labor erit, dum primum negas, ostendere secundum esse impossibile, quod adhuc præstitum non est.

„ XXXVIII. Octauo. Valde nouum, *inquit*, & per-absur-
Ib. num. 10. conditionatè futurû, mediû inter necessè possibile, & futurum absolutè. „ dum videtur quod ait Molina, inter futurum & non fu-
„ turum absolutè, dari medium, nempe futurum conditio-
„ natum. Etenim pari iure dixerit inter hominem & non
„ hominem dari medium, scilicet hominem doctum, vel
„ hominem mortuum..... Igitur sicut homo doctus sub
„ altero contradictionis extremo scilicet homine, & homo
„ mortuus sub non homine simpliciter continetur: nec est
„ quid medium inter vtrumque; ita futurum hypotheti-
„ cum nullo modo est quid medium inter futurum & non futurum,

futurum, ſed ſub horum altero continetur: &c. Neque hîc Molina repugnat: nec vnquam negauerit pœnitentiam Tyriorum verbi gratia quæ dicitur hypotheticè futura, eſſe abſolutè non futuram: itaque poni ſub altero illius contradictionis membro, *futurum abſolutè, non futurum abſolutè*. Sed hoc prætcrea Molina ſciuit, quod non potuit neſcire qui hæc obijcit, medium inter duo extrema dici non tantùm quod excluditur ab vtroque; ſed etiam quod vtrumque participat aliquâ ratione. Et quia pœnitentia Tyriorum quæ abſolutè ponitur ſub non futuro, participat tamen conditionem futuri, ex hypotheſi prædicationis: quemadmodum & conuerſio Pauli quæ fuit abſolutè futura, participabat tamen conditionem non futuræ ſi Stephanus non oraſſet, vt dici ſolet; ideo & Tyriorum pœnitentia, & Pauli conuerſio dici poteſt aliquid medium inter futurum & non futurum abſolutè. Quod etiam medium reperiri poteſt inter quælibet alia extrema contradictoria contingentia, & quæ diuiſim conuenire poſſunt eidem ſubiecto, inter doctum verbi gratia & non doctum, ſanum & non ſanum. Ita enim ponendus abſolutè fuit Ariſtoteles ſub *docto*, vt futurus etiam fuerit *non doctus* ſi pergeret operam dare ludo & ganeis, vti cœperat: & ita pleriquc abſolutè ponuntur ſub *non ſano*, vt etiam *ſub ſano* ponendi fuerint, ſi vellent viuere temperantiùs. Quare ergo & futura illa hypotheticè Ariſtotelis imperitia, & iſtorum valetudo, non poſſit dici aliquid medium inter eſſe doctum, & eſſe non doctum abſolutè: eſſe ſanum & eſſe non ſanum abſolutè? Atque hæc quidem reſponſio ſufficiebat, ſi dixiſſet hoc Molina quod hic Doctor illi attribuit, dari nimirum aliquid medium inter *futurum*, *& non futurum abſolutè*. Sed Diſp. 18. memb. 1. medium dari dicit tantùm inter *poſſibile merum*, & *ſimpliciter futurum*. Vocat autem *poſſibile merum*, quod omnem omnino futuri rationem excludit, qualis fuit pœnitentia Coroſainitarum, quæ nec abſolutè nec hypotheticè futura fuit: & fuit tamen poſſibilis, alioqui non exprobraretur illis impœnitentia. Ergo inter rem hoc tantùm modo poſſibilem, & inter rem ſimpliciter futuram, dari di-

Ff

cit aliquid medium, qualis fuit pœnitentia Tyriorum, quæ in eo quidem conueniebat cum pœnitentia Corosainitarum, quòd neque ipsa esset simpliciter futura, & ideo excludebatur ab extremo illo, *simpliciter futurum*; sed non ideo ponebatur sub altero, quod est, *merum possibile*, superaddebat enim hypotheticam futuritionem ad meram possibilitatem, in quo differebat à pœnitentia Corosainitarum. Cùm ergo neque sub *simpliciter futuro*, in quo cum alia conueniebat: neque sub *possibili mero*, in quo differebat, collocaretur; quid superest nisi vt dicatur fuisse media inter vtrumque? Idemque dici poterit si compares eandem Tyriorum pœnitentiam cum eorum obstinatione. Hæc enim non fuit *simpliciter futura*, neque enim esse potuit sine prædicatione, quæ ipsa futura non fuit. Non fuit etiam futura ex hypothesi prædicationis, quippe cùm acturos fuisse pœnitentiam Christus pronunciet: ergo fuit tantùm merè possibilis, ex hypothesi prædicationis: Ergo pœnitentia quæ neque ipsa erat *simpliciter futura*, & ad *meram* obstinationis *possibilitatem* superaddebat futuritionem hypotheticam, media fuit inter duo extrema absolutæ futuritionis, & meræ possibilitatis. Id quod est adeo perspicuum, vt vix esse possit *Antiquus* atque *idoneus* Philosophus is cui hoc *nouum* ac *per-absurdum* videatur.

Scientia media quomodo prior scientiâ visionis.

XXXIX. Vltimo. Non probatur, *inquit*, quòd suam illam »scientiam mediam Molina duabus alijs, visionis scilicet »& simplicis intelligentiæ faciat priorem. Nam vt dicebam »capite præcedenti: quâ prioritate? Non temporis? &c. »Hîc etiam affingitur aliquid Molinæ, qui nequaquam dicit priorem esse scientiam mediam, scientiâ simplicis intelligentiæ quæ illi eadem est cum scientia naturali & necessariâ; sed priorem esse dicit scientiâ visionis, quæ versatur circa contingentia, & vel futura absolutè, vel absolutè non futura vt talia sunt. Sed quia hoc quod est aliquid non esse futurum, Anonymus sciri putat per aliam scientiam quàm per illam per quam scitur hoc quod est aliquid esse futurum, eamque vult esse scientiam simplicis intelligentiæ; ideo Molinæ attribuit quod scientiam

mediam priorem faciat scientiâ simplicis intelligentiæ. Qua in re siquid absurdum videtur, totum nascitur ex absurda illa scientiæ simplicis intelligentiæ nuncupatione, cuius Molina innocens est.

XL. Iam quodquærit qua prioritate prior dici possit scientia media, scientiâ visionis? Longiorem postularet disputationem ad ventilandam Anonymi doctrinam, qui de ordine scripsit vt eum tolleret inter actus Dei liberos ac necessarios: ac veluti non posset aliter stare tum æternitas diuinorum, tum independentia; vetuit ne quicquam mihi prius posteriusuè diceretur; sed quia disceptationem hanc ipse *caprilaneam* esse dicit, parcendum est inutili tonsuræ: in qua tamen Anonymus plurimam videtur operam lusisse; versat enim hanc quæstionem pluribus capitibus à vigesimo nono ad quadragesimum sextum. Adeo illud iucundum fuit *caprinalea* ducere flamina.

XLI. Sed ne videamur elusisse interrogationem, quâ petit quia prioritate prior sit scientia media, scientiâ visionis; primùm interrogabo vicissim, quam ipse prioritatem intelligat dum fatetur scientiam quam vocat *præcisionis*: *præire* ac *prælucere* diuinæ voluntati? aliquam enim illis vocibus prioritatem significari, opinor, ipse non negabit, ne se impropriè loquutum concedat. Quòd si prioritatem admittit eam tantùm quæ dicitur *in subsistendi consequentia*, vt innuere alibi videtur; hac dico priorem esse scientiam mediam decreto voluntatis prædefiniente aut permittente futuros actus liberos, & consequenter scientiâ visionis eosdem actus vt absolutè futuros exprimente. *Præit* enim ac *prælucet* scientia media illi decreto, ita vt sit verum non fore decretum si non esset scientia media, scientiam autem mediam mansuram quamuis non sequeretur decretum: & quia scientia visionis illorum actuum, decretum sequitur; fit vt sit pariter verum, illam non futuram si non *præiret* ac *prælucceret* decreto scientia media, mansuram verò scientiam mediam, quamuis non sequeretur scientia visionis.

Etiam Aduersarius cogitur supponere prioritatem quandam in Dei scientia.

Iam verò quia non ita omnino se habet scientia media ad scientiam visionis, sicut se habet animal ad hominem,

& in vniuersum ratio communis ad rationem particularem; cùm vnaquæque illarum sit singularis quædam atque indiuidua ratio: ideo non debet hic admitti prioritas in subsistendi consequentia, qualis est inter vniuersale & particulare sub eo contentum: sed qualis esse potest inter eas res, quarum vna pendet ab alia & non reciprocè. Ita enim se habet scientia media ad scientiam visionis, saluâ semper identitate atque vnitate reali. Ita, inquam, se habet à parte rei. Neque enim id quod dicimus ex nostris conceptibus petitur, non esse nimirum futuram prædefinitionem liberi actus, si non esset eiusdem scientia media, futuram autem scientiam mediam quamuis non esset prædefinito liberi actus. Hoc enim est verum, nemine cogitante: & ideo prioritas illa non debet dici tantùm denominatio extrinseca petita à nostris conceptibus, sed supponi debet esse illius reale fundamentum in entitate Diuini actus. Id quod similiter valet in scientiâ simplicis intelligentiæ comparatâ vel cum decreto libero, vel cum scientiâ visionis inde sequutâ: item in scientiâ visionis vnius rei, comparatâ cum scientiâ visionis alterius, vt si comparetur præscientia peccati futuri, ad præscientiam pœnæ propter illud infligendæ: item in vno decreto libero cum alio comparato, vt si comparetur decretum permittendi peccatum cum decreto illud puniendi. Quin & vbi reciproca est consequentia, potest tamen vnum alio censeri prius in actibus diuinis. Et ita quamuis ex eo quòd Deus videat futurum vltimum iudicium, benè inferamus illud esse à Deo decretum: & ex eo quod intelligamus illud esse à Deo decretum, sequatur etiam benè illud esse futurum; nihilominus tamen est quod dicamus decretum iudicij prius esse illius præuisione, non vice-versa, prioritate fundatâ in ipsa re. Sicut enim quando actus sunt realiter distincti, si vnus exhibet alteri obiectum in quod tendat, & non reciprocè; is eo prior dicitur, quo modo cognitio nostra volitione prior est, & præmissæ formales ipsâ conclusione; ita si vnus actus non obstante simplicitate suâ duplicem habeat rationem, cognitionis & volitionis: & sub vnâ ratione exhibeat ipse

ſibi obiectum attingendum ab aliâ; quidni dicetur habere in ſe virtualem ordinem prioris & poſterioris, & reale fundamentum vt concipiatur prior ſeipſo ſub alia & alia ratione? Ita igitur ſe habet decretum de vltimo Iudicio ad eius præſcientiam, quia decretum cauſa eſt quâ fit futurum iudicium, & eatenus eſt etiam cauſa quâ illud obiectum intellectui diuino præſciendum exhibetur. Et eodem modo & viſio quâ Deus ſeipſum intuetur, prior eſt amore quo ſe amat, & ſcientia poſſibilium eorumdem amore, quamuis inibi reciproca ſit illatio exiſtentiæ: quia etiamſi reciproca ſit illatio exiſtentiæ, non eſt tamen reciproca obiecti exhibitio, ſed eſt fundamentum in re, cur dicatur viſio illa ſeu ſcientia exhibere amori obiectum in quod tendat, non vice-uerſa.

XLII. Nam quod dicit Anonymus, huiuſmodi ordinem fuiſſe Patribus incognitum & antiquis Scholaſticis; ſatis refellitur ex ijs quæ illi dicunt de voluntate puniendi, & iuſtitiam vindicatiuam exercendi, quam dicunt à nobis *cauſam habere* peccatum ſcilicet, & eſſe *conſequentem*. Hoc enim idem eſt ac eſſe præſcientiâ futuri peccati poſteriorem. Item de voluntate miſerendi ac gratiam conferendi peccatoribus, quam ſimiliter cauſam habere volunt in meritis Chriſti, quod eſt eſſe poſteriorem illorum præſcientiâ, & ita de alijs. Sed videri poſſunt recentiores Theologi, qui adeo ſunt vnanimes in aliquâ diuinorum actuum ſerie admittendâ, vt ſit manifeſtum ſuperiorem ſæculorum atque adeo ipſius Chriſtianiſmi ſemen quoddam eſſe commune, quod diuiſis multiplicatiſque lapſu temporum Scholis, in eandem tamen ſententiam vbique germinarit. Ex PP. infertur aliquis inter ordo diuinos eius.

XLIII. Sed addit etiam eſſe inutilem hanc ſeriem decretorum. In quo ille omnium ferè mortalium quibus contingit rerum iſtarum notionem habere aliquam, experientiam accuſat. Quid, non confert ad explicandum quid debeamus Chriſto Domino, quod dicitur ex præſcientia mortis ipſius conceptam fuiſſe voluntatem conferendi nobis gratiam? Non iuuat ad obſtruendum os deſperatis hominibus, quod dicuntur ipſi voluntariam exhi-

buiſſe cauſam præſcientiæ peccatorum ſuorum? Hanc verò præſcientiam dum peccata repræſentat, iuſtum exhibuiſſe Deo puniendi motiuum? Nam quòd etiam conferat ad intelligendam præſcientiæ ac prouidentiæ cum libero arbitrio concordiam, poſtea fortaſſe monſtrabitur. Nunc tantùm hoc dico, Anonymum qui putat faciles eſſe ad intelligendum quæſtiones illas ſublato prioris ac poſterioris ordine, prædicare facilitates cæteris Doctoribus incompertas, ſuorumque conatuum ſucceſſu hoc tantùm conſequi, vt communes cogitationes credantur eſſe meliores.

CAPVT III.

Expenditur Anonymi doctrina & interpretatio locorum ſcripturæ pro ſcientia media.

XLIV. VT ſcripturæ teſtimonijs reſpondeat quibus ſcientia media ſuadetur, multa præmittit Anonymus, quæ partim aliena ſunt atque inutilia, partim æque obſcura incertaque atque id ipſum de quo contenditur.

Cap. 17. num. 1. Primum eſt, inter diuinam ſcientiam & reuelationem externam latum eſſe diſcrimen. Quis dubitat? Sed ad quid illud? Quia, inquit, inde fit, quamuis Deus nobiſcum hypotheticè loquatur, dum reuelat, non tamen hypotheticè cogitare. Optimè id quidem; quemadmodum nec ſequitur Deum hebraicas habere cogitationes ex eo quòd nobiſcum loquatur hebraicè, ſed diuinas. Non quærimus modum, cognoſcendi, ſed rem cognitam: neque hoc contendimus Deum hypotheticè cogitare; ſed hypothetica, quæ ſunt hypotheticè futura. Quod dum negant Aduerſarij, non ſolùm negant Deum eo modo cognoſcere quo loquitur, ſed rem illam cognoſcere quam

loquitur : quod est dicere Deum nescire quid dicat. Dicit enim Deus clarè distinctéque *vnum fore, si aliud ponatur.* Quod si scit; scit ergo conditionatè futurum : si nescit: dicit quod nescit.

XLV. Secundum inconstantem exhibet incertamque cogitationem. Enuntiationem hypotheticam dicit, illationem magis esse quàm enuntiationem, ad tertiam mentis operationem proxime accedere; ab ea tamen differre; nihil propriè affirmare aut negare; sed significare solùm connexionem aliquam & illationem consequentis ex antecedente. Quid hæc quæso sibi volunt, & quò pertinent? Mirum sit, nisi quatuor esse mentis operationes concludit. Hypotheticum enim iudicium, postquam *magis illatio est quàm enuntiatio*, postquam ad tertiam operationem *proximè accedit*; quid esse potest nisi medium quid inter secundam & tertiam operationem? Medium autem inter secundum & tertium quomodo potest concipi, nisi vbi quatuor numerantur? Sed quod dicit hoc iudicium *nihil propriè affirmare vel negare*; sed *significare tantùm connexionem aliquam & illationem*; non cohæret. *Connexionem* enim illam & *illationem* non quocumque modo significat; sed assertiuè ac iudicatiuè, vt sic loquar : significare autem assertiuè seu iudicatiuè, idem est atque affirmare aut negare: affirmare autem vel negare illationem aut connexionem aliquam, est affirmare aut negare aliquid. Sed hoc, inquit, non est affirmare, aut negare *absolutè*; quasi diceret, iudicium hypotheticum non esse iudicium absolutum, quis contradicit? Non quæritur an iudicium hypotheticum sit absolutum; sed an sit. Addit, non magis enuntiationem esse, hypotheticam illam, quàm syllogismus hypotheticus sit syllogismus. Hunc autem non esse propriè syllogismum, vt notat Iulius Pacius. Concedo non magis esse enuntiationem quæ hypothetica dicitur, quàm sit syllogismus qui etiam hypotheticus nominatur: sed hunc non esse syllogismum si negauerit Pacius, malè ipse sibi consuluerit. Cùm sit manifestum, syllogismum esse vbicumque consequentia formalis est ac necessaria ex duabus præmissis: item hoc in eo reperiri qui dicitur

Syllogismus hypotheticus est propriè syllogismus.

hypotheticus; non iuxta modum illum, quem ex Pacio refert Anonymus, sed iuxta alium apud omnes Dialecticos vsitatissimum, quo maioris propositionis coniunctæ & hypotheticæ, in minore pars altera ponitur absolutè, aut destruitur; vt altera in conclusione similiter ponatur absolutè vel tollatur. Cuius artificij Anonymus inuenire potuit Auctores paulò antiquiores Pacio, ac probatiores, Seuerinum Boetium Latinorum Peripateticorum Ducem, qui duos olim scripsit libros de syllogismis hypotheticis: & S. Thomam qui de ijs etiam tractat Opusculo 48. cap. 16. & 17. meminitque fusioris tractatus de hoc ipso argumento à se scripti. Quos Auctores non viderit Anonymus, quando negat aliquam esse figuram aliquosue modos huiusmodi syllogismorum; cùm illi & figuras constituant & modos longè plures quàm sint in categoricis syllogismis. Boetius enim sub finem libri secundi in tertia tantum figura hypotheticos modos numerat quadraginta. Sed & Iulius Pacius hæc addit. Nec propterea reprehendo imò & laudo eos qui explicant syllogismos hypotheticos, quoniam & ipse Aristoteles de his agit, non tantùm hîc, sed etiam posteriùs cap. 29. cuius capitis particula septima dicet explicandum esse quot modis fiant syllogismi hypothetici. Ad caput autem 29. vbi Aristoteles agit de his syllogismis, duoque perstringit eorum genera, longiorem autem superesse significat eorum tractationem, hæc notat Pacius. Hæc omnia sunt valde obscura, quoniam & si Philosophus in sequenti particula fateatur accuratiùs explicandos esse, & in sua genera diuidendos syllogismos hypotheticos; tamen vel id postea non præstitit: vel iniuriâ temporum perierunt quæ hac de re conscripsit..... Sed nec Theophrasti liber, quem de syllogismis hypotheticis conscripsit, ad nos peruenit, ex quo nonnulla referunt Alexander & Philoponus. Vnde intelligas quàm inconsultè dixerit Anonymus *Aristotelem sua in Logica omnibus numeris absolutissima, de propositionibus aut syllogismis hypotheticis nihil præcepisse*. Cùm perspicuum sit & nonnihil de illis præcepisse Aristotelem, & plura censuisse præcipienda. Quod & antiquissimi Aristotelis discipuli

ad cap. 23 primi prior. num. 12.

num. 6.

discipuli præstiterint. Non aliâ certè de causa, quàm quia & veros putauerint syllogismos, & vtiliores quàm Anonymo visum sit.

XLVI. Tertium est, Illationem in syllogismo significatam non esse à parte rei: similiter neque consequentiam & illationem propositionis conditionalis significatam per coniunctionem, si: sed esse tantùm in intellectu nostro. Et quia diuinus intellectus non infert vnum ex alio; ideo nihil Deum cognoscere *conditionatè* sed *absolutè* tantùm. Hic etiam aberrat à scopo. Non quærimus an Deus aliqua nouerit conditionatè; sed an nouerit conditionata seu conditionatè ponenda. Hoc enim si obtinuerimus, parum refert absolutè an conditionatè, illatiuè an simul & intuitu simplici ea cognoscat. Et quemadmodum nemo negauerit ea ipsa quæ nos discursiuè cognoscimus, Deum cognoscere sine discursu; ita negari non potest, si quid conditionatè ac verè cognoscimus, & illum cognoscere, non nostro imperfecto, sed suo quodam modo perfectissimo ac diuino. Nullum enim verum, Deum latet. Fallitur etiam Anonymus, dum supponit illatiuam esse omnem conditionalem, cùm sufficiat ad legitimum illius sensum, si sit concomitantia quædam quam significet, antecedentis & consequentis; cum liberâ & non necessariâ vnius ab alio dependentiâ. Denique latissimè fallitur, dum illationem significatam in syllogismo, & in propositione conditionali, negat esse à parte rei, sed esse tantùm in mente nostrâ. Quòd sit manifestum formalem illationem quæ est in mente nostrâ, esse repræsentatiuam & assertiuam illationis obiectiuæ; quæ si non est à parte rei, sequitur omnem nostram illationem mentalem esse falsam, vt pote assertiuam rei quæ non est.

Illatio significata in syllogismo est à parte rei.

Quartum est, Omnia nostra & scripturæ dicta non esse rigidè atque vt aiunt; ad literam interpretanda. Transeat, Sed quorsum ea spectent, constabit postea.

XLVII. Quintum ex quarto sequitur, Cum aliquid in „ scriptura sacra absolutè vel hypotheticè dicitur esse fu- „ turum, quod reuerâ futurum non est, nec fuit vnquam, „

„ Deum aliud significare velle ac intendere, quàm illius
„ rei futuritionem: proindeque id quod futurum dicitur
„ nomine tenus esse futurum, seu vt loquitur Augustinus
„ esse futurum non futurum. Quæ regula vel inutilis est, vel captiosa. Nam cùm dicit, cùm aliquid in scriptura sacra absolutè vel hypotheticè dicitur esse futurum, *quod reuera futurum non est*, si subaudiatur hîc vt debet *nec absolute nec hypothetice*; verum est, alio sensu accipienda Dei verba, quam vt per ea designetur illius rei futuritio: at hoc nihil eum iuuat. Si verò non subaudiatur illud; sed sensus sit, cum aliquid in scriptura sacra dicitur esse futurum *absolute* vel *hypothetice*, quod re vera futurum non est, nec fuit vnquam, supple *absolute*, oratio captiosa est, & falsa regula quæ præscribit alio sensu interpretanda Dei verba quam vt designetur saltem hypothetica illius rei futuritio. Falsum enim est & apertam principij petitionem continet. Si quid scriptura dicat hypotheticè futurum, quod nec est nec fuit vnquam absolutè futurum, credendum esse Deum voluisse aliud significare quàm illud esse futurum hypotheticè. Et frustra laborat vt & S. Thomæ & S. Augustini auctoritate muniat sese. Nullus enim apud illos apex est, quo tam absurda interpretatio innuatur.

num.1.cap. 38. XLVIII. His præmissis aggreditur Anonymus illorum locorum interpretationem, quæ probare videntur in Deo dari scientiam mediam. Et primò respondet *in genere & in communi* propositâ duplici solutione, quarum vnam in alteram incidere necesse est, vt vim aliquam habere possit. Tum demum loca singula respondendo percurrit. Ego quoque contra solutiones huiusmodi omnes, tria regero *in genere & in communi*. Primum est, nihil aliud afferri quàm quod vulgò huc vsque allatum est ab ijs qui scientiam mediam impugnarunt. Expectabatur autem vt is cui amica veritas sic illuxerat, vt eum seduceret à communi cæterorum amicorum sententiâ, nouum quemdam radium emitteret, quo & iustam fuisse ab alijs discessionem ostenderet, & nouæ huius operæ pretium esse aliquod probaret.

Secundum est, easdem solutiones non modò proponi solitas ab impugnatoribus scientiæ mediæ; sed & à plerisque contemni tanquam minus idoneas minusque veras. Nam & ex Caluinistis TVissius negat ijs sibi satisfieri vt antea visum est: & ex Thomistis plerique omnes recentiores arbitrantur testimonijs illis cogi, non quidem mediam; sed tamen conditionatam, hoc est conditionatè futurorum scientiam dari, vt postea constabit, quod illis omnibus responsionibus perpetuò negatur. Cùm autem id de quo inter Iesuitas, Thomistas & Caluinistas conuenit, minimè ancipitem continere veritatem oporteat; sequitur non esse legitimam, quam solutor iste suis creditoribus pecuniam repræsentat, vt potè illorum omnium iudicio reprobatam.

Tertium est, cùm omnia illa scripturæ testimonia primariâ & propriâ verborum acceptione futurum aliquid ex hypothesi significent: & illud esse futurum suis omnibus responsionibus Anonymus neget: contendatque aliam esse quàm intendit Spiritus Sanctus sententiam ab ea quam illius verba præ se ferunt; videndum quam ille prætexat exceptionem ab ea regula, quæ Dei verba iuxta propriam germanamque significationem interpretanda credendaque præscribit. Nam quæ duæ solent, *manifestæ videlicet falsitatis, aut absurditatis, & oppositionis cum alijs item Dei testimonijs*; locum hîc habere aliquem iste Auctor nusquam probauit, vt colligi potest ex præmissa superiori capite omnium quibus ille vtitur argumentorum solutione. Atque hæc est illa, non *vociferatio* quam Suari attribuit, Auctori modestissimo; sed iustissima expostulatio eorum omnium qui queruntur istâ ratione philosophandi vim omnem adimi scripturæ sacræ: dum fas est illam ad impropriam detorquere intelligentiam, quoties aliquis opinione quadam occupatus, suo quidem iudicio verâ; sed alieno vel falsâ vel certè dubiâ, veretur ne non sit verum, quod à Deo immediatè dicitur: atque illius mentem accomodare mauult suæ; quàm suam ex verbis illius & testimonio emendare.

cap. 30. num. 7.

XLIX. Iam singula perstringamus. Prima duarum illarum

ſolutionum communium eſt, propoſitiones & reuelationes conditionatas, quæ ſunt in ſacra ſcriptura, non eſſe neceſſarium argumentum ſcientiæ conditionatæ: quòd diuerſa ſit ratio, tum illarum, tum iſtius. Contrà, Ex reuelatione colligitur neceſſariò ſcientia rei quæ reuelatur: quia reuelans non neſcit, quid dicat: ergo ex reuelatione ſignificante aliquid eſſe futurum ex hypotheſi; colligitur neceſſariò reuelantem ſcire illud eſſe futurum ex hypotheſi: hæc autem eſt ſcientia conditionata. Ergo eò deueniendum eſt, vt vel admittatur ſcientia conditionata, vel negetur eſſe vllam reuelationem quæ ſignificet ex intentione Dei reuelantis aliquid eſſe futurum ex hypotheſi; quæ eſt ſecunda ſolutio communis de qua mox.

» L. Addit Anonymus noſſe tamen Deum perfectiſſimè » omnes noſtras & abſolutas & hypotheticas enuntiationes, » quæque illis nobis ſignificantur, quidue falſi, aut veri, » aut probabilis habeant. Ex quibus verbis manifeſtum colligitur argumentum ſcientiæ in Deo conditionatæ. Conſtat enim nos hypothetica formare iudicia: ſiue illa quæ Dei reuelatione niti videntur: ſiue alia quæ probabilibus adducti coniecturis concipimus: quibus diſtinctè ſignificamus eſſe aliquid ſub conditione futurum. V. G. non ſolùm dicimus eſſe probabile aut eſſe periculum, vt ille, ſi comœdos ſpectet audiatve, aut ſi hunc aut illum librum legat, tale aut tale conſilium ineat; ſed omnino affirmamus initurum. Quod iudicium quamuis ſit opinatiuum obſcurumque atque incertum, (in quo differt ab eo quo ſola probabilitas aut ſolum periculum enuntiatur, quod ſemper aut ferè ſemper eſt manifeſtum) eſt tamen verè ac formaliter iudicium; ac proinde non eſt tantùm probabile, ſed inſuper verum, aut falſum; quia omne iudicium quod eſt verè ac propriè tale, eſt aut non eſt conforme obiecto ſuo, & eatenus habet aliquam veritatem aut falſitatem. Neque hoc negat Anonymus. Fatetur enim dum agit de ſingularibus oppoſitis de futuro contingenti, ſi veram eſſe propoſitionem aliquam non ſit aliud, quàm eſſe conformem obiecto ſuo: & eſſe falſam, eſſe

cap 31. n. 2.

difformem; oppositarum de futuro contingenti singulari alteram posse dici determinatè veram; alteram determinatè falsam. Eo igitur sensu contendo iudicium hypotheticum & opinatiuum illud nostrum, quo dicimus, *si comœdos Paulus spectaret, peccaturum*, aut esse verum determinatè, non verò falsum; aut esse falsum determinatè, non autem verum: ergo Deus hoc nouit, postquam quodlibet iudicium *perfectissimè nouit quid falsi aut veri aut probabliis habeat.* Atqui est impossibile Deum nosse illud iudicium esse falsum, quin nouerit aliquid ex aliqua suppositione contingenter non esse futurum: quemadmodum impossibile etiam est vt nouerit esse verum, quin nouerit aliquid ex aliqua suppositione contingenter esse futurum, vt per se patet: hoc autem nosse pertinet ad scientiam conditionatam, siue ad scientiam conditionatè futurorum: ergo non potest non esse in Deo talis scientia, si & sunt in nobis & Deo perspecta sunt hypothetica iudicia de rebus sub conditione futuris.

Neque dicas hoc Deum nosse scientiâ visionis, aut simplicis intelligentiæ, quæ est alia solutio mox reijcienda: quia non disputo quâ scientiâ nouit hoc Deus, sed quod obiectum nouit: & quia manifestum est obiectum mei iudicij, esse obiectum sub conditione futurum (hoc enim ego enuntio) consequens est vt & nouerit Deus, & sciat obiectum esse aut non esse sub conditione futurum, quocumque modo & quacumque scientiâ id nouerit, quam si non placet vocare conditionatam, satis est si concedatur esse obiecti sub conditione futuri.

LI. Secunda responsio generalis, concedit quod verissimum est, Deum certò & infallibiliter nosse omnia quæ „ futura conditionata dicuntur. At negat ea cognosci vllâ „ scientiâ mediâ & conditionatâ; sed solùm absolutâ vel „ visionis vel simplicis intelligentiæ, illâ quidem si sunt aliquando futura *nimirum absolutè*; hac verò, si nunquam „ sunt, *subaudi etiam absolutè*. Addit futura hæc conditionata quæ non sunt absolutè futura, non differre à pure „ possibilibus, nisi nostro conditionate concipiendi & „ enuntiandi modo Item. Cùm à Deo dicuntur futura, „

„ Deum aliud quàm eorum futuritionem indicare velle. Quam doctrinam ſi quis attentiùs expenderit, facilè mecum iudicabit; magnum virum negotijs videlicet grauioribus occupatum, Theologica iſta non ſatis ſpeculatum. *Secunda reſponſio concedit Deum certò noſſe omnia quæ futura conditionata dicantur?* Concedit ergo quod non petitur; neque enim hoc petitur vt Deus concedatur ea certò noſſe quæ dicuntur futura conditionata; ſed vt dicatur ea noſſe *vt futura conditionata*, ita vt illa ſcientia huiuſmodi futuritionis aſſertiua ſit. Hoc autem non conceditur ab hoc Auctore, quin potiùs mox negatur, cùm dicitur Deus *aliud ſignificare velle quàm illorum futuritionem*, ſi quando futura pronuntiet.

Ex contrariâ doctrina ſequitur falſas eſſe determinatè propoſitiones omnes aſſertiuas futuri conditionati: negatiuas autem veras in atque.

Iam quod addit, *Hæc futura ſi non ſunt aliquando abſolutè futura, non differre à purè poſſibilibus*, idem eſt ac ſi diceret, quæcumque nos verè concipimus & enuntiamus vt futura ſub conditione, ita vt iudicium noſtrum aſſertiuum ſit ipſius futuritionis, & non alterius rei, falsò dici futura, eſſeque omnia illa noſtra iudicia falſa. Probatur ſequela, propoſito hoc exemplo. Sit ſpurciſſimus homo v. g. Domitianus, qui Deo ita diſponente re ipsâ non incurret in matronam honeſtam & decoram atque amabilem: vnde abſolutè futurum non eſt, vt concupiſcat. Iudicat tamen aliquis hypothetico iudicio, *ſi incideret, concupiſceret*. Hoc verò ita iudicat, vt non enuntiet modo eſſe illius rei periculum: aut eſſe ad hoc diſpoſitum Domitianum: aut eſſe probabile ita futurum. Nam illis modis concipitur etiam Deus ſignificare res hypotheticè futuras, ſed enuntiet eo modo quo poteſt, & quo non poteſt Deus ex ſuppoſitione, nimirum ita vt futuritio illa concupiſcentiæ hypotheticæ per ſe ac directè ſignificetur; Quæro vtrum illud iudicium *ſi incideret Domitianus in illam, concupiſceret*; ſit verum præ iſto alio, *ſi incideret non concupiſceret*: aut *ſi incideret, ſibi & ſuo appetitui temperaret?* Si ſit verum præ iſto: ergo futuritio concupiſcentiæ hypothetica, differt à re purè poſſibili. Nam vt non concupiſcat, vel vt ſibi temperet, eſt purè poſſibile: vt autem concupiſcat aliquid aliud inſuper eſt, poſtquam dicitur præ illo verum. Quod

si non est præ illo verum : Ergo est simpliciter falsum. Quia quod non est magis verum quàm id quod est simpliciter falsum, est ipsum quoque simpliciter falsum: futura illa hypotheticè concupiscentia Domitiani, non est magis vera, quàm futura eiusdem temperantia, quæ supponi potest in hoc casu simpliciter falsa: ergo, &c. Iam verò quotiescumque asseritur aliquid quòd non est ita vt asseritur, falsa est assertio : atqui asseritur hypotheticè futura Domitiani concupiscentia, quæ reuerâ ita futura non est: ergo falsa est assertio illa: idemque dici poterit de iudicio quo enuntiamus hominem crudelissimum, qualis fuit Nero, si incideret in eum à quo se læsum putaret, duci iussurum: vel de rapacissimo, si diues occurreret, spoliaturum : & ita de alijs. Nullum, inquam, erit ex infinitis huiusmodi iudicijs hypotheticis, quæ circa quamcumque materiam imaginabilem versentur, in quâ tamen libera supponatur concomitantia vel sequela consequentis ex antecedente, quod non sit falsum. Falsum autem esse non potest iudicium alicuius rei assertiuum, quin sit verum iudicium eiusdem negatiuum, vt per se patet, cùm sufficiat ad veritatem negationis, vt non sit illud quod requiritur ad veritatem affirmationis. Sequitur ergo vera esse omnia iudicia negatiua hypothetica de rebus quæ absolutè non erunt, v. g. verum erit, *si Domitianus in illam incideret, non concupisceret: si Neroni occurreret exosus ille, non iuberet interfici*, & ita de cæteris omnibus quæ infinita sunt: Appello autem Anonymi conscientiam an reuerâ putet ita esse: velitque omnibus illis assentiri tanquam veris.

Explicatur hoc ampliùs. Quia dum negas verum esse quod dico *si Domitiano illa occurreret, &c.* negas *futurum esse vt concupiscat*: & arbitraris te verè negare: ergo verum est per te, *si Domitiano illa occurreret, non concupisceret.* Hoc igitur scit Deus, postquam verum est: & ita datur in Deo scientia futuri conditionati negatiua. Quare non ergo detur & affirmatiua?

LII. Sed quod dicit, futura conditionata quæ non erunt absolutè, differre à merè possibilibus, nostro tantùm

concipiendi conditionatè & enuntiandi modo, non satis capio. Et quæro num ille concipiendi modus arbitrarius sit, an in rebus ipsis obiectisque fundamentum habeat? Nam si fundamentum est in obiectis, differunt re ipsa, & non tantùm nostro concipiendi modo: si non est, cùm sit merè possibile vt Nero homini quem oderit parcat, si detur eius copia; nullum erit inter hæc duo discrimen, *fore vt parcat*, & *fore vt sæuiat* ex illa hypothesi: dummodo nos eodem modo enuntiemus vtrumque.

Neque dicas alterum esse probabile, alterum non esse: quia non enuntiatur probabilitas, vt suppono; sed futuritio ipsa: quæ cùm non magis sit in vno quàm in alio, consequenter res enuntiata vtrobique eadem erit. Quin imò contradictoria conciliabuntur: neque vlla erit pugna inter fore vt aliquis sæuiat, & fore vt non sæuiat ex hypothesi: fore vt concupiscat & fore vt non concupiscat: fore vt rapiat & fore vt non rapiat, & sic de alijs omnibus.

Denique quod subiungit, cùm eiusmodi à Deo dicuntur futura, *Deum aliud quàm eorum futuritionem significare, velle*, pluribus à se dicit explicatum superiori capite; sed fuit paucis explicandum, quod sit ad intelligendum facile; multis autem probandum, quod sit difficile ad credendum vt constat ex ijs quæ obiecta sunt, & quæ supersunt dicenda. Atque hic est exitus *responsionum generalium*: audiamus particulares.

Num. 11. De futura conditionatè Tyriorum & Sidoniorũ pœnitentia.

LIII. Ad locum de futurâ conditionatè Tyriorum & Sidoniorum pœnitentiâ quatuor adhibet *expositiones*. Prima est, Christum *nihil aliud voluisse quàm increpare Iudæorum in credendo cordis duritiam per comparationem ad Tyrios ac Sidonios*: omnino ita est. Sed cùm duritiem Iudæorum increpet per comparationem ad futuram Tyriorum mollitiem vt sic dicam, hoc est ad futuram pœnitentiam illa verò & voluntaria fuerit, & conditionatè tantùm futura; sequitur à Christo cognitum esse aliquid & voluntarium & conditionatè futurum, quod tantùm intendimus. At, inquit, non significatur futura pœnitentia, sed melior tantùm ad pœnitentiam dispositio. Primùm verba ipsa,

ipſa, *pœnitentiam egiſſent*, futuram ex hypotheſi pœnitentiam ſignificant. Deinde minus apta eſt increpatio quâ vnius impœnitentia per majorem alterius ad pœnitendum diſpoſitionem arguitur: cùm ſit manifeſtum exprobrationes huiuſmodi non fieri congruenter niſi per oppoſitionem contratrij, & verſari ſemper circa ea quæ voluntaria ſunt ac libera. Impœnitentiæ autem, diſpoſitio ad pœnitentiam non opponitur; ſed ipſamet pœnitentia: & ea diſpoſitio ſi non eſt aliquid voluntarium ac liberum non facit ad increpationem, ſi eſt; habemus intentum, ſignificatur enim aliquid liberum ex hypotheſi futurum. Addo, poſtquam id quod dicitur tantùm hypotheticè futurum, non differt à purè poſſibili ex huius auctoris ſententiâ: nec eſt reuera tale quale dicitur; potuiſſe Iudæos ridere increpationem hanc, & dicere, quod ad pœnitentiam attinet, nullum inter ipſos & Tyrios eſſe diſcrimen; eſſe enim illam in vtriſque purè poſſibilem.

LIV. Secunda expoſitio eſt. In Chriſto homine *conditionalem illam ſcientiam eſſe potuiſſe*: at non propterea ſequi in Deo etiam eſſe. Heus tu mi Doctor, an concedis in homine ſcientiam aliquam eſſe, quæ non ſit in Deo? Scientia illa quæ in homine eſt, an eſt alicuius rei quæ non ſit, vt falſum dici poſſit illud philoſophi *quod non eſt, non ſcitur*. Quod ſi eſt id, quod ab homine ſcitur; an poteſt eſſe ignotum Deo? Et ſi non poteſt: & quod hic ſcitur à Chriſto, ſit *futura Tyriorum ſub conditione pœnitentia*, ita futuram ignorauerit Deus? Chriſtus, inquit, ſciuit tantum Tyriorum pœnitentiam habituram *moralem & probabilem cum miraculis apud eos factis connexionem*. Atqui nulla ſunt apud eos facta miracula: Ergo dici tantũ poteſt ſciuiſſe *ſi miracula fierent, moraliter & probabiliter ſequuturam pœnitentiam*. Quòd ſi hoc ſciuit Chriſtus, ſciuit & Deus; aut aliquod verum ignorauit. Scientia verò illa non alia fuit quàm futuri conditionatè, ergo ſcit Deus aliquid eſſe cōditionatè futurum, & teſtimonia quæ futuritionem illam ſignificare videntur reuera illam ſignificant, & ex intentione Dei, contrà quàm antea dictum ſit. Ergo nulla eſt ratio diſtinguendi inter ſcientiam Chriſti vt hominis, & ſcientiam

An poſſit eſſe in homine aliqua ſcientia quæ non ſit in Deo.

Dei ex parte obiecti, cùm vtraque idem formaliter repræſentet, aliquid, inquam, ſub conditione futurum. Nam ex parte actus infinita diſtinctio eſt inter cuiuſcumque rei ſcientiam humanam & diuinam.

Præterea ſatis bonus, vt opinor, Theologus erat Chriſtus: neque neſciebat, ſi quidem hoc ſcibile eſt, futurum quod dicitur conditionatum, non differre à *purè poſſibili*: & quia *pure poſsibilis* erat Tyriorum impœnitentia, etiam ex hypotheſi miraculorum; conſequenter ſciebat non magis futuram ex illa hypotheſi pœnitentiam, quàm impœnitentiam: ergo neque maiorem habituram cum illa hypotheſi connexionem, vnam quàm aliam; quia quod æquè non futurum eſt ex aliqua hypotheſi; æque non eſt connexum cum illâ. Quomodo ergo futuram potiùs prædixerit pœnitentiam quàm impœnitentiam? Et cùm ei, cui aliquid certum eſt, contrarium non poſſit dici probabile, niſi reſpectu eorum qui eâdem certitudine carent; quomodo Chriſto, cui certum erat non futuram Tyriorum pœnitentiam ex hypotheſi miraculorum, poſtquam hoc verum ſupponitur ab Anonymo, probabile fuerit illam futuram?

LV. Tertiam interpretationem aliorum quorundam „ eſſe dicit, qui cenſent Chriſtum eſſe loquutum per exag„ gerationem ad vehementiorem increpationem & expro„ brationem incredulitatis Iudæorum..... proindeque nihil „ minùs quàm de Tyriorum & Sidoniorum conuerſione & „ pœnitentiâ (præſertim ſcientiâ conditionatâ cognitis) „ cogitaſſe. Sed hi Auctores primùm videntur hebræijs eſſe nimis propitij, dum eorum pertinaciam ſupponunt fuiſſe increpatione Chriſti atque amplificatione minorem. Beneuolentiam illam erga Chriſtum potiùs oſtenderent; quem volunt *nihil minùs cogitaſſe*, quàm quod dicebat. Nam quòd addunt, *præſertim ſcientiâ conditionatâ cognitis*, Quid quæſo eſt? & quâ aliâ ſcientiâ potuerit Chriſtus ſcire futuram ex hypotheſi Tyriorum pœnitentiam quàm conditionatâ?

LVI. Quartam expoſitionem tentando proponit. Dici „ poteſt, *inquit*, locutum Chriſtum vſu communi homi-

num præsertim sapientum & senum. Qui vt notat Ari- „
stoteles in Rhet. de rebus humanis non admodum affir- „
matè & esseueranter loquuntur... vel quod modesti inge- „
nij sit, dubitanter loqui etiam tum cum non dubitat. „
Scire velim an sit ille sapientum & senum vsus, vt cum
certò sciunt aliquid non esse, affirment tamen, etiam
dubitanter, illud esse? & an hoc præcipiat Aristoteles in
sua Rhetorica? & an æquum fuerit Christum qui se *veritatem* esse verissimè profitetur, ita se Aristoteli conformare, vt quam certò sciret non futuram ex hypothesi Tyriorum pœnitentiam, ex hypothesi tamen futuram, etiam dubitanter, prædiceret?

LVII. Secundo loco scripturæ ex verbis Elisæi ad Ioam Regem Israël, easdem ferè adaptat interpretationes, quæ possunt iisdem quoque rationibus conuinci, nisi quòd eo loco non tam significatur quid homo ex hypothesi liberè faceret, quod potissimùm quæritur; quàm quid faceret ipse Deus, cùm sensus sit *si percussisses &c. dedisset tibi Deus vires ad percutiendam Syriam vsque ad consummationem.* Et ideo non tam facile vtor hoc loco atque aliis ad scientiæ mediæ probationem.

Elisæus ad Ioam de per cussione Syriæ 4. Reg. 13.

LVIII. Idem & ad tertium locum de futura ex hypothesi Ceilitarum proditione, cuius tantùm periculum Dauidi à Deo denuntiatum contendit, etiam si non esset actu in Ceilitis mala erga Dauidem voluntas. Vnde sequitur fuisse periculum hoc ex hypothesi tantùm futurum: & quidem ex ea hypothesi quæ nunquam fuit. Et quia quod est huiusmodi, non differt à *purè possibili*: & si futurum dici videatur, in alium sensum trahenda sunt verba quæ hoc significant, ex principiis huius Doctoris; consequenter neque hoc periculum significare voluerit Deus. Quærat igitur aliam expositionem. Addo credendum esse hoc Deum respondisse quod Dauid potissimum quærebat; hunc verò ex Prophetarum priuilegio quæsiisse quod aliunde scire non poterat, & quod sciri maximè intererat. An autem esset futurum traditionis periculum accedente Saüle, Ceilitasque subditos suos & ad resistendum longè impares obsidente, eo tantùm fine, vt ne illi

De futura ex hypothesi Ceilitarum proditione. 1. Reg. 23.

hostes ipsius tutarentur, quæ ratio in speciem æquissima erat; non poterat esse ignotum Dauidi. Sed cùm sæpe contingat vt illud non sequatur, cuius tamen periculum est; Dauidis intererat hoc nosse: vnde & hoc debuit quærere. Nam si reuera non erat sequutura traditio, poterat ille remanere non obstante periculo; si erat sequutura, debebat aufugere: non propter periculum traditionis, sed propter traditionem ipsam reuera futuram. Hoc igitur fuit, quod propheta quærere potuit ac debuit; idque à Deo, qui solus id certò scire potuit. Addo cùm periculum eius rei tantùm esse dicatur, cuius euentus incertus est: neque nos modo censeamus esse periculum ne sit aliquando extremum atque vniuersale iudicium, eò quòd diuina reuelatione certi simus esse futurum: aut esse periculum ne Beati è statu suo excidant; quòd hoc quoque certum nobis sit; Deus cui certum erat non futuram ex hypothesi Ceilitarum traditionem, vt vult Anonymus, vnde neque poterat velle illam significare vt futuram; tam sciuerit nullum eius esse periculum, quàm scimus nos, nullum esse ne mundi status iste perpetuus sit, neue improbi tandem aliquando abeant iniudicati atque impuniti. Quis autem nostrum vellet hoc denuntiare Ethnico v. g. cuipiam non habenti eandem quam nos fidem, si ab eo seriò interrogaretur? Vel quis non putaret se hominem ludificari, si non ex sua fide, sed ex illius ignorantiâ diceret illi, esse periculum ne nullus sit vnquam huiusce rerum status finis, nullumque proborum & sceleratorum commune iudicium? Ita igitur Deus illuserit Dauidi ex doctrina huius Auctoris.

cap. 4. De rapto ne malitia mutaret intellectum eius. LIX. Quartus locus ex libro sapientiæ continet perspicuam scientiæ mediæ probationem cùm dicitur de iusto non longæuo *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Cuius sententiæ obuius statim sensus est, cùm sciret Deus casurum si diutius viueret, præripuisse stantem adhuc & incorruptum. Sed occurrit statim Augustini expositio quædam, qua dicitur significata hîc tantùm huius vitæ pericula, quibus Deus eripere voluerit quem saluum cupiebat; non verò præscientiam futurorum peccatorum si

de prædest. ss. cap. 14.

uiuere fineretur. Cui obiectioni respondeo adeò esse perspicua S. Augustini testimonia pro scientia conditionata, vt ipsi etiam Thomistæ fateantur frustra proponi: neque aliud inquiri velint, quàm vtrum illis conficiatur dari huiusmodi scientiam independentem à decreto diuinæ voluntatis, quo modo tantùm media dici potest: an ab eo dependentem, qua ratione conditionata tantùm est, quam ipsi non negant. Est igitur ita interpretandus Augustinus, non vt neget quancumque futurorum peccatorum eius, qui rapitur in iuuentute, scientiam; sed vt talem neget qualem Massilienses affirmabant Cum autem Massilienses contenderent dari gratiam secundùm merita nostra, facilemque haberent vt videbatur, & vt indicat Augustinus hoc loco cap. 12. eiusce rei probationem in adultis: in quibus poterant supponere præuia quædam merita, quorum intuitu ad dandam gratiam Deus moueretur; vbi ventum est ad paruulos, quorum alij suscepta baptismi gratiâ saluantur, alij non susceptâ pereunt, *defecit*, inquit Augustinus, *omnis præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum*. Sed ne deficere omnino videretur, recurrere voluerunt ad merita si viuere finerentur, futura: cum dicerent, ideò mortuum illum accepto baptismo, quia erat bene victurus: illum non accepto, quia etiamsi reciperet, non erat tamen gratiam seruaturus. Itaque quod facit in adultis memoria præteritorum meritorum, hoc facere dicebant in paruulis præscientiam futurorum; quasi verò talis esset hæc præscientia futurorum, qualis est memoria præteritorum: vel qualis fuisse supponitur à Christianis omnibus præscientia meritorum Christi, quorum intuitu, diu antequam essent, gratia dabatur antiquis Patribus. Hoc igitur tantùm negat Augustinus: negat, inquam, supposito tanquam certo & indubitato, quòd alia futurorum meritorum præscientia mouere non possit ad dandum præmium, quàm illa quæ respondet memoriæ præteritorum: vel quæ similis est præscientiæ meritorum Christi, hoc est absoluta; talem vllam in Deo dari respectu paruulorum quos immatura mors rapit. Et ita cum sequere-

Et quid velit Augustinus dum ait hoc dictum, *secundum pericula huius vitæ*

tur ex sententia Massiliensium, falsum esse locum illum libri sapientiæ *raptus est ne malitia, &c.* quia postquam erant futura mala illius merita, iuxta ipsorum Philosophiam, rapiendus fuerat, non ad gloriam vt supponitur, sed ad pœnam: ideóque librum etiam ipsum suspectum haberent tanquam minus canonicum; Augustinus & pro libri auctoritate pugnat, & pro illius loci veritate; cum dicit, esse interpretandum *secundùm pericula huius vitæ:* nempe vt intelligatur miseria periclitantium diuinam misericordiam excitasse ad præuenienda peccata futura: non autem peccata futura diuinam iustitiam ad puniendum: neque enim hoc potuisse futura peccata, cùm illa diuinæ misericordiæ præuentio fecisset *non futura*, eo scilicet modo quo par est, vt Dei iustitiam irritarent; absolutè videlicet.

Deus sciens alicuius mali periculum non potest exitum nescire.

Neque aliud sentire potuit Augustinus, quòd sit manifestum, periculum omne ita esse cum alterutro euentu connexum; vt sit impossibile non sequi vel malum illud cuius esse periculum dicitur, vel felicem illius fugam. Vnde sequitur necessario, quicumque periculum supponit, supponere futurum alterutrum determinatè, quamuis id à nobis sciri nequeat: cùm verò supponas futurum determinatè alterutrum; existimare Deum distinctè nescire vtrum sit illud; hoc est nostram in illum ignorantiam transferre: possetque perinde dici, cùm sciat rem aliquam esse coloratam, & vel albam vel nigram; nescire tamen vtrum sit.

LX. Denique Anonymus contendit esse certè planè
" mirabile, Scripturam eiusmodi propositionibus condi-
" tionatis refertam, vnde Aduersarij suam eliciunt opinio-
" nem, neque ab interpretibus secundùm eorum men-
" tem fuisse vnquam explicatam: neque ab ijs hactenus
" eiusmodi scientiam vllibi fuisse insinuatam. Quæ conclu-
" sio videtur etiam mihi *planè mirabilis*, post tot testimonia SS. Patrum aliorumque Doctorum quæ congessit Didacus Ruiz in tractatu de scientia Dei, & alij Scholastici recentiores, quibus superiora scripturæ loca ita exponuntur, vt Thomistæ nullam amplius controuersiam esse

velint de scientia conditionatâ, sed de illius tantùm à Dei decreto independentiâ. Et mox liquebit iustiorem multò admirationem meam esse, quàm sit Anonymi. Qui hoc etiam attendisse debuit quod habet Augustinus in re consimili. Quid igitur opus est vt eorum scrutemur » opuscula, qui prius quam ista hæresis oriretur non habue- » runt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione » versari? Disputando nimirum veritas euoluitur: & quod obscurum latebat in eruditorum hominum cogitationibus tunc maximè quando ei contradicitur in apertum prodit, vt videri non debeat *planè mirabile*, quamuis daremus Antiquos scripturæ interpretes nihil admodum in ea quæstione versatos, quam Molina vt volunt primus disceptauit: satis nimirum esset non videri etiam contrarios nouis disputantium placitis.

de præ-
dest SS.
cap. 24.

CAPVT IV.

De Patribus & Doctoribus scholasticis.

LXI. IN diluendis Patrum testimonijs quæ scientiam mediam probare videntur, contrarias pugnantesque inter se solutiones ita confundit Anonymus: & manifestas deductiones ita negat; vt veritas illa quæ oculos illi fecit ab oculis amicorum diuersos, minimè amica fuisse videatur; sed ne veritas quidem. Quæstionem illam agitant Patres, Cur Deus præscius futuri Angelorum peccati, creauerit tamen illos? Cur item Adamum? Cur Saülem elegerit, &c. qua in quæstione præscientia futuri peccati ab illis certò supponitur quam nos contendimus esse conditionatam. Anonymus verò qui negat esse conditionatam, dicit primùm ex Patrum mente & communi Theologorum sensu hæc non dici nisi de scientia Dei absoluta, „ & respectu eorum quæ reuera & absolutè futura sunt: „ ideoque falsò & contra SS. Patrum mentem Aduersa- „

cap. 29. num. 2 » rios, præsertim Suarem, & Petrum à Sancto Ioseph ea in-
» terpretari de sua scientia media & præscientia conditio-
» nata creandi Angelos & homines, quam volunt præce-
» dere ratione absolutum decretum eos creandi & permit-
» tendi lapsum in peccatum: se mirari Suarem qui locum
Hieronymi in eum sensum interpretatur, quem constat
intelligendum potiùs *de absoluta* Dei scientia cum volun-
tate permittendi peccatum coniuncta, quæ verè præ-
scientia est. Ita ille num. 2. & mox num. 3. obiectionem
» Petri à sancto Ioseph ita proponit. At, inquit Petrus à S.
» Ioseph SS. PP. loquuntur de scientia directiua decreti
» diuini. Soluit autem ita, Omnino. Hæc autem scientia est
» conditionata. Negatur. Est enim solùm scientia præci-
» sionis, vel possibilium, quâ Deus nouit quid vel solus vel
» cum hac aut illa voluntate creata facere possit, quod suf-
» ficit vt hoc vel illud eligat & decernat. Patres loquuntur
Pugnantiâ. de scientiâ absolutâ & respectu eorum quæ reuera futura
sunt: item, de scientia cum voluntate coniuncta, quæ re-
uera præscientia est: & tamen Patres intelligendi sunt de
scientia præcisionis & possibilium, quæ directiua est de-
creti diuini, sicque accedente illo decreto scientia visio-
nis. Hæc quæso quomodo quadrant? Scientia Dei vt
coniuncta cum voluntate est-ne scientia præcisionis? Vt
coniuncta cum voluntate est-ne directiua voluntatis? Si
propriè loquimur, quod est directiuum debet ne inclu-
dere quod est directum, & quod est efficiens, ipsum effe-
ctum? Et vide quomodo idipsum iterum destruit. Itaque
» cum in prædictis quæstionibus & responsionibus fiat tan-
» tùm comparatio externæ productionis rerum in tempo-
» re, cum æterna & interna Dei scientia & præscientia ab-
» soluta, quam habet de peccatis malorum deque ordine
» rerum omnium, qui & à parte rei futurus est; nulla in eis
&c. Externam productionem Patres comparant cum
æterna præscientia, quam Deus habet de futuris: & ta-
men præscientia de qua loquuntur, est tantùm scientia
præcisionis, vel possibilium, quâ Deus nouit quid facere
possit? Hæc fortè videantur maiori admiratione digna
quàm quæ antea ex Suare allata sunt.

LXII.

LXII. Iam verò quia *ne verbulum quidem* esse dicit in omnibus Patrum dictis, *scientiæ aut præscientiæ conditionatæ*; nec eam illos, *vllo modo supponere aut attingere*, ostendo tam euidenti deductione scientiam de qua illi loquuntur aliam esse non posse quàm conditionatam, vt hoc etiam loco dum repugnat Anonymus *mirabilis* sit, qui tam facilè alios miratur. Esset enim aliàs SS. Patrum dubitatio absurdissima. Nam quod ipse dicit comparare SS. Patres externam & temporalem rerum productionem cum æternâ futurorum præscientiâ, idem est ac si diceret, Patres hoc quærere, cur Deus in tempore Angelum produxerit, quem sciebat ab æterno peccaturum eâ scientiâ, quæ vel supponit voluntatem creandi, vel cum eâ coniuncta est; item eâ quæ similiter coniuncta est cum voluntate permittendi peccatum: ac proinde ista erit Patrum dubitatio. *Quare Deus, supposita eà scientia quam habebat conuinctam cum voluntate creandi Angelum, & permittendi peccatum illius: illum nihilominus in tempore creauit?* quæ isti alteri æquiualet. *Quare supposità voluntate creandi Angelum & peccatum illius permittendi, quæ ab æterno fuit in Deo, Deus illum nihilominus creauit in tempore?* Æquiualet, inquam. Quia qui supponit scientiam cum voluntate coniunctam, supponit ipsam voluntatem: & ideo qui quærit *cur supposita scientia cum voluntate coniuncta, &c.* quærit etiam *cur supposita voluntate*, vel quòd idem est, *cur supposita scientia & voluntate.* Illam autem interrogationem, *cur supposita scientia & voluntate creandi & permittendi peccatum, Deus creauerit & permiserit?* Quis non videt & esse ineptissimam, & ingenio ac sapientia SS. Patrum prorsus indignam? Quid enim hoc monstri est? quærere *cur Deus aliquid fecerit, ex suppositione quod illud facere vellet?* Manifestum enim est, suppositionem illam quæ additur interrogationi, continere causam dubitandi, & difficultatem quæ in eius solutione diluenda est; itáque idem esse, quærere, *cur supposita scientia, &c.* & quærere, quomodo scientia, quam supponimus, non impedierit ne fieret quod factum miramur. Quod si supponitur & scientia & voluntas faciendi; en tibi speciem interrogationis exi-

Cap. 19. num. 1.

Patres omnino intelligendos de scientia conditionatâ.

miam. *Quomodo ſcientia coniuncta cum voluntate creandi Angelum, & cum voluntate permittendi peccatum illius, non impedierit ne ille in tempore crearetur?* Et quis adeo ſit ingenioſus, vt miretur, quòd voluntas aliquid faciendi non impediat ne illud fiat? aut quòd ſcientia quæ non impedit ne aliquid velimus, non impediat ne faciamus?

LXIII. Eſt igitur manifeſtiſſimum non eſſe hîc coniungendam ſcientiam cum voluntate; ſed potiùs ſeparandam, ne ſit inſulſa dubitatio: nec interrogandum, cur ex hypotheſi quòd ſciret & vellet, aliquid fecerit; ſed cur ex hypotheſi quod ſciret, facere voluerit. Nempe dum agitur de agente libero, nec eſſe, nec quæri debet aliâ ratio actionis externæ, quàm quæ cauſa & ratio eſt volitionis internæ: ſitque ridiculus qui petat à me, cur aliquid fecerim; ſi aliud intendit quàm ſcire cur facere voluerim. Item, ſi miretur quomodo aliquid non impedierit ne facerem, ex hypotheſi quòd vires non deeſſent, aliâ de causâ, quàm quia neſcit quomodo non impedierit ne vellem. Eſt igitur hic ſenſus SS. Patrum, & alius eſſe non poteſt. *Cur Deus cum ſciret peccaturum Angelum, ſi creare vellet in eo ſtatu in quo illum creauit; voluit tamen creare: atque in eo ſtatu conſtituere?* ſeu, *Quare illa præſcientia non impediuit hanc voluntatem?* & *Quæ fuit ratio quæ vinceret difficultatem illam volendi creare, quam proponebat præſcientia ſequuturi peccati?* Hac ratione interrogatio illa ſpeciem habet idoneam, nodumque obijcit cum cura & labore diſſoluendum. Sed perſpicuum etiam eſt, ſcientiam illam peccati, ſi vellet Deus Angelum creare, ſequuturi, aliam eſſe non poſſe quàm ſcientiam conditionatam. Quod ita demonſtratur. Quia, ſcientia quæ poteſt impedire ne aliquid ſit abſolutè futurum, non poteſt eſſe ſcientia quâ illud ſciatur vt abſolutè futurum. Atqui ſcientia de qua Patres loquuntur poterat impedire ne peccatum Angeli eſſet abſolutè futurum, vt ipſi ſaltem ſupponebant: ergo non erat ſcientia, quâ illud ſciretur vt abſolutè futurum: & tamen ſciebatur vt futurum. Hoc enim Patres apertè ſignificant; Ergo vt futurum tantùm conditionatè.

Vt verò pateat hanc esse omnino SS. Patrum senten-tiam, sufficit vnus Augustini locus ex 22. de Ciu. Dei vbi dicit Deum cùm præsciret Angelos quosdam per elatio-nem, qua ipsi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti " boni desertores futuros, non eis ademisse hanc potesta- " tem, potentius & melius esse iudicantem, etiam de malis " benefacere, quàm mala esse non sinere. *Item*, Cùm simi- " liter præuaricatione legis Dei per Dei desertionem " peccaturum esse hominem præsciret: nec illi ademisse " liberi arbitrij potestatem, simul præuidentem quid boni " de malo eius esset ipse facturus. Quo loco quis non videt " Dei prouidentiæ ac liberæ dispositioni attribui ab Augu-stino quòd vsum liberi arbitrij reliquerit, tum Angelo tum homini, quamuis sciret eo abusuros? Quis item non videt scientiam illam qua videbat abusuros, scientiam futurorum absolutam esse non posse? Implicat enim esse scientiam absolutam futuri; & tolli causam sine qua im-possibile est illud esse futurum. Ergo cum sublato libero arbitrio impossibile sit peccatum esse futurum: conse-quenter sublato libero arbitrio, implicabit esse scien-tiam absolutam futuri peccati: & vice-versa, supposità scientià absolutà futuri peccati, implicabit liberum ar-bitrium adimi: Ergo quod non adimatur supposità illa in Deo scientià, non est tribuendum liberæ Dei dispositio-ni, sed impossibilitati potiùs: nec dicendum *melius indi-casse Deum* vbi non potuit aliter facere: ergo vt constet Augustini sensus & ratio; euidens est aliam illum intelli-gere futuri peccati scientiam, quàm absolutam: alia verò nulla est nisi conditionata. Quasi dicerem, Scientia futu-ri peccati de qua loquitur Augustinus, ea est, quâ suppo-sitâ liberum est Deo adimere aut non adimere liberum arbitrium peccaturo: Atqui supposita scientiâ absolutâ futuri peccati, non est liberum Deo adimere aut non adi-mere liberum arbitrium peccaturo: Ergo non loquitur Augustinus de scientia absoluta futuri peccati: Ergo lo-quitur de conditionata, quòd alia nulla sit scientia futuri peccati.

Id ipsū pa-tet in Au-gustino c.1.

LXIV. Huic Augustini loco subnectam illum etiam Altera ex

Augustino confirmatio. quem Anonymus putat *vel non legisse Alarçon*, qui eo vtitur in tract. de scientia Dei, *vel non intellexisse, sed nec satis fideliter retulisse* adeò est liberalis hic Auctor etiam cum ijs quos amicos vocat. Exhibebo autem in primis locum integrum: tum deinde rationem tam acerbæ censuræ, vt videat Lector eruditus, ecquis Augustinum meliùs *aut legerit, aut intellexerit*. Verba igitur Augustini sunt. De

de corrept. & gra. c. 8.

„ his disserimus qui perseuerantiam bonitatis non habent,
„ sed ex bono in malum deficiente bonâ voluntate moriun-
„ tur. Respondeant si possunt cur illos Deus cùm fideliter
„ & piè viuerent, non tunc de vitæ eius periculis rapuit,
„ ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deci-
„ peret animas eorum? Vtrum hoc in potestate non habuit?
„ An eorvm mala fvtvra nescivit? Nempe nihil
„ eorum nisi peruersissimè atque insanissimè dicitur. Hîc Anonymus interrogat, *vbi hîc scientia conditionata*? Respondere possum, interrogando vicissim, vbi oculos habeat qui eam non videt? Scientia conditionata hoc loco illis verbis continetur: *An eorum mala futura nesciuit? At*, inquit, *nonne disertè loquitur Augustinus de malis verè futuris*. Loquitur, inquam, de malis verè futuris: sed eorum in Deo scientia duplex est; alia quæ dependet ex decreto absoluto ponendi conditionem ex cuius suppositione futura sunt; & illa est scientia visionis, & absoluta præscientia futuri peccati: alia est independens à tali decreto & mansura quamuis illud non conciperetur; & illa est scientia conditionata; quam dico ab Augustino intelligi verbis illis *an eorum mala futura nesciuit*. Quia est euidentissimum, scientiam futurorum malorum hîc eam designari, quâ dirigi poterat diuina *potestas* vt ea præueniret impediretque ne fierent absolutè futura, seu de scientiâ, quæ motiuum Deo exhibebat rapiendi homines quorum malitia intellectum erat mutatura: scientiam autem hanc implicat fuisse absolutam, & à decreto non rapiendi homines pendentem. Quia, vt antea dicebam, suppositâ scientiâ peccati vt absolutè futuri, & absoluto decreto ponendæ conditionis ex qua illud infallibiliter sequuturum est; implicat Deum illud præuenire posse: aut rapere

peccaturum. Hoc enim idem esset ac rapere quem non rapiendum decreuisset. Essetque ridiculus, qui vt facit Augustinus hîc, ad occultam & inscrutabilem diuinorum iudiciorum causam referret, quòd non fecerit Deus, id quod erat impossibile ipsum facere: nempe supposità scientià peccati vt absolutè futuri, reddere illud non futurum absolutè, rapto peccatore antequàm peccaret. Non est igitur illa scientia quam intelligit Augustinus illis verbis *an eorum mala futura nesciuit*, absoluta scientia peccati vt futuri. Et tamen est scientia peccati vt futuri, vt patet: Ergo est conditionata. Iterum dico Augustinum apertè coniungere scientiam illam peccati cum liberâ potestate rapiendi peccaturum, cùm dicit, Respondeant si possunt, cur illos Deus cùm fideliter & piè „ viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne „ malitia mutaret, &c. vtrùm hoc in potestate non habuit? „ An eorum mala futura nesciuit? Quæ verba manifestum „ est, aut istum habere sensum, aut nullum: *respondeant si possunt, cur Deus cùm & sciret peccaturos plerosque ex reprobis, si viuere finerentur: & posset pro sua libera voluntate anteuenire peccata huiusmodi, sublatis præuià morte peccaturis; hoc non fecit?* Et supponit Augustinus non posse respondere quos interrogat. Quod si per illam scientiam peccati futuri, absolutam intelligeret, & quæ pendet ex decreto finendi viuere peccaturos; coniungeret cum potestate illos rapiendi suppositionem quâ id ipsum fieret impossibile: atque adeo hæc scientia potestati coniuncta ligaret illam atque impediret; vnde idem esset dicere. *Respondeant si possunt quare Deus habens cum tali potestate talem scientiam, non rapuerit peccaturos*; ac dicere, *respondeant si possunt, cur Deus habens rapiendi potestatem impeditam, non rapuerit tamen peccaturos?* Quâ interrogatione quid absurdius fingi potest? aut quis hærere vt responsum inueniat? fit autem omnino congrua, si scientia conditionata supponatur in hunc modum; Respondeant si possunt, cùr „ Deus cùm sciret peccaturos ex hypothesi quòd viuere „ finerentur, possetque pro sua liberâ voluntate, non po- „ nere illam hypothesim: hoc est, non finere illos diutius „

„ viuere: atque ita impedire, ne quæ futura tantùm erant
„ ex hypothesi peccata, fierent etiam simpliciter & absolutè
„ lutè futura; non hoc fecit? *siue*, Quare non est vsus illa
„ scientia, vt pro sua potestate tolleret, aut non poneret
„ hypothesim, ex qua videbat peccatum sequuturum?
Hac, inquam, ratione aptissima est interrogatio: & meritò dicit Augustinus, *respondeant si possunt*. Neque enim aliud respondere possunt quos interrogat; nisi quod Augustinus potissimum intendit, hoc est, *O homo tu quis es? O altitudo diuitiarum! &c.* Hanc solam esse veram Augustini mentem volens nolens fateatur Anonymus necesse est, si eam quam ab alijs exigit in eo intelligendo attentionem ipse præstet.

cap. 14. num. 5. LXV. Eâdem facilitate potuissem inuenire apud Antiquiores Scholasticos scientiam mediam, Et primò vereor
„ ne confidenter nimium affirmet. Neminem illorum, nec
„ vllum alium ante Molinam, de Dei scientia media, ne per
„ somnium quidem vnquam cogitasse: nec eam vllibi vel
„ supposuisse, vel adhibuisse ad vllam siue scripturæ sacræ,
„ siue Theologiæ scholasticæ difficultatem expediendam.
Hoc enim si esset dictum ab aliquo Thomistarum, qui scientiam mediam à conditionata distingunt, tolerabile forsan videretur: sed cùm iste Doctor ambas confundat; quis non miretur adeò affirmatè negare illum cognitam fuisse veteribus scholasticis scientiam conditionatam; quam Thomistæ tam clarè apud illos extare fatentur, vt dicant nos actum agere, dum id probandum suscipimus? Nempe nisi suo illam nomine nuncupent Auctores; ac totidem verbis dicant, dari scientiam conditionatam, aut scientiam mediam; vel, præter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis absolutè futurorum expressiuam, dari aliam quæ futura ex hypothesi repræsentet: non putat ab vllo mortalium sufficienter designatam scientiam conditionatam Quâ ratione poterimus etiam negare de homine cogitasse, qui animal risibile, aut admiratiuum dixerit.

Antiqua scientiæ conditionatæ persuasio.

Aug. l. de bono per. LXVI. Sed dicat nobis quam scientiam cogitaret ille,
„ qui tempore Augustini dicebat Præsciisse Dominum Ty-

rios & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cùm factis „ perſeu.
apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordia potius non „ cap. 10.
illic iſta feciſſe. Quorum grauiori pœnæ obnoxij fierent, „
ſi fidem quam tenuerant reliquiſſent? An potuit alia eſſe „
illa ſcientia quàm conditionata? & tamen *Diſputator* erat
Catholicus qui hoc dicebat; & *non ignobilis, Doctus homo*,
& *admodum acutus*. His enim laudibus exornatur ab Auguſtino. An legerat hunc locum Anonymus cùm neminem eorum quos Ruiz laudet *nec vllum alium ante Molinam, ne per ſomnium quidem cogitaſſe vnquam* de ſcientia conditionata pronuntiauit? Cùm verò conſtet mille teſtimonijs Auguſtini, Semipelagianos ſcientiâ conditionatâ, quam adſtruebant, ad errorem ſuum abuti ſolitos; & iam videamus Catholicum dici qui opinionem eius ſcientiæ cum illis habebat communem; quid aliud poſſumus iudicare, quàm ſolum illius Doctrinæ abuſum Semipelagianis vitio tributum, non verò Doctrinam ipſam? Id quod etiam ex eo liquet, quòd dum eos Auguſtinus refellit, nuſquam inuenitur ipſam huiuſmodi ſcientiæ ſuppoſitionem, ſed ſolum abuſum oppugnaſſe. Quòd ſi erat illo tempore communis illa ſuppoſitio tum hæreticorum tum Catholicorum; adeò fuerint qui ſubſequuti ſunt imperiti, adeóque in voluendo Auguſtino atque intelligendo inexperti, *nullus* vt ea de re *cogitarit vnquam, ne per ſomnium quidem*. quod eſſet eo ſæculo adeò tritum?

LXVII. Negat tamen Anonymus id à ſe vel *calumnioſè* 16. num. 2.
vel *thraſonicè* dictum: atque vt huiuſce rei fidem faciat, ex multis quos Didacus Ruiz protuliſſet, ſpondet ſe speciminis gratiâ monſtraturum in tribus, nihil eos minùs quàm de ſcientia conditionata cogitaſſe. Sunt autem ij, Magiſter ſententiarum, S. Bonauentura & S. Thomas. Ego verò eodem quo ille breuitatis ſtudio & ſpeciminis causâ de tribus illis vnum deſigno: & ſine alio delectu quem primum offert, vt oſtendam hunc Doctorem non præſtare quod promittit. Verba Magiſtri ſententiarum hæc ſunt. Mouentur aliqui dicentes, cur creauit Deus „
quos futuros malos præſciebat? Quia præuidit, quid bo- „ Scien-
ni de malis eſſet facturus. *Et poſt pauca*. Fruſtra dicitur, „ tiâ con-
ditiona.

tam Magister sententiarum apertè supponit.

» non debebat Deus creare, quos præsciebat malos futu-
» ros; sciebat enim bonis profuturos. *Tum verò Anonymus.*
» Quis vel Theologus, vel Philosophus ex his verbis infe-
» rat Magistrum sententiarum existimasse aut supposuisse
» in Deo esse scientiam conditionatam? At, inquam, quid habeat vel Theologi vel Philosophi qui hoc inde non inferat? An non respondet Magister, admissâ suppositione interrogantium? Huius suppositionis numquid hæc vna pars est; *Deus sciebat peccaturos quos creabat?* Numquid hæc est alia *Deus illa scientia induci poterat vt non crearet?* Fatui enim fuerint interrogatores, si alterutrum non supponerent. Iuuat autem hoc admisso huius Doctoris appellare Theologiam, quam in alijs desiderat, censeat-ne Deum scientiâ peccati vt absolutè futuri potuisse induci vt peccatorem non crearet? Nam si potuit, cùm hæc sint necessariò connexa, non creari peccatorem, & Deum non præscire absolutè ipsum peccaturum, sequitur eâ scientiâ quâ Deus sciebat absolutè aliquem peccaturum, fieri potuisse vt præsciret absolutè ipsum non esse peccaturum. Quia postquam illâ fieri potuit vt non creare decerneret: ac proinde vt sciret absolutè non creandum, potuit consequenter fieri, vt sciret absolutè non peccaturum. Quod quàm sit non modo non Theologicè, sed ne Philosophicè quidem dictum, Aduersarij iudicium sit. Quòd si non potuit absolutâ futuri peccati scientiâ Deus induci, vt non creandum peccatorem decerneret, cùm tamen induci potuerit aliquâ scientiâ futuri peccati, vt Magister supponit; restat vt illa fuerit scientia peccati sub conditione futuri. Ergo aberrat toto cœlo cùm subijcit, *An non verba præscire, & præuidere, & scire bonis profuturos, manifestè scientiam visionis indicant*, Quia manifestè aliam indicant quàm scientiam visionis, si quidem indicant eam quâ Deus adduci potuit vt creare nollet peccaturum. Et dum addit *vel vt alijs placet de scientia simplicis intelligentiæ quam causam rerum esse volunt, accipienda sunt*; verba perdit. Fac enim intelligi de illa scientia; quid aliud obtinebit, quàm scientiam simplicis intelligentiæ aliquâ sui parte scientiam esse conditionatam? Hoc verò

parùm

parùm curamus, cùm ſit tantùm propoſitum efficere vt aliqua eſſe dicatur ſcientia, quâ Deus ſcit id quod eſt tantum ex hypotheſi futurum dependenter à causâ liberâ creatâ. quo ſemel impetrato, iam ſæpe dixi per nos licere vt vel ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel ad ſcientiam viſionis reducatur, aut ſuum ſeorſum ab illis locum occupet.

CAPVT V.

Rationibus Quomodo ſatisfaciat.

LXVIII.  Ationes etiam pro ſcientia media, præſertim eas quas tum Ludouicus à Dola ex Ordine PP. Capucinorum, tum Petrus à S. Ioſeph Ciſtercienſis propoſuerant, diſſoluere conatur Anonymus cap. 30. & 31. Quantâ felicitate, iam videndum eſt. Prima petitur ex neceſſariâ libero agenti cognitione, ad prouidendum quid ſit, aut non ſit ex eo quod decernit, ſequuturum. In quâ referendâ ſoluendâque diſertus eſt; ſed neſcio quo modo factum ſit, vt copia verborum obrueretur & argumenti vis, & æquitas ſolutionis. Argumẽtum hoc aſſumit, pertinere ad perfectionem agentis liberi, vt decretum quo aliquid conſtituit, dirigatur à præcognitione eorum quæ ſequutura ſunt ex ea re quam decernit; & ita, inſipientem eſſe patrem v. g. qui filium Toloſam mittere ſtudiorum causâ ſic proponit, vt propoſitum hoc non dirigatur à præuio iudicio, quo præſentiat, futurum ne ſit omnibus penſatis, vt eâ occaſione vel det operam literis re verâ; vel abripiatur exemplo conſilioque perditorum adoleſcentum, quales in amplâ & populoſâ ciuitate occurrere facilè poſſunt. Hoc enim dato, quod negari non poteſt, inſuper additur, pertinere igitur ad perfectionem primæ cauſæ liberæ, vt decretum

Scientia conditionata perfectæ prouidentiæ neceſſaria.

quo ſtatuit v. g. hoc aut illo modo creare Angelum, dirigatur à præuia cognitione repræſentante, quid ſit aut non ſit ex Angelo ita creato ſequuturum. Item, vt decretum quo ſtatuit creare hominem, eumque ſerpenti permittere tentandum, dirigatur à præuia cognitione qua ſciat quid ſit aut non ſit ex tali tentatione ſequuturum. Eſſet enim inordinata & imprudens agendi ratio, ſi decerneret primò Deus futurum aliquid, ac deinde diſceret ecquid aliud ex futuro illo eſſet præterea futurum, cùm ſit ſpecies ignaui hominis atque inconſulti ita decernere, *interea faciendum eſt hoc, poſtea videbimus quid ſit ſequuturum.*

Iam verò ita ſubſumimus. Atqui præcognitio illa euentus ſequuturi ex re decretâ, eſt ſcientia conditionata. Scientia enim eſt, quòd opinio & coniecturalis cognitio in Deo eſſe non poſſit: & eſt ſcientia futuri, vt ſupponimus: & non eſt ſcientia futuri abſolutè, quod ſit directiua & independens à decreto quo aliquid abſolutè ſit futurum; ergo eſt ſcientia futuri conditionati.

LXIX. Hæc eſt prima ratio, cuius ſolutionem in tres paginas diſtendit, & earum ſumma eſt, neque agenti creato libero, neque Deo neceſſariam eſſe ſcientiam conditionatam ad prudenter aliquid decernendum: ſufficere enim abſolutam, de rerum agendarum *naturâ, poſſibilitate, impoſſibilitate*, &c. & in Deo ſufficere ſcientiam quam vocat præciſionis, quâ res omnes *poſſibiles, omneſque modos poſſibiles agendi & concurrendi cum cauſis tam neceſſarijs quàm liberis illæsâ earum libertate, pleniſſimè, clariſsime, & diſtinctiſsimè nouit.* Quæ ratio dicendi hoc habet peruerſi, quòd videatur negare concluſionem argumentationis, cùm deberet prius reſpondere præmiſſis. Dicat nobis, an verum ſit, eum qui aliquid decernit, ſi prudenter decernit, dirigi debere à cognitione repræſentante quid ſit ſequuturum ex eâ re quam decernit, necne? An non eo debeat eſſe perfectior huiuſmodi cognitio, quo perfectior eſt agentis prouidentia: vnde fiat in Deo eſſe debere perfectiſſimam? An ſufficiat ei qui filium, vt dicebam, mittit, quòd ſciat eſſe poſſibile vt ſtudio literarum attendat, &

esse possibile vt distrahatur inde, atque abducatur in praua? Et num debeat insuper, quantum potest, præsentire conijciendo, vtrum illorum futurum sit? Et quod conficitur coniecturis ab homine, an non debeat à Deo certâ comprehensione teneri? Ad hoc expectatur distincta responsio; quæ quia non poterit esse negatiua, nisi sit omnino improbabilis & absurda: facilè deinde fuerit extorquere cognitionem huiusmodi non posse non esse conditionatam. Nam quod dicit in Deo scientiam præcisionis eo munere fungi, falsum est, si ea est tantùm possibilium repræsentatiua, hîc enim quæritur scientia diuini decreti directiua, quâ intelligatur non quid sequi possit ex Angeli creatione, sed quid sequuturum sit: item quid sit sequuturum ex creatione ac tentatione hominis. Scientia verò præcisionis repræsentat sòlùm quid sequi possit: aut si etiam repræsentat quid futurum sit, iam eâ sui parte illa est quam quærimus, scilicet scientia conditionata. Atque hinc patet hanc rationem ab hoc Auctore insolutam relinqui.

LXX. Id quod etiam de illa dicendum quæ secunda nobis est ex num. 8. nam quæ intercurrunt communem habent cum eâ quæ nobis est quarta, difficultatem. Ducitur autem ab absurdo quod sequitur ex negatione scientiæ conditionatæ, Deum scilicet ab hominibus interrogatum non habiturum quid respondeat, nisi se nescire. Fac enim ab eo peti. An Rex victoriâ potiturus sit, si cum hoste confligat? Siue potiturum respondeat, siue non potiturum, ostendet conditionatam esse suam scientiam, quæ quia esse non potest ex Aduersarijs, restat vt dicere debeat, se nescire.

cap. 30. Sine scientia conditionata nesciret Deus interroganti respondere.

Cui obiectioni ita est responsum ab Anonymo, vt eam non capere videatur. Ita enim loquitur. Vel erit pugna „ illa vel non erit; si non est futura, *subaudi* absolutè, cùm „ id sciat Deus scientiâ simplicis intelligentiæ, respondebit „ Deus absolutè quòd nec pugna nec victoria erit. Si verò „ futura est pugna, &c. sufficit enim prius illud membrum „ vt pateat hunc Auctorem Deum finxisse in respondendo similem sui. *Respondebit*, inquit, *Deus absolutè quòd nec*

pugna nec victoria erit: Ergo respondebit quod non interrogatur. Non petitur à Deo, sit-ne absolutè futura vel pugna vel victoria: sed petitur an esset futura victoria si esset pugna? Quæ interrogatio expectat responsionem, etiam si iam auditum sit neutram futuram. Suppono inquam, Deum iam respondisse non fore pugnam, nec consequenter fore victoriam. Hoc audito, nunquid interrogari adhuc potest, *sed quid si esset, aut si fuisset pugna num etiam esset aut fuisset victoria?* Hîc iam quid dicet Deus? *fuisset?* aut, *non fuisset?* atqui neutrum scire aliter potest quàm scientiâ conditionatâ, quam qui subtrahit, Deum cogit dicere se nescire.

LXXI. Tertiâ ratio quæ proponitur ac soluitur cap. 31. hæc assumit. Esse in Deo intelligendi vim infinitam, quam nulla veritas lateat: Esse etiam veritatem quæ significatur his verbis, Agens liberum si ponatur in his vel illis circumstantijs consentiet diuinæ gratiæ: Si ponatur in his vel illis non consentiet: Ergo Deum hoc non latere: sed neque ab eo sciri posse aliâ scientiâ quàm conditionatâ seu mediâ: Esse igitur admittendam talem scientiam.

Ad hoc argumentum duas adhibet responsiones, quarum ego quid probet prima vel quid valeat non satis video, nisi corruat in secundam. Distinguit enim minorem propositionem, maiorem quoque velle visus disceptare. Distinguit autem illud, *consentiet*, vel *non consentiet*: Deum enim hoc scire non vt aliquid futurum, sed vt aliquid actu præsens. Atqui sufficit nobis quòd Deus scire concedatur id quod est nobis hypotheticè futurum. Illam enim scientiam dicimus esse conditionatam, siue hoc videat *vt futurum* siue *actu præsens*: dummodo & *actus* ille, & illa *futuritio* sit ex conditione suspensa. Vnde hoc insuper addere debet, nihil omnino esse quod respectu nostri sit hypotheticè tantùm futurum, aut hypotheticè tantùm non futurum dependenter à causâ liberâ creatâ; sed quidquid est futurum hypotheticè, esse etiam futurum absolutè: & quidquid non est futurum absolutè, non esse etiam futurum hypotheticè: quorum alterum sciatur scientiâ visio-

nis: alterum scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ est secunda responsio ex antea dictis satis refutata: monstratum enim est verè dici ac putari aliquid esse nobis futurum hypotheticè, quod non est futurum absolutè, cuiusmodi fuit olim conuersio Tyriorum si prædicatio & vocatio præcessisset. Nec video quâ ratione negare aliquis possit in quibuscumque circunstantijs Neroni occurrissent inimici, qui reuera non occurrerunt, non fuisse illum eis nociturum, & sic de alijs.

LXXII. Sed & superest argumentum quo probetur aliquid non esse absolutè futurum, quod tamen negari non potest esse futurum hypotheticè, ipsa nimirum libera liberi actus omissio: siue pura sit, siue non pura: quæ quando non est absolutè futura liberæ causæ hypothesis, neque ipsa absolutè futura est. Et tamen tum cùm negatur absolutè futura, negari non potest futura hypotheticè. Quia si neges hypotheticè futuram, concedas necesse est, futurum illius contradictorium, actum scilicet liberum. Supponamus, inquam, absolutè futurum esse vt hic homo non eat ad comœdos; ac proinde hanc hypothesim nunquam esse absolutè ponendam, *si homo ille comœdos audiret, &c.* hinc ego sequi dico futurum absolutè vt ille non concipiat vllam voluntatem malam. Sed non est futurum absolutè vt malum huiusmodi voluntatem omittat liberè. Libera enim hæc omissio vt absolutè dicatur futura, hypothesis causæ liberè omittentis absolutè quoque sit futura necesse est: quæ tamen hîc supponitur non futura. Non est igitur absolutè futurum vt ille homo liberè omittat voluntatem malam apud comœdos. Peto autem vtrum omissionem hanc quam negas absolutè futuram, neges quoque futuram hypotheticè; velisque conditionalem hanc esse veram, ille homo qui reuera non ibit ad comœdos, si tamen iret, non omitteret liberè malam voluntatem? Si enim verum est illud *non omitteret liberè*; ergo est verum *liberè conciperet malam voluntatem*, quòd sit impossibile liberam omissionem separari à causâ liberâ completâ, nisi liberâ positione actûs omissi, quem tamen ipse negas hypotheticè ponendum. Quòd si

Esse aliquid hypotheticè futurû quod non est futurum absolutè.

verum eſt contrarium, nempe, *libere omitteret*: Ergo habemus futurum aliquod exercitium liberum ex hypotheſi, quod non eſt futurum abſolutè: ac proinde aliquid eſſe ſcibile per ſcientiam conditionatam tantùm, quod non ſit ſcibile per vllam abſolutam.

Alterutrũ libertatis exercitium eſſe inſeparabile à ſuppoſitione cauſæ liberæ cõpletæ.

Nempe libera productio, vel libera omiſſio actûs poſitiui adeò neceſſariò coniungitur cum ſuppoſitione cauſæ liberæ completæ; vt non ſit minus impoſſibile eſſe hanc ſuppoſitionem & non eſſe alterutrum ex illis, ac eſt impoſſibile ſupponi animal, & non ſupponi quòd ſit rationale vel irrationale. Ac proinde ſicut deſignatâ hypotheſi animalis ſingularis, ſequitur neceſſariò, vt ſit reipſa rationale vel irrationale: ita vt ignorantis ſit non poſſe diſtinctè dicere vtrum ex illis ſit; ita deſignatâ hypotheſi cauſæ liberæ completæ, vt eſt v. g. *hic homo comœdos audiens*, impoſſibile eſt vt non ſequatur, vel liberum exercitium malæ voluntatis, vel libera illius omiſſio: adeò vt omniſcius eſſe nequeat, qui dicere non poteſt vtrum ex illis eſſet poſitâ illâ hypotheſi. Quodcumque igitur ex illis ſciat Deus, ſcit ſemper aliquid futurum ſub conditione quæ reuerâ nuſquam erit: quod eſt ſcire futurum tantùm ex hypotheſi.

De prædefinitione liberorum actuum.

LXXIII. Quarta & vltima ratio difficultatem illam mouet, quæ quòd ſit trita, nihilo tamen minùs aſpera eſt, de abſoluto Dei decreto circa liberos creaturarum actus; quod neque negari omnino poteſt: nec ſeclusâ ſcientiâ mediâ exponi commodè, ita vt ſalua ſit tum libertas creaturæ, tum Dei ſanctitas circa malos actus. Et quidem quod ad malos actus attinet, non inuenio ab hoc Auctore vſpiam explicatum, quomodo ſe habeat Deus circa illos: quæue ſit ratio illos præſciendi: niſi quod ſæpius inculcat Deum non eſſe malorum cauſam ſed cùm hoc etiam dicant ij, qui tamen eorum prædefinitiones admittunt; neſcimus an eandem ipſe aleam ſubeat: an malit negatâ malorum prædefinitione ſpecialem igitur rationem quærere, cur ſit neceſſaria prædefinitio bonorum vt illa præſciantur.

De libertate quomodo ſtet in actu prædefinito ſeclusâ

ſcientia mediâ, fusè diſputat tum cap. 31. vbi reſpondet argumentis Petri à S. Ioſeph: tum potiſſimum cap. 41. & 42. vbi de concordia præſcientiæ cum libertate. Et in vniuerſum hoc dici poteſt, in hoc nodo diſſoluendo, quem eſſe impeditiſſimum conſtat, Auctorem hunc nihil ſupra communes conatus tum TViſſij tum aliorum perfeciſſe. Quos cùm eſſe inualidos ſatis probent ea quæ ſuperiori diſputatione ſunt oppoſita; eò Lectorem remitto: vbi etiam videbit quàm non ſatisfaciat auctoritati D. Thomæ. Qui rationem præſciendi futura contingentia, nequaquam petijſſet ex eorum præſentia ſeu præſentialitate ad æternitatem; ſi credidiſſet eſſe abſolutum aliquod decretum, quo illa prædefinirentur, & illam ſeu præſentiam ſeu præſentialitatem acquirerent.

LXXIV. Sunt verò pauca hæc obſeruanda vt à calumnia liberentur Theologi recentiores: quos Anonymus hoc loco adeo ſeuerè habet; vt poſſit eſſe ſuſpicio violatæ vrbanitatis. Cap. 5. num. 4.

Et primò, diſtinctionem diuinæ voluntatis in antecedentem & conſequentem à Damaſceno traditam, aliter accipi dicit à recentioribus quàm accepta ſit à D. Thomâ & alijs veteribus; Recentiores enim nomine decreti „ antecedentis intelligere illam Dei voluntatem quam ab- „ ſolute & efficaciter nulloque habito reſpectu ad liberam „ voluntatis noſtræ cooperationem, aliquid vult aut decer- „ nit. Decretum verò conſequens illud eſſe, quo præſup- „ poſitâ ſcientia media & cognitione cooperationis noſtræ „ conditionate futuræ, efficaciter vult nobiſcum operari. „ Peccatum hoc recentiorum vt emendet, ſubdit, apud D. Th. & antiquos, voluntatem Dei antecedentem eam eſſe, qua res ex prima, abſoluta & ſimplici ſui conſide- „ ratione, nec ſpectatis omnibus & ſingulis eius conditio- „ nibus particularibus, à Deo volita eſt: voluntatem verò „ conſequentem, qua res ſpectatis omnibus eius cauſis & „ circunſtantijs particularibus, eſt Deo volita. *Et poſt pauca.* „ Ex quibus perſpicuum eſt, decretum Dei prædetermi- „ rans conuerſionem Petri non eſſe antecedens: tam ſe- „ cundum doctrinam antiquorum, quòd ſit efficax & ſim- „

» pliciter ac de obiecto suis omnibus circumstantijs par-
num. 6 » ticularibus vestito: quàm secundùm recentiores, quia
» non est sine respectu ad liberam Petri cooperationem:
» proindeque est decretum absolute consequens: nec li-
» bertatem conuersionis Petri vllo modo eripit; sed contrà
» eam in actu secundo ponit.

Antecedẽs & consequens volũtas quid sonet apud Damascenum & S. Thomam.

Quâ in animaduersione quatuor sunt animaduertenda. 1. Quod non indicauerit qui sint illi recentiores qui Damascenum adeo malè interpretantur. Nobis enim incogniti sunt: nec alios nouimus quàm qui decretum antecedens illud vocant, cui non prælucet cognitio repræsentans motiuum aliquod ex parte liberi arbitrij, seu rationem volendi quod decernitur; consequens vero illud cui talis cognitio prælucet. Et ita voluntatem saluandi omnes homines dicunt esse antecedentem, quod ab ea cognitione dirigatur quæ motiuum perdendi potius ex parte hominum, quam motiuum saluandi exhibet, ipsorum videlicet peccatum: consequentem autem esse voluntatem puniendi, quæ dirigitur à cognitione obijciente huiusmodi peccatum vt commissum in certâ temporis differentiâ. Et quia quod est conditionatè futurum siue bonum siue malum, non est idoneum motiuum ad concipiendam voluntatem absolutam siue puniendi siue remunerandi; propterea neque dicitur decretum consequens, illud quod sequitur tantùm cognitionem futuri conditionati. Quâ in re deceptus est Anonymus, erroremque Recentioribus affinxit, qui nusquam est extra ipsius cogitationes. Atque hæc recentiorum doctrina non tam est interpretatio, quàm repetitio quædam eorum quæ dicuntur, tum à Damasceno, tum à D. Th. Qui vterque de industria in exemplum antecedentis & consequentis voluntatis afferunt, voluntatem saluandi omnes homines: & voluntatem aliquos damnandi, quod hæc exempla sint indisputabilia. Nam de voluntate aliquos efficaciter & absolutè saluandi, controuersia est: & qui dicunt illam concipi ex præscientiâ meritorum, consequentem faciunt: qui negant; faciunt antecedentem, prout illa rationem habet intentionis. Nam prout est executiua

ipsius

ipsius donationis gloriæ, supposito iam & præscito mediorum vsu, consequens etiam ipsa est. Hæc est doctrina recentiorum, saltem eorum qui nobis innotuerunt: quæ ipsissima est eorum à quibus eos defecisse putat Anonymus.

LXXV. 2. Sed præterea fallitur dum meliorem exhibere conatur vtriusque illius voluntatis notionem: & Antiquorum sententiam confundit magis quàm explicat. Quid enim illud est, voluntatem antecedentem esse quâ res à Deo volita est *non spectatis omnibus & singulis eius conditionibus particularibus*; *consequentem* è conuerso? Quid inquam est, spectatis conditionibus? Et quæ sunt, illæ conditiones? Nam quod ait D. Th. *consideratis omnibus circumstantijs particularibus*, apud ipsum facilè intelligitur quid sit. Nimirum ex prioribus verbis, cum dicit, Aliquid potest esse in primâ sui consideratione, secundum ,,
quod absolutè consideratur, bonum vel malum, quod ,,
tamen cum aliquo adiuncto consideratum, quæ est con- ,,
sequens consideratio eius, è contrario se habet. Sicut ho- ,,
minem viuere est bonum, & hominem occidi est malum, ,,
secundum absolutam considerationem; sed si addatur ,,
circa aliquem hominem quod sit homicida, vel viuat in ,,
periculum multitudinis; sic bonum est eum occidi, & ,,
malum est eum viuere. Ex quibus patet, id quod dicit, ,,
consequentem esse voluntatem quæ concipitur *consideratis circumstantijs particularibus*, idem esse, ac esse illam, cui prælucet consideratio rei *cum aliquo adiuncto*, vt quod *homo sit homicida*, quæ est vt dicebam ipsissima recentiorum cogitatio. Hæc autem non est cogitatio Anonymi, vt constat ex eo quod inde colligit cùm dicit, Hinc esse per- ,,
spicuum decretum Dei prædeterminans, esse voluntatem ,,
consequentem, tam secundùm Antiquos quàm secun- ,,
dùm Recentiores; quòd sit de obiecto vestito suis omni- ,,
bus circumstantijs, & cum respectu ad liberam Petri coo- ,,
perationem. Dicat enim nobis quod sit illud *adiunctum* ex ,,
cuius *consideratione* dirigitur decretum prædeterminans, vt dici possit iuxta D. Thomam consequens voluntas? An tale aliquid considerat Deus in eo quem decernit prædeterminare, quale in eo quem decernit punire, vt,

Consequẽs voluntas rationem aliquam obiectiuè mouentem præ supponit ex parte hominum; antecedens non item.

1. p. q. 20 ar. 6. 1.

quòd ſit homicida? Num hoc patitur prædeterminantium doctrina? Sed vide quos fucos hic Auctor & patiatur & faciat? Conditiones & circumſtantias ex decreto ſeu voluntate ſequentes confundit cum præſuppoſitis: idemque illi eſt repræſentari obiectum *vt veſtiendum* aliquâ circumſtantiâ & repræſentari *vt veſtitum*: item, Dei decretum dicere *reſpectum ad liberam Petri cooperationem* tanquam ad effectum ex ipſo decreto ſequuturum; &, dicere reſpectum tanquam ad motiuum Deo repræſentatum & à decreto ſuppoſitum, quomodo ſupponitur homicidium à decreto puniendi homicidam. Et quia cùm Deus decernit prædeterminare, vt ipſe quidem putat, decernit prædeterminare ad actum vt exercendum liberè, hoc eſt ad actum vt *veſtiendum* libertate, vt eius panno vtar; & conſequenter cognitio quæ prælucet tali decreto, idem obiectum repræſentat vt ita *veſtiendum*; ideo cenſet conſequentem eſſe voluntatem hanc: quaſi verò idem eſſet decernere obiectum *veſtiendum* & ſupponere veſtitum: item, reſpicere obiectum vt ſequuturum, & reſpicere vt præſuppoſitum. In quo admodum hallucinatur, quòd ſit euidentiſſimum, ideo conſequentem dici voluntatem & à Damaſceno & à D. Thoma; quòd ſupponat aliquid ex parte obiecti, vt quod *homo ſit homicida*, non quod illud faciat. Nam ſi faceret ipſa, nonne peruerſiſſimè loqueretur, qui *conſequentem* vocaret & non potius *antecedentem*? Expendat quæſo Damaſceni verba illa quibus dicit *primam præcedentem voluntatem & acceptationem ex ipſo Deo exiſtere*; *ſecundam verò & ſequentem exiſtere ex noſtrâ causâ.*

2. de fide cap. 29.

ib. num 6

Decretum prædeterminans non poteſt vocari voluntas conſequens.

LXXVI. 3. Atque hoc eſt Tertium quod in hoc Auctore reprehenſione dignum videtur. Nempe quod decretum prædeterminans conuerſionem Petri dicat eſſe *voluntatem conſequentem*. Cùm enim decretum ſit voluntas; nihil aliud expectari poteſt, quàm vt *voluntas prædeterminans conuerſionem Petri*, dicatur eſſe *voluntas conſequens*; itáque ima ſummis & prima ſecundis miſceantur. Quæ rerum ac verborum perturbatio, tum alias ſemper indecora eſt: tum maximè in operè nouo *De ordine, deque priori & poſteriori.*

LXXVII. 4. Vnde tandem intelligitur frustra esse quod subijcit, ex eo quod decretum prædefiniens conuersionem Petri sit consequens, *nullo modo eripere libertatem conuersionis Petri*; *sed contra*, *eam in actu secundo ponere*. Quia si absint præstigiæ, atque illusio mentis, quod est prædefiniens conuersionem & illam causans, nullo modo dici potest *consequens* ipsam. Quod si non consequitur ipsam, sed præit potiùs; hoc est si non est ab ipsa dependens, sed è conuerso est id à quo ipsa dependet, quocumque tandem respectu dicatur *consequens*, nihil prorsus iuuat vt intelligatur *non eripere libertatem*. Quando enim dicitur ideo quippiam non eripere libertatem alicuius actionis, quia est *consequens*; intelligitur esse *consequens* ex tali actione, vel ex causâ vt eam producente, ita vt sit verum illud Damasceni *eius causam in nobis existere*: quia statim intelligimus, si qua inde necessitas oriatur; non eam esse quam libertas seu libera causa patiatur; sed quam faciat. Si verò alio quodam respectu nescio quo aliquid ita dicatur *consequens*; vt tamen causam occupet, atque ad agendum impellat; quid facit nomen illud inane *consequentis*, vt ideo credatur non eripere libertatem?

ib. num. 6.

Quare consequens voluntas non eripiat libertatem.

supra n. 75.

LXXVIII. Eiusdem coloris est id quod habet cap. 42. vbi postquam dixit nos *latinè quidem & eleganter* in exponendo scientiæ mediæ vsu *sed parum Theologicè loquutos*, specimen ipse proponit sententiæ melioris. Dicere deberent, *inquit*, Deum esse præscium voluntatem in his vel illis circumstantijs positam hoc vel illud liberè esse operaturam, suaque voluntate decernere vt id operetur liberè. Quod si facerent statim appareret in Dei prouidentia, præscientia, & decretis cum nostra libertate conciliandis, nihil pene esse difficultatis: nullamque homines de Deo expostulationis & querelæ causam habere: cum sua illa nostrorum actuum scientia, præscientia, definitione, prædefinitione, determinatione, prædeterminatione, & suo ad eos concursu etiam natura priore nihil aliud sciat, velit, & efficiat, quàm vt liberè operemur. Hoc autem libertatem nostram pessundare, vel tantillum lædere quis adeo stolidus dixerit?

num. 9.

Seclusâ scientiâ mediâ implicat prædefiniri actum vt liberum.

Ego verò facilè capio quomodo decretum absolutum & efficax quo seclusâ scientiâ mediâ prædefinitur aliquis actus vt liber; non *pessundet* eius libertatem : quia nimirum hoc supponitur. Sed facilè etiam capio quomodo *pessundet*, ac proinde quomodo tale decretum implicet. Quia non capio quomodo sit in potestate voluntatis creatæ facere vt illud decretum sit aut non sit. Et postquam supponitur absolutum & efficax, etiam non capio, quomodo sit in potestate creatæ voluntatis efficere vt cum eo componatur & coëxistat libera suspensio actus prædefiniti. Quòd si voluntas neque facere potest vt non sit decretum prædefiniens: neque vt eo stante sit nihilominus omissio libera actus prædefiniti; statim intelligo ex suppositione talis decreti, non posse huiusmodi actum esse in potestate voluntatis, nisi ad eum modum quo visio est in potestate oculorum, quando illi neque circumstantes vndique tenebras fugare possunt; neque illis remanentibus quidquam cernere : vel quo cursus est in potestate captiuorum, qui nec compedes abijcere possunt; neque illis retentis ambulare. Quin & valde miror Anonymum tam facilè capere contrarium : cùm tamen approbet ipse actus liberi definitionem illam, quâ dicitur *positis & existentibus eius causis esse posse vel non esse*, Et causæ liberæ illam quâ dicitur, *esse in eius potestate agere vel non agere, etiam alijs positis ad actionem necessarijs*. Absurdas enim esse huiusmodi definitiones nisi exponantur *in sensu composito*, satis ostendunt qui propterea reijcere iam cœperunt, quod sensum illum pati non posset eorum doctrina. Et quid quæso erit actum liberum *posse non esse existentibus eius causis*, quàm conuenire posse atque conciliari eius non existentiam cum existentiâ suarum causarum? Aut si hoc non est, quomodo non idem dicetur de necessario quod dicitur de libero? Quid item est, causam liberam posse non agere, *etiam positis alijs ad actionem necessarijs*, quàm in illis *alijs* nihil esse ex quo sequi possit agendi necessitas, & consequenter nihil esse cum quo non possit coniungi non actio? An non manifestum est, ex Grammaticorum & Dialecticorum omnium sensu, particulam illam *etiam alijs positis*,

cap. 10. num. 1. cap. 41. num. 8.

reddere sensum reduplicatiuum & compositum; nec vllo modo pati posse specificatiuum & diuisum? Non esset exsufflandus ille qui diceret, captiuum etiam positis compedibus, vel, etiam clauso carcere fugere posse? Atqui constat inter causas actus prædefiniti numerandum esse decretum prædefiniens: item constat implicare vt cum tali decreto componatur non existentia illius actus: ergo implicat vt sit in tali actu libertas.

LXXIX. Quare adiungo me *stolidis* illis, qui sparsam ab hoc Auctore claritatem ad intelligendam diuinæ præscientiæ ac prædefinitionis concordiam cum libertate actus prædefiniti, seclusâ scientiâ mediâ, videre non possunt; idque eo libentius, quòd intelligam tantum esse sociorum numerum, vt sit necessarium præ stolidorum multitudine paucissimos esse illuminatos. Hoc enim numero præter Iesuitas omnes, comprehenduntur ipsi Thomistæ, qui cæcam vt vidimus, in hac difficultate fidem à suis sectatoribus exigunt: atque eos qui se minus faciles ad credendum præbent, instantijs premunt ex mysterio Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ petitis quæ captum superant nostrum. Tantùm abest vt *nihil penè difficultatis*, vt loquitur Anonymus, hîc subesse putent.

LXXX. Sed quando pellere aggreditur *stoliditatem* nostram; experiamur illius manum. Dicere deberent, inquit, *Deum esse præscium voluntatem in his vel illis circumstantijs positam hoc vel illud liberè operaturam, suàque voluntate decernere vt id operetur liberè; quod si facerent statim appareret, &c.* Ego verò, *mi* Doctor quod mones, dico, *Deum* scilicet *præscium voluntatem in his vel illis circumstantijs positam, hoc vel illud esse operaturam*; sed doce nos quæso quâ scientiâ præsciat hoc Deus? An ea quæ pendeat ex absoluto eius decreto, quo statuit vt voluntas nostra operetur hoc vel illud in his vel illis circumstantijs, & vt tuis vtar verbis, eâ quæ cum tali decreto necessariò coniungi debet? An eâ quæ non dependet nec coniungitur cum illo decreto? Si hoc secundum intelligis, experior omnino quod dicis, nihil penè difficultatis esse in concipiendâ quam quærimus concordiâ: sed habeo gratiam scientiæ

Non soluit difficultatē aut acceptat doctrinam de scientiâ mediâ.

conditionatæ. Neque enim alia esse potest scientia quâ præscit Deus independenter, seu seorsim ab actuali & absoluto decreto, voluntatem nostram in his circumstantijs hoc liberè operaturam. Si primum dicas, tuum amabo beneficium recipe. Neque enim nobis vsui esse potest. Quid enim me iuuat; quòd intelligam Deum absoluto & prædefiniente decreto suo fieri præscium; voluntatem creatam in his circumstantijs hoc liberè operaturam; cùm tota maneat difficultas capiendi quomodo illud decretum libertati non officiat, hoc est quomodo non implicet? Et quomodo quadrabit totius species sententiæ, si est concipienda in hunc modum, *Deum accedente ad ipsius scientiam absoluto decreto, præscium esse, voluntatem operaturam, & suâ voluntate decernere vt &c*, cum hoc decretum iam intelligatur in præscientiâ inclusum? Nam si præscientiam illam ita secerneret à decreto, vt decretum intelligeretur aduenire præscientiæ, quemadmodum omnis volitio aduenit scientiæ à qua dirigitur, salua res esset; at verò in huius Auctoris sententiâ, decretum huiusmodi non dirigitur ab illa præscientia, sed tantùm à scientiâ præcisionis: nec intelligi potest tanquam illi superuenire; sed verò ita vt sit veluti eius pars & in eâ includatur; vt hîc etiam videri possit inuoluta & inexplicabilis doctrina, vbi aliorum *stoliditatem* se sanaturum sperauerat.

LXXXI. Obseruandum est Secundò quod dicit de multiplici necessitatis acceptione, vt ostendat eam quam ex sui prædefinitione trahit operatio libera creaturæ, non obesse ipsius libertati. Dicit ergo aliam esse necessitatem *absolutam*, aliam *conditionatam*, & *ex hypothesi*: Absolutam, esse necessitatem *simpliciter, per se, antecedentem consequentis, & in sensu diuiso*: cuius sunt duæ species. Nam alia est *naturalis*; alia *violenta & coacta*, qualis est illa *quâ lapis sursum mouetur ab agente extrinseco*, vel detinetur *manu*, vel *columna in aëre suspensus*. Attende Lector hunc Diuisorem, & vide quàm scitè membra diuidentia consignet ac distinguat. Lapis sursum proiectus ab agente extrinseco, mouetur necessariò in sensu diuiso? Quid? Non tam potest in sensu diuiso cadere lapis sursum proiectus, aut in

cap. 41. n. 8. & 9. Confusa diuisio *necessitatis*.

aëre columnâ sustentatus, quàm potest paries albus fieri niger? Quænam isthæc Philosophia est?

Sed pergit, Necessitas conditionata & ex hypothesi ea est, quâ aliquid necessarium dicitur, *ratione alicuius alterius*. Hîc iterum aduerte quomodo confundat necessitatem absolutam cum conditionatâ, Speciem enim absolutæ constituit *violentam & coactam*: at quod est hoc modo necessarium numquid est necessarium *ratione alicuius alterius*, atque adeò conditionatè? Lapis qui sursum mouetur ab agente extrinseco, non mouetur necessariò *ratione alicuius alterius*? Qui manu tenetur vel columnâ sustentatur, non tenetur necessariò ratione alicuius alterius? Videri certè alicui possit quædam hîc esse cogitationum perturbatio quam minimè oportebat incidere in tractatum de *ordine*.

Addit huius necessitatis conditionatæ duas species; vnam in qua illud *alterum* ratione cuius aliquid est necessarium, est causa vel finalis vel alia quædam; alteram in qua non est causa, sed tantùm conditio, vt cùm dicitur, *si Petrum currere Deus præuidit, necessariò currit*. Ita ille, qui eo ipso satis indicat præuisionem cursus non esse causam, sed tantùm conditionem: nec recordatur se tanto nisu contendisse, scientiam visionis esse causam rerum: ac proinde præuisionem currentis Petri, cursus illius. Ib. num. 9.

LXXXII. Hoc etiam expendendum, *Si hypothesis* quâ „ aliquid ex hypothesi necessarium dicitur, libertatem no- „ stram nec supponat, nec inuoluat, nihilque includat „ quod sit in nostra potestate; necessitas ex tali hypothesi „ repugnat libertati. Ita ex hypothesi quod homo sit gra- „ uis, cadat deorsum necesse est. Ergo necessitas qua graue „ sursum mouetur est *absoluta*: & quâ fertur deorsum est conditionata. Illa est in *sensu diuiso*: ista in *sensu composito*. Et dùm ambæ opponantur ex diametro, sitque illa *violenta & coacta*; ista nihilominus non est *naturalis*. Si enim esset, *absoluta* dici deberet non conditionata, iuxta notiones antea traditas. Ego certè nescio quem hîc Auctor specularetur *ordinem*, dum hæc effudit quæ videntur esse tam parum ordinata.

Cap. 34. Cap. 41. num. 9. Necessitatem ex hypothesi iam vocat quã antea dixit absolutam.

LXXXIII. Restat postremum ex quo pendet solutio illius difficultatis quâ videtur absolutum Dei decretum imponere necessitatem rei quam decernit, libertati re- » pugnantem. Si hypothesis, *inquit*, quâ aliquid ex hypo- » thesi necessarium dicitur, in nostra sit potestate, vel li- » bertatem nostram includat aut supponat; nihil omnino » lædit libertatem. *Vnde tandem ita concludit*. Quando dici- num. 10. » tur id quod Deus præsciuit, quodque absolutè & effica- » citer decreuit, necessariò est futurum; ...... Si illud, ne- » cessariò, sumatur pro necessitate secundùm quid & con- » sequentiæ ex ea hypothesi, libertatem agentis aliquo » modo includente, vera est propositio: si verò...... impor- » tet necessitatem absolutam, simpliciter, & consequen- » tis, falsa est.

Quomodo possit aut non possit decretum prædefiniens includere libertatem actus prædefiniti.

Hypothesis ex qua hoc loco sequitur operationem liberi arbitrij necessariò futuram, non alia est quàm decretum Dei absolutum & efficax: & ideo illud *necessariò* stat cum libertate, quia, inquit, illa hypothesis *includit aliquo modo libertatem agentis*. At interrogo quis sit ille modus quo decretum Dei absolutum & efficax *includit libertatem agentis*? Hoc enim illud est quod vnum maximè interest sciri, & quod tamen hic Doctor fascijs inuolutum relinquit. Decretum, inquam, Dei absolutum & efficax de actu liberè eliciendo, quomodo includit libertatem agentis? An vt aliquid præsuppositum necessitati quâ dicitur ille actus esse futurus ita vt liberum agens possit dici causare seu facere *necessitatem* eiusmodi & illa ex libero agente pendere? an aliter? Si aliter, hoc est, si dici non potest illa necessitas oriri ac pendere ab agentis libertate; ergo est illi contraria, cùm sit manifestum eam necessitatem cuius causam neque tollere potest liberum agens, neque vincere coniungendo illi oppositum, stare non posse cum eius libertate. Vnde si neque potest tollere diuinum illud decretum absolutum & efficax; neque illi coniungere oppositum eius quod decernitur, restat semper illud explicandum quod nobis, imò quod omnibus est inintelligibile, esse nimirum libertatem in actu qui sic decernitur. Si verò dicatur decretum includere liberum agens vt causam

Liberum agens non potest esse ipsum sibi

causam eius necessitatis; cùm illa non sit tantùm in eius actione ád existendum, sed in ipso etiam agente ad agendum; dicendum erit liberum agens seipsum *necessitare*, vt ita dicam ad agendum, quo nihil esse potest quod magis repugnet eius conceptui. Nam si seipsum *necessitat*, vel hoc facit necessariò vel liberè: si necessariò, quare vocatur liberum? Si liberè, quomodo intelligitur à seipso *necessitatum*? Liberum enim est quod à seipso potest agere aut non agere; *necessitatum*, quod non potest aliter facere: vnde si quippiam & liberum est, & à seipso necessitatum; sequitur illud & à seipso posse aliter facere, & à seipso non posse aliter facere. Quare licet possimus concipere liberum agens per suam actionem liberam esse causam alicuius necessitatis, nempe illius qua dicitur non posse non agere ex suppositione quod agat, quod est non posse componere non actionem cum actione: item illius quâ dicitur non posse non præsciri ab agente infinitè intellectiuo quod futurum est, ex hypothesi quod sit futurum: & illius quâ rursus ex eo quod præsciatur dicitur necessariò futurum esse, quæ necessitas in nobis est potius ad inferendum idem ex seipso vt præcognito, quam in ipsa re, vnde & vocatur necessitas consequentiæ; licet, inquam, intelligamus liberum agens per exercitium libertatis suæ causare eo modo quandam necessitatem, intelligi tamen nequit, esse ipsum sibi principium necessitatis ad agendum, quod hoc apertam implicet contradictionem.

principium & causa necessitat. ad agendum.

LXXXIV. Sed vt hæc ratiocinatio cogatur in pauca, breuiter dico, Cum supponis *decretum Dei aliquo modo includere libertatem agentis*, vel intelligis includere libertatem agentis tanquam subiectum quod patiatur necessitatem agendi à tali decreto impositam; vel intelligis includere libertatem agentis tanquam principium ex quo illa necessitas ad agendum oriatur: neutrum dici potest: Ergo, &c. Probatur minor quoad primam partem. Quia qui sic intelligit non aliter soluit difficultatem, quàm per petitionem principij, & nudam eius rei affirmationem cuius explicatio & ratio petitur. Petitur enim quî fieri

Argumentum ex superiori discursu contra præde-finitionem liberi actus independentem à scientiâ mediâ.

possit, vt agens liberum quod patitur necessitatem agendi à Dei decreto immissam non perdat rationem liberi ; & respondetur non perdere quia Dei decretum, illud includit tanquam subiectum immissæ necessitatis, quod est affirmare tantùm id de quo quæritur quomodo sit possibile. Probatur minor quoad secundam partem. Quia implicat vt illud de cujus conceptu est esse ipsum sibi principium indifferenter agendi aut non agendi, sit etiam ipsum sibi principium agendi necessariò : Atqui est de conceptu liberi arbitrij esse ipsum sibi principium indifferenter agendi aut non agendi : Ergo, &c.

Quæ necessitas fugienda sit.

LXXXV. Vnde insuper intelliges frustra esse quod addit Anonymus, æquiuocationis tollendæ causa ita esse loquendum, Quod Deus præsciuit & decreuit futurum necessariò, simpliciter & absolutè ; illud est futurum necessariò simpliciter : quod præsciuit & decreuit futurum liberè, id necessariò libere futurum est. Neque enim ideo necessitas libertati nocet, quod vocetur *necessitas simpliciter & absolute* ; sed quod sit ab eâ independens, & præterea insuperabilis. Vnde quibuscumque nominibus eam nominent, ac quibuscumque coloribus pingant : siue sit flaua, siue cærulea, quandiu supponitur talis esse, vt illius causam nec tollere agens liberum pro suâ libertate possit, nec vincere frustrando illam effectu suo, & oppositum illi coniungendo ; numquam obtinebunt vt cum libertate stare posse putetur. Stabit enim semper illud Augustini, Si necessitas nostra illa dicenda est quæ non est in nostra potestate ; manifestum est voluntates nostras quibus rectè vel perperam viuitur sub tali necessitate non esse.

Implicat aliquid & necessariò & liberè fieri.

Et quod dicit, si Deus decreuit aliquid liberè futurum, *illud esse necessariò liberè futurum* ; idipsum est quod iam ante ostendimus contra TVissium quam fœdam quamque hiantem inuoluat repugnantiam ; cùm Deum facere vt sit aliquid *necessariò liberè futurum*, nihil aliud sonet, quàm Deum efficere vt aliquod agens ita agat, vt non possit non agere & ita tamen vt possit non agere. Quanto meliùs faceret, si cum Caietano fateretur se nescire

suprà n. 16.

quomodo illud, *necessariò*, quod est à decreto Dei, & illud, *liberè*, quod est ab arbitrio creato coniungantur?

Nempe sicut fieri potest vt *necessarium* sit modus liberi aut etiam contingentis, vt cum dicimus *liberum, est necessariò liberum*: aut, *contingens, est necessariò contingens*; ita implicat vt ambo, nimirum, *necessarium* & *liberum*: vel *necessarium* & *liberum*: vel *necessarium* & *contingens*, sint simul modi vnius tertij prædicati, ita illud *necessariò* simul & *liberè*: vel *necessario* simul & *contingenter* insit. Aperta enim est contradictio quam diximus, vnum alteri sic inesse, vt possit non inesse, quod est *contingenter*: & non possit non inesse, quod est *necessariò*. Cum ergo dum dicitur *quod Deus decreuit liberè futurum, necessariò liberè futurum est*, τὸ *necessarium* non appellet solùm τὸ *liberè*, sed simul etiam τὸ futurum est, postquam implicat vt non sit futurum ex hypothesi decreti; repugnat vt τὸ *liberè* appellet etiam illud ipsum, *futurum est*, salua prædicationis veritate: alioqui & futurum esset ita vt posset non esse, quia *contingenter* seu liberè: & ita vt non posset non esse, quia *necessario*.

LXXXVI. Tertiò aliæ nonnullæ huius Doctoris obseruationes criticæ obseruandæ sunt. 1. Quod aliqui dicunt, aliam esse necessitatem *ex suppositione antecedenti*, & aliam ex *suppositione consequenti*, nugatio quædam illi est, quod bis idem dicatur, perinde ac si quis diceret Petrum esse *hominem rationalem*. Quia, inquit, suppositionis nomen vt volunt, antecessionem, vel antecedentiam significat in eo quod supponitur. Absurdum autem est dicere ex antecedentiâ antecedente, Aliquid item esse ex suppositione consequente repugnantia est, & incompatibilitas terminorum, estque dicere aliquid esse ex antecedenre consequente. Vide quæso vbi nugas alijs obijcit iste Auctor, quibus ipse quisquilijs intentus sit? Ecquis illi dixit suppositionis nomen apud nos significare antecessionem in re quæ supponitur? Qui supponit Iacobum esse natu posteriorem Esau, ille significat antecessionem? Qui supponit Parochum in processione sequi suum Crucigerum, etiam ille *antecedentiam* significat in Parocho,

cap. 41. num. 11. An rectè distinguatur suppositio antecedēs & consequens.

estque incompatibilitas terminorum? Et quî fieri potest vt sint incompatibiles termini ei qui paulo ante *decretum prædeterminans* confudit cum *voluntate consequente?* Sed fac suppositionem significare antecessionem in eo quod supponitur; an non fieri potest vt idem & antecedat & consequatur respectu diuersorum? Quare igitur videatur susuperfluum & *bis idem dici*, si factâ cum aliquo tertio comparatione, suppositio dicatur respectu illius antecedens aut consequens? Ita verò faciunt quos hic Auctor perperam impugnat; qui cum agente libero comparant exempli gratia, tum decretum Dei absolutum & efficax: tum Dei præscientiam. Et quia decretum dicitur esse independens, & causa cur agens liberum agat, atque adeo prius natura; ideo suppositionem decreti comparati cum agente atque actione liberâ, vocant *suppositionem antecedentem*: & necessitatem inde sequutam, necessitatem *ex suppositione antecedenti*. Et quia præscientia neque causa est, neque omnino independens ab agente atque actione liberâ, sed inde sequitur tanquam ex ratione obiectiua mouente; ideo suppositio præscientiæ cum agente atque actionelberâ comparatæ vocatur *suppositio consequens*, & quæ inde sequitur *,necessitas ex suppositione consequente*. Quo modo vtraque quidem suppositio est antecedens respectu necessitatis; sed respectu agentis & actionis liberæ, altera est antecedens, & altera consequens. Estque res adeo manifesta vt non facilè capiam quid habeat viro dignum contraria obseruatio.

2. Neque melior est alia quâ Recentiores carpit, præ-
cap. 41 num. 12 „ sertim Petrum à S. Ioseph, quod suam illam necessita-
„ tem ex suppositione antecedente, parum logicè parum-
„ que scienter ita definierit, Suppositio antecedens dicitur
„ quæ producitur antecedenter ad operationem liberam
„ voluntatis, & independenter ab illa. Atqui ego si eodem
An & quãdo possit nomen definiri, in definitione repeti. cauillandi animo impellerer, negarem ibi primum definiri necessitatem ex suppositione ortam; sedè conuerso dicerem definiri suppositionem ex qua necessitas oritur Sed videamus quid emendandum putet in illa definitione *Cùm*, inquit, *antecedens & antecedenter idem significent, sint-*

quæ coniugata; definitum ponitur in hac definitione. Sed heus tu, mi Doctor, leges quas alijs ponis ipse quare non seruas? Paulo ante necessitas conditionata sic est à te definita. *Necessitas conditionata & ex hypothesi ea est, qua aliquid necessarium dicitur ratione alterius, &c.* Hic aio te *parum logicè, parumque scienter definire*, quod sic probo. Quia *necessitas* & *necessarium* coniugata sunt, idemque significant: Ergo definitum ponitur in hac definitione. num. 4. Numquid & illa quoque vitiosa videbitur, quâ relatio Paternitatis definiri solet, *Qua generans refertur ad genitum*; propterea quod *relatio* & *refertur* sint coniugata? Nempe quæ dicuntur coniugata si sunt relatiua, non inutiliter repetuntur in definitione, quando in eâ repetitione terminus exprimitur ad quem referuntur. Sequitur enim inde noua cognitio eâque clarior. Et ita dum dicitur *antecedenter ad operationem liberam*, quia exprimitur terminus quem respicit *suppositio antecedens*; definitio inculpabilis est. Quin & addo, locum esse illi terminorum repetitioni quando definitum est aliquid complexum: neque ineptè responsurum, qui petenti quid sit homo albus, diceret esse hominem disgregatiuum visus.

Sed quid præterea? *Præterea*, inquit, *cùm ei definienda sit necessitas causæ; definit necessitatem effectus, dicendo esse necessitatem quæ producitur.* Respondeo, in ijs verbis quæ tribus ante lineis retulit ex Petro à S. Ioseph, non est, *necessitas quæ producitur.* Et quàmuis eam produci dicat, quia tamen etiam dicit habere se *antecedenter ad operationem liberam voluntatis*, numquid satis significat habere rationem effectus respectu eius à quo ipsa producitur? Quòd si intelligitur habere rationem causæ respectu liberæ operationis, numquid necessitas quæ deriuatur ex illa suppositione in operationem, est verè necessitas causæ? Quid ergo queritur? aut quid quærit? Addit, *Cum necessarium nullum dicat ordinem, & antecessionem ad operationem liberam voluntatis; per eam etiam definiri non debere:* nec recordatur se paulo ante dixisse, id quod Deus præsciuit & decreuit liberè futurum, esse *necessariò liberè futurum.* Quomodo enim est *necessariò liberè futurum*, si *necessarium*

non poteſt dicere *ordinem ad liberum?*

cap. 42. n. 8. & 9. Ad ſit aliquid futurū aut præteritum reſpectu Dei. „ LXXXVIII. 3. Improbandum ſibi ac fugiendum *dicit* „ quod Theologi præſertim recentiores de Dei ſcientia & „ voluntate perinde ac de noſtra cogitant & loquuntur, idque dum dicunt diuinæ ſcientiæ ac cognitioni res eſſe *præteritas*, *præſcientes*, *futuras*, quòd ſcilicet præſentes tantùm ſint. Ego verò conſentio vt hæc reformatio admittatur à Scholis: ſed quòd *præſertim recentiores* illâ indigere putat, fallitur: conſtat enim illos nihil à prioribus ea in re degeneraſſe; addo, neque à Patribus. Niſi fortè hoc exigit, vt omnes Thomiſtæ fiant, & de præſentiâ rerum in æternitate pariter philoſophentur. Qua de re, quando ipſi quoque inter ſe conuenerint, partiterque ſuper ea re philoſophabuntur, tractandum erit in publicis Theologorum comitijs, auditis Nominalibus & Scotiſtis. Interea cùm iſte Auctor fateatur futura non coëxiſtere æternitati Dei *adæquatè*, ſed tantùm *inadæquatè*: & conſequens ſit vt æternitas Dei excedat exiſtendo quod ſibi adæquate non coëxiſtit; idque vel à parte antè, vt loquuntur, vel à parte poſt; quod piaculum erit, ſi quâ realiter excedit à parte ante, ac proinde realiter prior eſt, cum ijs comparetur tanquam futuris? Et quâ realiter excedit à parte poſt, eſtque ideò realiter poſterior, comparetur cum iiſdem vt præteritis? Item cùm hic idem Auctor in hoc operé paſſim dicat Deum eſſe præſcium futurorum, etiam vbi alios emendare vult; nonne improbat quod ipſe committit.

c. 42. n. 10. Scrupoloſa examinandi & cenſendi ratio. LXXXIX. 4. Vltima obſeruatio eſt, *Plerosque hic non rarò* nugari, hoc eſt, in eadem propoſitione idem bis ſuperfluè repetere, cùm dicūt Deum antecedenter *prædefinire*, *præ-* „ *determinare*, præſcire. Quid enim eſt, *inquit*, illud, præ, „ quam antecedenter? *Vnde colligit* minùs benè diuidi præ„ definitionem aut prædeterminationem in antecedentem „ & conſequentem. Hos ego etiam diuiſores nihil moror; ſed quid eo fiet qui *decretum prædeterminans* contendit eſſe *voluntatem conſequentem*? Cùm enim decretum ſit voluntas, decretum prædeterminans erit *voluntas prædeterminans*: & tamen ſi determinet ad actionem liberam, eſt *vo-*

luntas consequens, vt placet huic Auctori. Et quia non est dubium, quin dari etiam possit alia quæ sit antecedens, si prædeterminet ad actum vt eliciendum necessario; sequitur dari apud hunc Auctorem voluntatem prædeterminantem *antecedentem*; & voluntatem prædeterminantem *consequentem*. Quo quid peius habet, prædefinitio antecedens & prædefinitio consequens.


Deinde videtur hoc etiam in Senatu Theologorum deliberandum, sint ne inter Optimates admittendi verborum aucupes isti adeo seueri, vt syllabas exigant, & ne vnum quidem, *præ*, superfluum esse pati possint. Agitur enim communis causa Nominalium, Scotistarum & Thomistarum præsentim Antiquorum, quos constat eruditâ quidem, sed tamen inconditâ & inacuratâ oratione tradidisse posteris sapientiam. Hi ergo fuerint *nugati* quoties syllabam protulere non necessariam? Sed & hic ipse Auctor qui Grammaticam colit tam austeram, quid faciet si probare cogatur nullam esse in suis scriptis ταυτολογίαν & inanem eiusdem repetitionem? Reus sim eius criminis quod accuso, si multas in eum instantias colligam: accipio quod obuium est hoc ipso in loco vbi nos docet quemadmodum sit loquendum. *Dicere deberent*, inquit, *Deum esse præscium*, *voluntatem liberè operaturam*, qua oratione dico *nugationem* contineri, & in vniuersum quoties nominatur *præscientia futuri*. Quia illud, *præ*, superfluum est, & inanem continet repetitionem, quod sic ostendo. Quia *scientia futuri* hoc ipsum importat. Quid enim est aliud scientia futuri, qua scientia rei posteriùs existentis? Et scientia rei posterius existentis quid aliud est, quam scientia prior obiecto suo? Quod si scientia futuri, scientiam sonat obiecto suo priorem; ergo cum dicitur *præscientia futuri*, superfluum est illud, *præ*, continetque ineptam repetitionem. Videat ergo ne sibi quoque timendum sit, si cogantur Theologi reddere rationem non de verbo tantum otioso, sed & de syllaba.

XC. Hæc habui quæ cum hoc Doctore disputarem: quæ spero illi eo fore gratiora, quòd intelligam ab eo me honesta prouocatione inuitatum, dum se cum Tullio & *sen-* In præfat.

tire & dicere profitetur, *tantum abesse vt scribi contra se nolit; vt id etiam maxime optet. Neque enim ita insidere animo quas complexus est opiniones, quin ab eis se facile deduci patiatur validioribus si cui occurrant argumentis.* Quod candidissimi pectoris testimonium bono animo esse iubet, si quos fortè illius secessio turbauerat. Quin & fieri facilè potest, vt animo potius virium experiundarum, quàm opinione sententiæ quam oppugnat euertendæ consilium illud inierit. Atque vt mos est ludicrorum certaminum, in quibus Galli Castellanos, Castellani Gallos mentiuntur, vt quos superare conantur inuictos probent; ita crediderit ipse firmiora visum iri amicorum propugnacula, nouis hisce conatibus nequicquam impetita. Hoc si palam fecerit, & quæ incognitus improbauit, manifestus confirmauerit; nihil ille quidem ab ea qua excellit sapientia prudentiaque fecérit alienum. Sin autem mea me fallit expectatio; eruditi Lectoris iudicium esto, satisne ista refutatione confectum sit, vt quod sponte facere noluerit, inuitus pati cogatur.



DISPVTATIO



DISPVTATIO TERTIA.

THEOLOGVS COLLEGII Salmantinenſis Patrum Diſcalceatorum.

CAPVT PRIMVM.

Status Controuerſia.

I. AVCTOR curſus Theologici, qui cœpit in lucem edi ante aliquot annos, ſub nomine Collegij Salmanticenſis Patrum Diſcalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, primo tomo in primam partem, tractatu tertio, quatuor diſputationibus, videlicet nonâ, decimâ, vndecimâ, & duodecimâ de ſcientia conditionata ſic differit, vt mediam latè impugnet, veluti ex multis capitibus impoſſibilem. Cuius ego impetum, quia non adeò videtur leuis, vt contemni debeat, tentandum exiſtimaui, adeóne ſit vehemens, vt non poſſit ſuſtineri.

Alius quæstionis status: nec amplius disputatur an sint & sciantur liberi actus creaturarũ conditionatè futuri.

Est autem huius controuersiæ status in eo diuersus à superioribus, quòd iste Auctor scientiam conditionatam eorum, quæ agens creatum liberum ex aliqua suppositione faceret, à scientia media sic distinguit, vt illam astruat omnino; hanc destruere pro viribus conetur. Concedit videlicet Deum certò scire, non solùm esse probabile, sed omnino futurum, vt si Dauid maneat apud Ceilitas adueniente Saüle, tradatur in eius manus: Si viuere sinatur is, de quo in libro Sapientiæ; non solùm esse periculum, sed re verâ futurum, vt malitia mutet eius intellectum: Non modò coniecturabilem esse Tyriorum, & Sidoniorum conuersionem, si fierent apud eos miracula, quæ spreuere Capharnaitæ: sed certissimam, & prorsus indubitatam: & sic de alijs. Hanc verò non esse scientiam mediam, quod sequatur ex prædefinitione Dei, quâ ea quæ hoc modo sciuntur, & futura conditionatè & consequenter scibilia fiunt. Atque ita totum discrimen quo sententia illa distinguitur à nostrâ, illud est, quòd nostra prædefinitiones rerum sub conditione producendarum à libero agente creato repudiet, quas illa, & amplectitur, & defendit.

Consentit P. Ioan. à S Thoma, queriturque contrarium Thomistis tribui.

II. Ita etiam philosophatur Pater Ioannes à sancto Thoma Theologiæ Professor in Academia Complutensi ex Ordine Sancti Dominici, qui tomo primo Theologici cursus nuper edito, controuersiam hanc fusè tractat ad quæstionem 14. 1. partis. Quo cum agere licet propositum sit propriâ disputatione, miscebo tamen hîc quæ illi cum eo sunt communia, qui mihi iam opponitur, ad earundem rerum repetitionem, aut quæstionum distractionem euitandam. Hic ergo disputari non vult an Deus certò sciat, non solùm probabilitatem, sed etiam futuritionem ipsam hypotheticam eorum euentuum de quibus agimus: sed an illam sciat independenter ab eorum prædefinitione: quin etiam ægrè fert nostrorum aliquos scripsisse, id esse negatum à Thomistis superioris ætatis.

Disput. 20. art. 1.

„ Ita enim loquitur. Quare nescio quo fundamento, vel
„ quo motiuo aliqui auctores oppositi sic in vulgus scriptis
„ suis spargant, Thomistas antiquos denegasse Deo scien-

tiam horum futurorum; recentiores verò vi argumento- »
rum pro sententia opposita conuictós, illam concessisse, »
confugisse autem paucis ab hinc annis ad illum asylum de »
decretis conditionatis, *in quibus Deus futura illa certo attin-* »
gat. Et paulo antè; De primo(*scilicet an Deus sciat futura con-* »
ditionata) vix fuit controuersia, nec est alicuius momenti »
inter Auctores, an sit deneganda, vel ponenda in Deo »
talium obiectorum scientia, & totum pondus controuer- »
siæ, quod à quinquaginta annis paulò minùs inter Patres »
Societatis, & sancti Dominici versatur, est circa secun- »
dum punctum: *de decreto videlicet*, an prærequiratur ad »
illam scientiam: *subdit*. Scio auctores aliquos magno ap- »
paratu congerere testimonia probationesque ad osten- »
dendum Deum illa cognoscere, in quibus tantam vim »
ponunt, vt dicant Thomistas, qui à principio negauerant »
in Deo esse horum scientiam futurorum, tanta mole, & »
fortitudine argumentorum pressos dedisse manus, & in »
eorum castra transisse. Nec parua verborum pompa, ina- »
nem triumphum de tanta victoria tubicinant. *Et postquam* »
addidit: ista omnia foliorum sonitum esse, & inanes vm- »
bras. *Concludit*. In his non inuenitur controuersia aliqua, »
vel dubitatio de hoc puncto, an Deus simpliciter co- »
gnoscat ista obiecta conditionatè futura; sed an Deus »
cognoscat illa, certò, & infallibiliter ante decretum »
suum: Et hoc probat ex Thesi, quam ad disputandum
proposuit Clemens VIII. dum ista Romæ agitarentur.
Ex quibus liquidò constat, non aliud contendere hos au-
ctores, quàm vt admittatur Dei prædefinitio circa ea quæ
dicuntur conditionatè futura, de cætero consensuros
cum defensoribus scientiæ mediæ, vt huiusmodi futura
certò sciri à Deo concedantur.

III. Quod autem queritur P. Ioannes à sancto Thoma, nuperis Thomistis imponi, quasi verò eam scientiam illi negent; Accuset Franciscum çumel, qui sic loquitur. Alij Theologi putauerunt Deum non cognoscere futura » conditionata, quia cùm talis futuritio non sit vera, neque » reponenda conditio vllo tempore, otiosa esset, & imper- » tinens cognitio talium futurorum...... Vnde nonnulli »

Sed immeritò queritur. Negarunt enim Thomistæ plerique scientiā conditionatā.

Tom. 1. variar. disp. in 1. p. dub. 5. „ Theologi hac difficultate pressi dixerunt scientiam, quam „ scriptura insinuat Deum habere de his futuris, solùm esse „ coniecturalem quandam cognitionem: in qua sententia „ veniunt enumerandi omnes illi, qui censent in Deo vni- „ cam præcisè esse rationem cognoscendi certò futura „ contingentia, nimirum realem præsentiam eorum in mensura æternitatis. Accuset Auctorem hunc cursus Salmanticensis, cùm dicit. Prima sententia asserit, quòd „ iuxta scripturam sacram Deus non cognoscit prædicta „ certitudine futura contingentia conditionata, de quibus „ loquimur. Ita Ledesma..... Et alii ex iunioribus

Dub. 5. num. 52. „ Thomistis. *Et iterum.* Sententiam negantem quoad „ priorem tituli partem, *quæ est.* An ponenda sint in Deo „ decreta conditionata, positiua, & efficacia, circa omnia „ futura contingentia conditionata? Tuentur plures „ ex Thomistis, tam ex antiquis quam ex iunioribus. Vnde sequitur, cum negare ista decreta, & negare certam futuri conditionati scientiam, idem sit apud Thomistas; *plures ex illis, tam ex antiquis quàm ex iunioribus*, negare certam futuri conditionati scientiam. Accuset Didacum Aluares disputatione 10. de Auxilijs, vbi Capreolo, Francisco à Christo, Palacios, & nonnullis alijs Theologis, qui alij esse non possunt quàm Thomistæ, attribuit, quòd tota ratio præsciendi futura, sit actualis præsentia, quam habent ab æterno, qua sublata, necessarium sit consequenter ea nesciri. Accuset se ipsum, qui

Disp. 20 ar. 1. p. 411. „ hæc narrat. Differentia autem, si qua fuit inter Thomi- „ stas, ad hoc tantùm reducitur, quòd aliqui ex antiquis „ Thomistis non admittebant huiusmodi decreta in Deo „ dari de facto, saltem pro omnibus combinationibus, quæ „ circa ista conditionata fieri & multiplicari possunt in infi- „ nitum, sed si qua dantur, solùm sunt circa aliquas veritates, „ quæ ad præsentem prouidentiam Dei spectant: sed ne- „ que hoc esse ita certum, quin possint aliqua scripturæ lo- „ ca exponi in sensu probabili, sine talibus decretis condi-

Art. 2. p. 420. „ tionatorum. *Et iterum.* Recedimus tamen ab his Thomi- „ stis, qui recusabant concedere decreta Dei libera circa „ talia obiecta conditionata. Negatio autem horum decre-

torum eſt, vt dicebam, in contraria ſententia, negatio ſcientiæ futuror ſub conditione. Accuſet demum quotquot vſi ſunt illa ratione contra Molinam, quòd ſcientia Dei adæquatè ſit diuiſa in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, neque poſſit hæc conditionata reduci ad alterutrum ex illis membris. Quia conſtat, non eſſe potiorem rationem cur hæc, quæ ſequitur decretum, reducatur ad vnum ex illis, quàm ad aliud: ipſique aduerſarij ſunt in eo inter ſe diuerſi; vnde conſequens eſt, vt eam negauerint Thomiſtæ, qui prædictam diſtinctionem ſeuerè tuentur. Nihil ergo imponunt, qui negatam illam dicunt ab heſternis Thomiſtis, ſaltem pluribus. Quòd ſi hodierni aliter ſentiunt, atque in eo vnanimes ſunt, vt huiuſmodi ſcientiam agnoſcant; quid peccarunt, qui credidere ad hoc eos iuuari potuiſſe innumeris ſanctorum Patrum, & Scholaſticorum teſtimonijs, ab auctoribus Societatis in eum finem abductis? Quod cum dicimus minimè *Tubicinamur*, neque id cum *pompâ* prædicamus, & *triumpho*, quem in huiuſmodi cauſis ſpectare, ac pati, quàm agere, glorioſius eſt; ſufficit nobis *foliorum* quibus ille labor inſcriptus eſt, *ſonitum* adeò non fuiſſe tenuem, quin aduertere potuerit vel inuitas aliquorũ aures. Hæ vero *vmbræ* quam non ſint inanes tempus probabit.

IV. Interea libenter amplectimur confeſſionem hanc, quâ dicitur; *in his non inueniri controuerſiam aliquam, vel dubitationem de hoc puncto, an Deus ſimpliciter cognoſcat iſta obiecta conditionatè futura*, habemuſque gratiam aduerſarijs, quod eâ nos laboris parte, quæ ad hoc probandum neceſſaria videbatur, leuatos velint. Supereſt ergo vt eam tantùm quæſtionem agitemus; Sit ne in Deo actualis prædefinitio, eorum etiam, quæ nec ſunt, nec fuerunt vnquam, nec erunt, ſed quæ liberè producerentur à creatis agentibus, ſi hæ, vel illæ circunſtantiæ concurrerent. Hoc eſt, ſit-ne in Deo actualis volitio, quâ dicat, volo vt ſi adoleſcens ille diutius viuat, eliciat actus qui mali ſunt, in omnibus circunſtantijs, à quibus implicat malitiam ſeparari. Volo vt ſi Dauid in Ceilâ remaneat, accurrat Saül, & Ceilitæ Dauidem prodant. Volo vt ſi

Qua de re iam diſputandum ſit.

Euangelium proponatur Tyrijs, & Sidonijs, miraculis confirmatum, illi pœnitentiam agant, & conuertantur. Hoc est *punctum*, inquiunt, *circa quod versatur totum controuersiæ pondus*.

Et vt explicetur omnino species integra cogitationis, totaque diuinorum actuum œconomia iuxta sententiam Aduersariorum describatur; decreta illa ita sunt concipienda: Volo, si adolescens ille viuat diutiùs, vt liberè producat actus, qui mali sunt, in omnibus circumstantijs, à quibus implicat abesse malitiam: & quia nolo absolutè, vt producat illos actus; ideo etiam absolutè nolo vt diutius viuat: volo, vt si Dauid in Ceilâ maneat; accurrat Saül, & prodant eum Ceilitæ: sed quia nolo absolutè vt accurrat Saül, & prodant eum Ceilitæ; nolo etiam absolutè vt in Ceila maneat. Volo vt si Euangelium cum miraculis proponatur Tyrijs, & Sidonijs, illi conuertantur, & salui fiant: sed quia absolutè nolo vt conuertantur, & salui fiant (disputamus cum doctoribus positiuæ reprobationis) nolo etiam absolutè vt Euangelium, & miracula illis proponantur. Hoc est punctum, inquiunt, *circa quod versatur totum controuersiæ pondus, quæ à quinquaginta annis paulò minùs, inter Patres sancti Dominici, & Societatis versatur*, negantibus scilicet Patribus Societatis esse talia in Deo decreta, & Patribus sancti Dominici contendentibus esse admittenda, vt & scientiam conditionatam, quæ de cætero admittitur ab vtrisque.

Non fuisse iustam ex hoc capite accusandi Molinæ causam: neque videri potuisse nouam illius doctrinam.

V. Hinc vero imprimis colligitur sine causâ turbatum esse in Hispaniâ, dum hæc quæstio moueri cœpit, & Molinam ex hoc capite iniquam vexationem passum esse: si non erat alterius criminis reus, quàm quòd negaret esse aliquas prædefinitiones earum rerum quæ nusquam sunt, sed quæ tamen liberè fierent, si earum causæ ponerentur. Quo modo enim vel noua, vel periculosa videri potuit hæc sententia, eo tempore, quo tam communis erat persuasio, nec ea quidem quæ aliquando futura sunt prædefinita esse omnia? An est potior ratio de futuris conditionatè, quàm de futuris absolutè; vt cùm concedas, dari posse horum præscientiam sine prædefinitione: reus

ſis ſi cogites, illa eſſe aliter ſcibilia; quàm quia ſunt prædefinita? Nam quòd tunc eſſet illa communis certaque omnium & eruditorum, & academiarum & nationum perſuaſio, quidquid à Deo ſcitur eſſe abſolutè futurum, ideo ſciri, quia vt ſit futurum ipſe decreuerit; ſi pugnaciter affirmare velint Aduerſarij, facilem inuenient in recenti eorum temporum memoria condemnationem. Quid enim dicemus? Nullos fuiſſe tunc qui ſe ita opponerent Caluino docenti. *Deum non aliter præſciuiſſe humani generis lapſum, quam quia ipſe ordinauerat*; vt aliquam præſcientiam, ſine ordinatione defenderent? Nullos qui Auguſtini illud, & Proſperi, & Fulgentij, & ſubinde conſequentium Patrum, etiam Magiſtri ſententiarum, etiam D. Thomæ, mordicus tenerent, *Latiùs patere præſcientiam prædefinitione?* Nullos qui cum Iuſtino, cum Origene, cum Euſebio, cum Chryſoſtomo, cum Theodoreto cum Damaſceno, etiam cum Auguſtino, etiam cum Magiſtro & S. Thoma, cauſalem illam approbarent, *ideo præſciri futura quia futura ſunt*; hanc reiicerent, *ideo eſſe futura, quia præſciuntur?* Nullos Nominalium Sectatores qui diſertè negarent Deum ideo tantùm eſſe futurorum præſcium quia ſuorum ipſe conſcius eſt decretorum? Nullos D. Thomæ, & Thomiſtarum veterum, vt Capreoli, qui nullâ decretorum factâ mentione, rationem omnem futura præſciendi referrent in ſolam eorum in æternitate *Præſentialitatem?* Nullos denique qui timerent, antecedentem omnem, & decretoriam circa liberos actus voluntatem, tanquam libertati contrariam? Cùm, inquam, ea eſſet tunc Catholicorum Doctorum diſpoſitio, quæ etiamnum eſt, vt minimè ſuſpectus eſſe videretur, qui diceret, ſecluſis prædefinitionibus aliqua & eſſe, & ſciri abſolutè futura; Molina deferendus fuit, & terra marique perſequendus eo nomine, quòd ſecluſis ſimiliter prædefinitionibus, aliqua doceret & eſſe, & ſciri futura conditionatè? Iudicabit prudens Lector ſatiſne iſta cohæreant, meritóque vrgendus fuerit Summus Pontifex, tantùm vt definiret Dei voluntatem tali quodam modo concipiendam eſſe.

Volo vt si vellem Tyrijs proponi Euangelium, illi conuerterentur: sed quia nolo vt conuertantur, nolo vt illis proponatur Euangelium. Nempe si hoc definiendum est, vt Molina damnetur, possumus viuere securi.

Quærendos aduersarijs Auctores, potiùs quam nobis.

VI. Secundò colligatur ex dictis nos gratuitam operam nauare, ac præter debitum; dum testimonia congerimus, queis scientia media confirmetur; esse enim potiùs aduersariorum ea proferre, quibus impugnent, quàm nostrum quibus comprobemus. Cum enim hæc sententia duo tantum capita contineat, sciri conditionatè futura, & nullam dari eorum prædefinitionem ex parte obiecti conditionatam, quæ sit ratio illa sciendi: primum, quod in quadam affirmatione consistit, probandum nobis esset, nisi iam aduersarij suâ confessione laborem nobis illum remitterent. Secundum quod consistit in negatione, probationes illorum expectat, nobis autem sufficit, si soluere illas commodè possimus: quod est munus eorum, qui negant in omni disputatione. Dicere enim non dari prædefinitiones illas, idem est, ac dicere nusquam reperiri earum vestigium, vel in scriptura, vel in Concilijs, vel apud Patres, vel apud Doctores Scholasticos. Quemadmodum enim qui negat aliquam opinionem esse Aristotelicam, onus imponit contradicenti, textus illos Aristotelis promendi, quibus videatur id sensisse, quod negatur: ita qui negat aliquid ex scriptura, vel Patribus colligi posse: necessitatem inijcit oppugnantibus ea loca producendi, quibus videatur id contineri quod negatur. Nobis ergo sufficit, quòd possimus dicere, nos id quod in scripturâ, & Patribus, & Scholasticis Doctoribus inuenimus, asserere, dari videlicet scientiam conditionatam liberarum actionum ex aliqua hypothesi futurarum: quod non reperimus, non asserere; nempe dari earundem actionum prædefinitiones etiam conditionatas. Aduersariorum autem officium est, ostendere meliores sibi oculos esse, atque indicare loca, in quibus ea conspici possint, quæ à nobis non videntur. Hoc autem non eo dico, quasi verò non suppetant nobis pleraque argumenta, eaque admodum efficacia, quibus positiuè probemus, ex Scri-

pturis,

pturis, & Patribus, alijsque Doctoribus non tantùm non fuisse hactenus admissas prædefinitiones conditionatas, sed repulsas potiùs: vt patet ex ijs, quæ dicta sunt superioribus disputationibus, & quæ supersunt dicenda; sed vt constet nos abundè satisfacturos officio, si vel tantùm non incommodè solueremus Aduersariorum argumenta.

VII. Vnde inferas tertiò, quod iudicium ferendum sit de quadam huius doctoris Collegij Salmanticensis ratiocinatione, quâ contendit, in ea quæstione quâ petitur vtrum scientia media sit vel non sit de mente sancti Thomæ; Patribus Dominicanis esse potiùs credendum, quàm nobis. Quia, *inquit*, Patres Dominicani nullâ passione contra Aduersarios ducti, aut necessitate ab extrinseco (vt aiunt) illatâ coacti, pro se, & contra scientiam mediam, D. Thomam adducunt. At vero aduersarij, licet non passione contra Dominicanos allecti, necessitate tamen quasi compulsi, doctrinam de scientiâ mediâ D. Thomæ auctoritate fulciunt. Assumptum infœliciter probat & argumento ad concludendum potiùs contrarium composito. Vtitur enim hoc dilemmate. Quia cùm Molina suam scientiam mediam in lucem edidit, vel erat in Scholâ Dominicanorum recepta vt doctrina diui Thomæ, vel communiter reiecta vt illi contraria? Respondemus neque rèceptam communiter fuisse, neque communiter reiectam, sed sepultam potiùs sub tacitis hypothesibus. Sed estò illud. Primum, *inquit*, dici non potest, vt clarum est; si secundum; ergo nulla passione contra aduersarios ducti, prædictam scientiam mediam, vt quid contra D. Thomam, reiecerunt. Vide, amabo te Lector, hanc sequelam. *Si secundum*, hoc est, si scientia media erat communiter reiecta in Scholâ Patrum Dominicanorum, tanquam D. Thomæ contraria, quando Molina illam edidit in lucem. *Ergo nulla passione ducti Thomistæ, prædictam scientiam mediam, vt quid contra D. Thomam reiecerunt.* Et vide etiam hanc: Maximè cum Patres Societatis vsque ad illa tempora Dominicanorum viam, & doctrinam secuti fuissent. Atque adeo incredibile est, quod erga eos non essent ex eo capite, vt par erat, affe-

Clauda quædam Aduersariorum ratiocinatio.

tium sufficere potest. Et quamuis argumentum, quod vocant ab auctoritate negatiua, non vrgeat; valet tamen ad hoc, vt probabilius videatur, non credidisse Doctores, quàm credidisse quod nusquam affirmant, præsertim vbi quæstiones connexæ sunt, & tempus, atque occasio inuitabat, vt eam mentem proderent, cuius vestigia nulla conspiciuntur, vt hîc accidit. Quis enim iure reprehendat existimantem Doctores id sensisse, quod apud eos legit; non sensisseque quod non legit? Quare nisi Thomistæ ostendere possint, antiquis fuisse probe cognitas, quas diximus, prædefinitiones; non potest dubitari, quin sit probabilior suspicio nostra, quâ dicimus non eas approbasse, quàm ipsorum, qui contrarium persuadere conantur. Hactenus autem non videntur id satis præstitisse, vt constabit percurrenti ea quæ solent in eum finem proferre, cuius rei operæ pretium est, vt experimentum aliquod capiamus.

CAPVT II.

Scripturæ testimonium contra Scientiam mediam soluitur.

IX.  ABENDVM præ oculis est, totam controuersiam eò reduci, an sit in Deo prædefinitio, quâ fiat vt quod est ex aliquâ hypothesi liberè futurum; ita futurum sit. Partem affirmantem aduersarius probat vnico scripturæ testimonio ex multis selecto, nempe illo Pauli. Ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur ,, pro alio; quis enim te discernit? quid autem habes, quod ,, non accepisti? Si autem accepisti; quid gloriaris quasi ,, non acceperis? Hic, *inquit*, locus, suppressis alijs multis, ,, selectus est; quod eius veritas videatur non posse ita bene ,, saluari, si semel admittatur scientia media, siue condi- ,, tionata: hoc est, vt dixi, si non admittatur hoc decretum

1. ad Cor. c. 4.

in Deo; *volo vt si hoc illi bonum contingat, sequatur inde talis actus liber:* quod est dicere hoc decretum in illis verbis Pauli sic relucere, vt eo negato, *non ita bene saluari posset illorum veritas.* Benè habet. Cœterorum ergo locorum scripturæ veritas *non ita malè* saluari potest cum nostrâ sententiâ. Ac proinde si huic vni satisfiat, scientia media in tuto est: neque sibi à Scripturâ timere quidquam potest. Ego verò illius decreti, de quo est quæstio, assertionem in verbis Pauli minimè lego; neque video, quomodo is qui se id legere dicit, quicumque sit; non possit etiam facile hebræa legere sine punctis. Quare concedo, vt par est, veram esse Apostoli orationem atque sententiam: & nego, quod inde infertur, admittendam esse prædefinitionem actuum ex parte obiecti conditionatam.

Dices, nisi admittatur hæc prædefinitio, sequitur vnum posse inflari, & gloriari aduersùs alterum, de aliquo quod non acceperit, & consequenter tribuere sibi discretionem illam, quâ melior differt à peiore, contra mentem Apostoli. Sequela probatur: nullâ enim admissâ prædefinitione, sequitur antecedenter pares esse, tum illum qui non consentit sanctæ cogitationi, tum illum qui consentit. Ergo cum Deus vtrique paria præstet, quantum est ex se, restat vt eorum discrimen refundatur in aliam causam; alia verò nulla est præter liberum arbitrium ipsorum. Hoc ergo causa est illius discriminis, & consequenter obiurganti Apostolo, atque interroganti, quis te discernit, poterit alter dicere *meum liberum arbitrium me discernit*, itaque gloriari, & inflari aduersùs alterum. Nam quòd in vno reperiatur aliquid diuinum, quod non reperitur in alio, nimirum ipse Dei concursus in actu secundo; nihil obstat. Si quidem ille concursus vtrique pariter oblatus est; & in eo tantùm est discrimen, quòd vnus illum acceptarit pro suâ libertate, alter non acceptarit: vnde licet acceptanti gloriari præ non acceptante.

Germanus Apostoli sensus.

X. Respondeo ijs omissis, studio breuitatis, quæ plurima, & dicuntur, & dici possunt in hac difficultate; fore illam exiguam, si Apostoli tantùm mentem, atque sco-

pum intueremur: qui Corinthios alloquitur eos, qui se alijs præferrent, non eo nomine, quòd diuinæ gratiæ consensissent; sed quod essent melioribus vsi præceptoribus, ac Catechistis. Qui casus cùm minimè ab eorum prouidentia pependisset, immeritò inflabantur alter aduersùs alterum. Sed quia fieri potest argumentum veluti à pari, aut etiam à maiori ad minus, coarguendis hominibus, qui sibi ac libero arbitrio id tribuunt, quod est potiùs diuinæ gratiæ tribuendum: & quia sanctus Augustinus passim hunc etiam locum in eum finem accommodat contra Pelagianos, & semi-Pelagianos:

Addendum est, negatis prædefinitionibus conditionatis integram esse veritatem verborum Apostoli, etiam iuxta illam siue interpretationem, siue accommodationem Augustini. Et quidem quod attinet ad *inflationem* & *gloriationem vnius aduersùs alterum*, nunquam illa non est mala, vt per se patet, etiam in ijs quæ tribui libero arbitrio, & viribus naturalibus possunt. Quod spectat verò ad discretionem; quam Apostolus à Deo acceptam esse contendit; non autem ortam ex ipso eorum qui discernuntur arbitrio; cum dicit. *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* vel quæritur vnde sit potentia discretiua in eo qui consentit diuinæ gratiæ: quasi dicat Apostolus, *quis dedit tibi virtutem illam, per quam elicuisti bonam actionem, qua discerneveris ab alio?* vel quæritur vnde sit actio ipsa bona per quam fit discretio: quasi diceret, *quis dedit tibi huiusmodi bonam actionem, qua differs ab ignauo illo, & nihil agente?* Si primum. Cùm illa virtus discretiua duo necessario includat, quorum alterum est supernaturale, alterum naturale; facultatem scilicet liberi arbitrij, & Deum eleuantem ad actum supernaturalem (eâdem ego cautione vtor, quâ se vti profitetur Aduersarius, qui „ se loquutum dicit, de æqualitate tantùm gratuita volun- „ tatis Dei, non verò auxiliorum gratiæ, quæ in voluntate „ creata recipiuntur, vt ne minimùm quidem verbum, „ quantum fieri possit, de his proferat, vt ita longissimè „ distet à non adeò perfectâ obseruatione decreti Sanctissi- „ mi Domini nostri Romani Pontificis, quo cautum est ne „

Admissâ scientiâ mediâ est adhuc locus integer interrogationi Apostoli & exprobrationi.

Disput. 10. dub 1. n 12.

„ tractatus, & disputationes de efficacia auxiliorum diuinæ
„ gratiæ typis mandentur) Cùm ergo virtus discretiua siue effectiua discretionis, duo necessario includat, facultatem liberi arbitrij, & Deum eleuantem, meritò quærit Apostolus, vnde habeat homo virtutem illam; quia secundùm id omne quod dicit, vel est à Deo, vel est Deus ipse; nempe quatenus includit liberum arbitrium, est à Deo, vt auctore naturæ: quatenus verò importat eius eleuationem ad actum supernaturalem, est ab illo ipso, vel est ille ipse vt Auctor gratiæ: atque ita si attendatur vis illa effectiua discretionis; nihil habet is qui diuinæ gratiæ consentit, quod non acceperit. Quæ est illa confessio quam sanctus Paulus requirit.

Si secundum, hoc est, si quærat Apostolus vnde sit actio bona, per quam differt is qui consentit diuinæ gratiæ, ab eo qui non consentit, manifestum est non posse non acceptam referri eidem Auctori Deo, à quo manat totum illius principium, & virtus productiua, vel si haberetur ratio eius tantùm axiomatis, quo dicitur, *quod est causa causæ esse causa causati*. Quòd hîc eò maximè locum habet, quòd causa quam diximus, eius actionis per quam fit discretio productiua; à Deo est, vt productiua. Hoc est, intendit Deus quantùm est ex se, vt causa illa producat talem actionem: vnde non potest hæc actio vllo modo dici præter intentionem Dei, sed potiùs ex illius intentione. Ergo si attendatur discretio in actu secundo, siue actio per quam discernitur is qui consentit diuinæ gratiæ, ab eo, qui non consentit; adhuc est verum, nihil illum habere, quod non acceperit: atque ita interroganti Apostolo, *quis te discernit, & quid habes quod non accepisti?* si dicere velit, id quod res est, is qui diuinæ gratiæ consentit; respondebit, se neque in actu primo, neque in actu secundo quidquam habere spectans ad huiusmodi discretionem, quod sit aliter suum, quàm quia à Deo acceptum est, ac proinde se merito gloriari non posse, atque inflari aduersùs alterum, quasi præ illo aliquid habeat, quod non sit acceptum.

XI. Instabis. Qui paria facit duobus, non potest dici

causa eius, in quo vnus, alium excedit; Atqui Deus in hac hypothesi paria facit duobus istis, quorum vnus consentit diuinæ gratiæ, alius non consentit; ergo non potest dici causa eius, in quo vnus alium excedit. Ergo is qui excedit, excessum illum habet à se, non autem ab eo qui paria facit; & potest hoc nomine gloriari aduersùs alterum. Respondeo. Distinguo maiorem, qui paria facit duobus antecedenter, non post dici causa eius, in quo vnus alium excedit etiam antecedenter, concedo maiorem; Eius, in quo vnus alium excedit consequenter: nego maiorem. Atqui Deus paria facit duobus, consentienti scilicet, & non consentienti diuinæ gratiæ; antecedenter, esto minor, quæ postea negabitur. Ergo non potest esse causa eius in quo vnus alium excedit antecedenter: si sit vllus talis excessus, concedo consequentiam: Non potest esse causa eius in quo vnus aliũ excedit consequenter; Nego consequentiam. Ratio est manifesta, quia consensus iste consequens, quo vnus alium excedit, non potest non esse effectus illius antecedentis, in quo pares supponuntur, cum ad hoc sit positum à Deo illud antecedens, vt esset istud consequens. Nimirum consensus & cooperatio cum diuina gratia, fit ex intentione Dei, & à Deo ipso, tum mediatè, tum immediatè: & ita semper verum est, consentientem diuinæ gratiæ, non excedere non consentientem in vllo, quod non sit à Deo.

Etiam si Deus paria præstet antecedenter tum consentienti diuinæ gratiæ tum non cõsentienti; est tamen adhuc cur dicatur causa eius in quo vnus alium excedit consequenter.

XII. Instabis secundò, si antecedens illud à Deo positum, est æquale in vtroque, & eâdem, atque æquali voluntate atque intentione Dei positum; quomodo Deus non causat idem consequens in vtroque, sed in altero tantùm? Respondeo quia illud antecedens est liberum vtrobique, & pro suâ libertate in vna hypothesi non finit Deum causare quod intendit: in alia hypothesi finit illud causare, Ergo, inquies, saltem hoc quod est, hunc *finere* Deum causare, non erit à Deo, sed à libero arbitrio: poteritque esse materia gloriandi, quasi de re non acceptâ: quia vt supponimus, quod est à Deo in vtroque æquale atque idem est. Respondeo nego consequentiam, quia illud *finere*, seu non *impedire*, reipsa nihil

Etiam hoc quod est non impedire effectum gratiæ, à Deo est: etiamsi antecedenter æqualiter se ha-

beat ad impedientem & non impedientem.

aliud eſt, quàm non ſuſpendere actionem Dei, vel non elicere contrariam, quod facit liberum arbitrium cooperando, & conſentiendo; vnde cùm ipſum cooperari, & conſentire, non fit à libero arbitrio, niſi vt excitato & adiuto, & eleuato à Deo; conſequenter ipſum *ſinere* ſeu nõ *impedire*, non erit à libero arbitrio, niſi vt excitato, vt adiuto, vt eleuato à Deo. Et quod additur, id quod eſt à Deo eſſe æquale & idem in vtroque duorum illorum qui ſupponuntur: iam diſtinxi; id quod eſt à Deo antecedenter eſſe æquale, & idem in vtroque, non autem id quod eſt à Deo conſequenter. Et hoc eſt in quo vnus alium excedit.

XIII. Inſtabis Tertiò. Hoc quod dicitur eſſe à Deo conſequenter; ille nimirum conſenſus & cooperatio; tam fuit oblatus non conſentienti nec cooperanti, quàm conſentienti, & cooperanti: & proinde tam dici poteſt vni datus, quam alteri reſpectu Dei: & differentia ſolùm eſt, quòd iſte acceptarit, & acceperit quod dabatur; ille verò non acceptarit, ideoque nec acceperit. Relinquitur ergo vt iſte, qui & acceptauit, & accepit pro ſua libertate, gloriari poſſit aduersùs non acceptantem. Reſpondeo. Tranſeat Antecedens. Nego hanc conſequentiam. Quia illud *acceptare*, atque *accipere*, nihil aliud eſt reipſa, quàm *cooperari*, & *conſentire*. Hoc autem non eſt à libero arbitrio, niſi vt eleuato, excitato, adiuto diuinitus. Ergo *acceptare* illud, & *accipere*, non aliter eſt à libero arbitio, quàm vt adiuto, excitato, & eleuato à Deo: ac proinde nihil hîc eſt non acceptum à Deo. Ergo de nullo gloriari licet, quaſi de non accepto. Et ſi recurrat illud, Deum vtrique eadem præſtare; ergo non diſcernere; contra quàm velit Apoſtolus: recurret etiam reſponſio, Deum vtrique eadem præſtare antecedenter, vnde non ſequitur, quin ſit eius cauſa, in quo vnus ab alio conſequenter diſcernitur.

Idem dicendum de eo quod eſt acceptare atque accipere fructum gratiæ.

XIV. Inſtabis quartò. Eſto, maneat illud, Deum eſſe cauſam eius, in quo vnus ab alio diſcernitur ſpecificatiuè loquendo: non tamen reduplicatiuè, ac formaliter: quatenus illud diſcretiuum eſt, & aliquid dicit in vno *præ alio*:

vnde

vnde nec dici potest Deus esse causa huius discretionis formaliter sumptæ, sed materialiter tantùm eius rei, quæ discretio est, seu quâ discretio fit. Ergo restat vt liberum arbitrium sit talis causa; & proinde vt eo sensu dici possit à se ipso discerni, non à Deo. Respondeo, discretionem illam sumptam formaliter, ac reduplicatiuè duo dicere, nempe positionem eius in quo vnus alium excedit, in eo qui excedit, & defectum eius in eo qui exceditur: ac proinde causam illius ita sumptæ, debere esse causam & excessus illius, in eo qui excedit, & defectus in eo qui exceditur. Discrimen, inquam, consentientis à non consentiente, quatenus est illorum discrimen formaliter; non tantùm dicit positionem consensus in eo qui consentis; sed connotat etiam, seu importat non positionem similis consensus in eo qui non consentit. Ergo quod est causa huius discriminis vt sic, debet esse causa; non solùm cur sit consensus in eo qui consentit; sed cur sit etiam non consensus in eo qui non consentit. Atqui neque Deus, neque liberum arbitrium consentientis potest esse talis causa. Non Deus, quia non vult vt ille qui non consentit non consentiat; sed vult potiùs vt consentiat, atque ad hoc perinde illum iuuat ac consentientem, vt supponimus. Liberum etiam arbitrium consentientis, quo modo posset dici causa non consensus in alio, quem non respicit, & in quo nihil neque ponit, neque destruit? Qui vellet ergo assignare talem causam, deberet accipere simul vtramque voluntatem consentientis, & non consentientis; vtraque enim illa, suppositis ijs quæ requiruntur ex parte Dei, est causa formalis illius discretionis, seu discriminis, quatenus illud est comparatiuum vnius cum alio, & importat defectum in vno eiusdem rei, quam ponit in alio. Deus autem neque debet, neque potest alio sensu dici talis causa, quàm quia est causa cur ponatur in vno consensus ille, quo reipsa discernitur ab alio. Sed neque liberum arbitrium consentientis aliter etiam est illius causa, quàm quia eleuatum, & adiutum à Deo, eumdem consensum ponit. Sufficit ergo ad mentem Apostoli, cùm dicitur Deus discernere consentientem à non con-

Deus debet esse causa eius quo cõsentiens discernitur à non consentiente, specificatiuè tantùm: alio qui esset causa cur alter non consentiret.

sentiente, quòd sit causa discretionis illius, specificatiuè, ac materialiter sumptæ, siue, quòd sit causa cõsensus, quo contingit consentientem excedere non consentientem: valetque hoc loco, quod dici solet, dum disputatur an possit voluntas, propositis inæqualibus medijs, eligere minus præ maiori; neque enim hoc potest affectu comparatiuo, & optando minus, vt minus est: quia ratio minoris boni, non est aliquid appetibile, aut eligibile. Ita bonum vnius, quatenus connotat malum alterius, non est aliquid amabile Deo, nec proinde sub ea ratione dici potest Deus illud appetere, seu causare. Atque in eo, ni fallor, deceptus est Auctor cum quo disputamus, qui videtur sentire adscribendam esse Deo discretionem hanc formaliter & quatenus vnus aliquid habet præ alio: non autem materialiter tantùm, ita vt sufficiat id in quo vnus alium excedit, esse à Deo. Et hæc est illa ratio de qua iudicabit eruditus Lector, idonea-ne sit, ad saluandam, vt Aduersarius postulat, Apostolicæ sententiæ veritatem, seclusis prædefinitionibus conditionatis.

Secunda solutio, Apostolum loqui de ijs tantùm qui gloriantur de bonis existentibus absolutè non autem conditionatè.

XV. Addo præterea agere Apostolum cum ijs hominibus, qui gloriantur de ijs quæ habent absolutè: non verò de ijs quæ habituri essent conditionatè. Vix enim reperiri aliquis possit adeo insanus, qui vt glorietur, constituat se ipsum sub scientiâ conditionatâ, & præsentem gloriam, atque existentem absolutè captare velit ex bono quod ex conditione suspensum est. Præterquam quod, si ad hypotheses illas recurramus, fieri non poterit, vt cum sint infinities infinitæ; si vna tibi sit gloriosa, non sit & alia probrosa: & vice-versa, si socio tuo vna probrosa sit; non sit & alia laudabilis, & honesta. Cum illâ verò compensatione reciprocâ, desipiat quisquis sibi licere putet aduersus illum gloriari, à quo parem expectare potest aduersum se, gloriationem. Hoc igitur constituto, Apostolum scilicet agere cum ijs qui gloriantur de eo quod habent, aut agunt de facto; dico seclusis prædefinitionibus conditionatis, esse cur asseramus Deum illos discernere, etiam antecedenter ad absolutam illam existentiam boni de quo gloriantur, ratione specialis beneficij, quod vni præ

altero confertur. Nempe suppositâ scientiâ conditionatâ, quâ scit in hac hypothesi bene vsurum illum gratiâ suâ, illum non bene vsurum; in aliâ è contrario; quod statuat pro suâ merâ libertate ponere illam, quâ scitur vnus benè vsurus potiùs, quàm illam, quâ benè vteretur & alius; & est aliquid antecedens absolutam positionem illius boni vsus: & est aliquid melius moraliter, atque optabilius. Si quis igitur ideo glorietur, poterit illâ Pauli quæstione verberari, *quis te discernit?* hoc est, cùm tibi occurrere possent vel hæ circumstantiæ in quibus tu benè operaris, ille non item; vel aliæ in quibus ille bene operaretur, tu verò minimè; quis te illi prætulit statuendo quod tibi melius atque vtilius esse sciebatur? & quid habes, quod beneficio illius prælationis non acceperis? si autem accepisti quid gloriaris? Nec est quod obijciat Aduersarius, actum secundum, cuiusmodi est consensus conditionatè futurus, non posse pertinere ad actum primum. Quia si intelligit actum secundum vt conditionatè futurum; non posse esse obiectum præscientiæ prælucentis decreto præuio ad absolutam eiusdem actus secundi futuritionem, quod tantùm asserimus; falsum assumit: si aliud intelligit, nobis non nocet. Hæc est alia ratio quâ *non ita malè* saluari forte poterit veritas verborum Apostoli sine prædefinitionibus conditionatis: sed quia, vt dixi, Augustinus potissimùm illâ vtitur sententiâ, vt Dei beneficium commendet erga illos qui benè viuunt.

Seclusis prædefinitionibus est cur dicatur à Deo discerni antecedenter cõsentiens à non consentiente.

Ib num. 10

XVI. Addo denique, seclusis prædefinitionibus conditionatis, & admissis absolutis, quas longè probabilius est, iuxta mentem Augusti admittendas esse, respectu bonorum actuum, & supernaturalium, præsertim in prædestinatis; planam esse verborum Apostoli interpretationem. Nam si comparemus prædestinatum, cum non prædestinato, rectè ab illo quæritur, quis te discernit? id est, quis te separauit præ illo à massâ perditionis electione gratuitâ, ex quâ sequutum est deinceps, vt alia esset Dei voluntas circa bonum vsum suarum gratiarum in te, quàm in illo? Cui quæstioni quid aliud respondeat is, qui se prædestinatum putat, quàm adorandam sibi

Tertia solutio, seclusis prædefinitionibus conditionatis restãt absolutæ pendentes à Scientia media, ratione quatum dicatur antecedenter à Deo discerni consentiens à

non consentiente.

esse diuinam misericordiam, & deosculanda eius beneficia?

Si conferatur item prædestinatus, cum prædestinato, qui aliquando labitur, nec voluntati atque amori Dei semper respondet; quærenti quis te discernit; id est, quis facit vt ex electione illa, quâ destinatus es ad vitam æternam infallibiliter consequendam, sequatur alia circa te Dei voluntas in hoc rerum occursu, quàm circa illum: quamuis & ille prædestinatus etiam sit? Et hîc pariter nihil aliud dicere poterit, quàm esse hoc donum Dei quoddam gratuitum. Denique si vellet reprobus, qui quandoque benè viuit, aduersus alium, seu reprobum, seu prædestinatum, sed pro tempore nequiorem gloriari; facilè erit fastum illum coercere. Nam in quantum benè viuit, nos qui Dei iudicia, & hominum fines ignoramus, non aliter debemus agere cum illo, quàm vt cum prædestinato: atque adeo ex illâ, vel nostrâ, vel illius præsumptione, petere possumus, *quis te discernit*? si forte superbiret; neque ille aliud habebit quod respondeat, nisi Deum sibi esse imaginariæ illius discretionis causam, atque auctorem. Quod si aliqua esset reprobationis suspicio, tunc nihil opus esset, ad debellandam eius superbiam interrogare, *quis te discernit*? maior enim est pudoris & abiectionis materia, si cogitet se fortè non esse discretum, sed confusum potiùs cum perditorum massâ: quàm si audiat, se non arbitrio suo, sed alterius beneficio esse discretum. Quæ ideo dico, quia Sanctus Augustinus indicare videtur specialem illam voluntatem, & prædefinitionem actuum supernaturalium esse propriam prædestinatorum. Quod si lubet eam etiam extendere ad reprobos: ac dicere supernaturales quoque ipsorum actus esse prædefinitos; nihil huic sententiæ deperit, quam tuemur: & semper stat sine prædefinitionibus conditionatis, cum solis absolutis, quæ liberorum agentium naturæ sunt congruæ suppositâ scientiâ conditionatâ, saluam esse verborum Apostoli, quæ nobis obiecta sunt, veritatem; quod vnum hîc intendimus.

XVII. Nec quidquam obsunt, quæ Doctor Collegij

Salmanticensis contra hæc molitur, vt omnia conferenti facilè constabit. Nititur enim principijs vel incertis omnino, vel falsis, quorum aliqua hîc obiter perstringenda sunt.

Et primò sæpius supponit inæqualitatem, quam habent causæ liberæ in actu secundo, necessariò refundendam in aliquam inæqualitatem actus primi. Confirmatur, „ *inquit*, Primò, quoniam in prædicto euentu Petrus, & „ Ioannes secernuntur & sunt inæquales in actu secundo „ scilicet in ipso concursu: Ergo etiam debent secerni, & „ esse inæquales in actu primo. Ergo vna hæc inæqualitas „ cùm non possit in actu primo prouenire à gratiâ, si qui- „ dem in eâ præsupponuntur indiscreti, & quales oportet „ vt proueniat ex libero arbitrio, quæ ratiocinatio postea „ etiam repetitur: Ex eo verò infert, contra mentem Apòstoli posse illum qui consentit gloriari aduersus non consentientem, si verum est æqualem erga eos esse Dei voluntatem: quasi verò, vt supponitur æqualis erga illos Dei voluntas, non supponatur etiam æqualis arbitrij facultas, vt ideo possit qui gloriatur excessum aliquem primi actus, quem Dei voluntati non tribuit, tribuere igitur arbitrij facultati. Atqui hoc est proprium liberorum agentium, vt antecedens eorum æqualitas possit esse causa consequentis inæqualitatis: neque aliter stat libertas, seu facultas agendi, & non agendi. Quod si necessarius est excessus in actu primo, vt quis alium superet; quid faciet qui defectum patitur in eodem actu primo, verbi gratia, præmotionis, & alium tamen assequi tenetur?

Disp 10. dub 2 n 15.

Non est necessarium vt agentia libera in actu primo sint discreta, si discreta sunt in actu secundo.

XVIII. Secundò videtur supponere liberum arbitrium non esse partim causam illius discretionis, siue excessus, quo consentiens non consentientem superat, ita enim loquitur. Tum denique quia discretio illa, & inæqualitas non præuidetur iuxta oppositam sententiam vt procedens tota & totaliter à gratiâ vt à principio proximo, „ quandoquidem gratia est æqualis in vtroque; ergo præ- „ uidetur vt procedens partim à gratia, partim à volunta- „ te, secundum id, quod ex se habet, quamuis associata „

Numer. 18.

Non potest negari, quin liberum arbitrium sit partim causa discriminis, quo cõsentiens à non

consentiente discernitur. „ gratiæ : & ita poterit voluntas Petri partialiter gloriari „ aduersus Paulum, quòd ipse ex proprijs, licet associatis „ gratiæ, se discernat. Quod quia hic Auctor, tanquam absurdum proponit, consequenter censet liberum arbitrium, secundùm id quod ex se habet, etiam vt *associatum* gratiæ, non esse *partim* causam discretionis consentientis à non consentiente; sed procedere illam *totam* & *totaliter* à gratiâ. Neque aliud restat, quàm vt obijciatur nobis, quod sentiamus liberum arbitrium, secundùm id quod ex se habet, seu potiùs, quod ipsum est, cooperari diuinæ gratiæ, agere aliquid, nec esse vehiculum tantùm virtutis in ipso agentis, sed conprincipium: quod quidem nos multò libentiùs patiemur, quàm si putaremur non consentire Tridentino, vel ijs fauere, qui dicunt liberum arbitrium in hoc negotio *nihil omnino agere, mereque passiuè se habere.* Nempe vt omittam naturales rationes quas conceptus vitalis principij, atque etiam liberi suggerit, vt dicamus libero arbitrio partim esse ascribendas actiones illas, quæ ad salutem conducunt, manifestum est Augustinianum esse totum illud, ex duodecim aut tredecim illis testimonijs, quæ antea producta sunt, cùm possent etiam plura produci: & Augustinus contendit esse insuper diuinum, atque ab ipso Spiritu Sancto in sacris paginis pronunciatum. Fatemur ergo ingenuè, Deum secluso libero arbitrio, non esse totale principium actionis, quâ discernitur consentiens à non consentiente: ac proinde discretionem illam non esse à Deo *totaliter*, quasi verò liberum arbitrium non sit aliqua pars eius principij à quo procedit: Neque hoc aut velle Apostolum, aut rei veritatem ferre posse: nec ex eo capite ineptam esse gloriationem consentientis præ non consentiente, quod ille nihil ad consensum, quo discernitur conferat; sed quod nec conferat quidquam, nec conferre possit, nisi excitatus, & adiutus à Deo. Sed hæc Aduersarij cogitatio ex alia pendet, quæ mox excutienda est. Interea triâ tantùm appono Nazianzeni verba ex Oratione in Christi natiuitatem, *Homo arbitrij libertate donatus est, vt bonum non minùs illius esset qui elegisset, quàm eius qui semina præbuisset.*

suprà disp. 1. num. 57.

XIX. Tertiò igitur hic Doctor ex eo capite difficiliorem esse putat sententiam nostram, quod supponamus liberum arbitrium habere peculiarem virtutem agendi proximam & innatam, quamuis illi necessaria insuper sit gratia. Ita enim loquitur. Deinde alia via potest hæc solutio impugnari; præsupponendo tamen id, quod Aduersarij docent, vt videre est apud Molinam; liberum arbitrium creatum, præuentum voluntate Dei gratuitâ, & sufficienti, seu tenente se ex parte actus primi, habere peculiarem virtutem agendi proximam, & innatam, distinctam à virtute, quæ ei superadditur per gratuitam illam voluntatem Dei, quæque non tribuitur illi formaliter per talem voluntatem, licet non possit in actum supernaturalem influere per hanc virtutem, nisi associatam gratiæ. Quâ ex sententia infert tanquam aliquid absurdum, consentientem diuinæ gratiæ posse *partialiter* saltem gloriari, quòd eius discretio à non consentiente, non procedat *tota, & totaliter* à gratiâ: *sed partim à gratiâ, partim à voluntate secundùm id quod ex se habet, quamuis associata gratiæ*. Ergo iste Auctor ne in hoc absurdum incidat, ostendit se nequaquam approbare opinionem illam, quòd liberum arbitrium *per innatam virtutem, distinctam à virtute illi superaddita per gratuitam Dei voluntatem, aliquid agat*. Supponit ergo totum illud, quod est in libero arbitrio principium bonæ actionis, *esse superadditum à gratuita Dei voluntate*. Quæ cogitatio probari nobis vllo modo, neque debet, neque potest. Videtur enim tollere actionem omnem, & actiuitatem à libero arbitrio; atque illud, vt dicebam facere tantum vehiculum virtutis in ipso agentis, quo modo aqua vehiculum est caloris in ipsâ calefacientis. Nempe quidquid *superadditur* libero arbitrio *à gratuita Dei voluntate*, & gratuitum dici debet, & gratia; Atqui præter gratiam debet esse aliquid ex parte liberi arbitrij, quod sit principium actionis. Ergo præter id, quod est superadditum à gratuita Dei voluntate, debet esse aliquid ex parte liberi arbitrij, quod sit principium actionis Major ex terminorum penetratione nota est, Minor probatur. Implicat enim esse cooperationem,

Num 17. Proxima & innata virtus liberi arbitrij est principium actionis supernaturalis.

nisi vbi sunt principia distincta: quod sit ridiculum si quis concipiat gratiam cooperari sibi ipsi, perinde ac liberum arbitrium etiam sibi. Cùm ergo negari non possit vera, propria, & realis cooperatio liberi arbitrij cum gratia, in opere bono; nisi negemus fidei fundamenta; sequitur distinguenda esse duo principia, & vnum quidem ex parte liberi arbitrij, aliud autem ex parte gratiæ; ergo præter gratiam admittendum est aliquid ex parte liberi arbitrij, quod sit principium bonæ actionis. Atqui quidquid est præter gratiam in libero arbitrio, innatum est, atque insitum; Ergo præter gratiam admittendum est principium ex parte liberi arbitrij, quod sit ipsi innatum, & insitum, seu potiùs quod sit ipsum. Atque ita idoneum erit exemplum Augustini, qui postulat à Pelagianis, vt ita se habere fateantur liberum arbitrium ad gratiam, respectu bonæ actionis, quo modo se habet oculus ad lucem respectu visionis. Idonea erit & illa concessio, quâ homini per Dei gratiam se ipsum *castificanti* dicit, *tamen quia agis ibi aliquid voluntate; ideo & tibi aliquid tributum est.* Vbi cùm etiam dicat hominem *adiungere voluntatem suam Deo*: quid quæso intelligit? Nempe ipsa voluntas est, quæ se adiungit. Ad quid autem adiungit se nisi ad agendum? Et quo modo ipsa se ad agendum adiungit, si nihil in eâ est, quod agat, nisi id quod ei adiungitur, aut vt loquitur Aduersarius, superadditur? Quid, inquam, est adiungere se ad agendum alteri, nisi apponere illi comprincipium aliquod actionis? Quo modo autem apponere dicitur alteri comprincipium actionis, si illud cui apponitur sit totale principium, & tota virtus à quâ procedit actio? Vel si non est totale principium, & tota virtus ex quâ sequitur actio; quo modo negatur ei quæ se adiungit competere aliqua ratio principij & virtutis, quam adiungat? Eandem vim habet & illud aliud ex Augustino. „Nec ideo tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur admittenda etiam nostræ „efficacia voluntatis. Adiutor enim Deus noster dicitur, „nec adiuuari potest NISI QVI ALIQVID SPONTE CONATVR. Qui iuuat ad agendum, quid quæso iuuat, nisi virtutem

Lib. de pecc. mer. c. 5 & Epist. 106 ad Bonif.

Tr. 4. in Ep. Ioan.

Loco cit. de pecc. mer. & remiss.

tutem aliquam, insufficientem quidem, sed tamen effectricem? Ergo, cùm gratuita Dei voluntas quæ libero arbitrio *superadditur* ea sit, quæ iuuat liberum arbitrium ad agendum, ideoque dicatur *Adiuuans*; quid iuuabit nisi aliquam eius virtutem, insufficientem fateor, sed tamen aliquam virtutem, & quidem effectricem? Hæc porro virtus, si est supperaddita, quid aliud sequitur, quàm gratiam iuuare se ipsam, quod ridiculum est? Si non est superaddita; quo modo negari potest esse aliqua virtus in libero arbitrio & effectrix, & innata? Hoc ergo est, quod non diffitemur, quodque videtur nobis tum philosophiæ, tum etiam Theologiæ, ac fidei principijs maxime consentaneum, illam ipsam virtutem, & facultatem liberi arbitrij, quæ in operibus naturalibus est principium à quo immediatè, ac proximè pendet essentialiter naturalis operatio, adiungi gratiæ, ac voluntati Dei in operibus supernaturalibus, fierique vna cum illis partem aliquam totalis illius principij à quo immediatè ac proximè, & essentialiter pendet actio supernaturalis. Adeo vt si per impossibile maneret totum illud quod libero arbitrio superadditum est, subtractâ illius innatâ, & intrinsecâ illâ virtute; impossibile sit operationem supernaturalem remanere, defectu alicuius principij essentialiter requisiti. Negamusque inde quidquam consequi quod Apostolo repugnet interroganti, *Quis te discernit.* Quod enim opponitur, si Deus videat seclusa prædefinitione liberum arbitrium per suam innatam virtutem concurrere ad eam actionem, quâ discernitur benè operans à non operante, & esse partialem illius causam; sequi, posse illum qui benè operatur, *partialiter saltem gloriari*, quod ipse ab alio se discernat; reiectum est. Neque enim ideo tantùm prohibet Apostolus gloriationem illam, quòd liberum arbitrium per suam innatam virtutem nihil agat in eo negotio; sed quòd nihil agat, nisi Deo virtutem illam innatam excitante, atque adiuuante. Quod Stapletonus expressit de gratia, & libero arbitrio lib. 4. c. 14. cùm dicit. *Non negare Augustinum liberum arbitrium* ESSE CAVSAM DISCRIMINIS, *sed velle tantùm esse superio-*

rem, & inferiorem causam. Et, vt ego quidem existimo, facilè paterentur Aduersarij, vt diceremus liberum arbitriũ per suam innatam virtutem esse cooperaturũ, si prædefinitionem illius operationis, de quâ est quæstio, admitteremus; sicut ergo tunc non liceret gloriari, ex eo quod esset operaturum per innatam virtutem, quia non esset operaturum, nisi determinante innatam illam virtutem prædefinitione; ita neque modò gloriandum est, cùm negemus aliter operaturam illam innatam virtutem, quàm excitante & adiuuante Deo supernaturaliter. Atque hinc nascitur aliud, quod etiam nobis hic auctor affingit.

Inutilis & falsa partitio actionis supernaturalis, qua fieret aliquo sui Deum tantum respiciat, aliquo liberum arbitriũ tantùm.

XX. Suponit enim quartò; nos, vti partimur principium bonæ actionis, ita etiam partiri quodammodo actionem ipsam, & concipere aliquam in ea rationem quâ respiciat virtutem innatam liberi arbitrij tantùm, aliam verò, quâ respiciat gratiam tantùm. Ita enim Philosophatur. Sequela probatur, tum quia hoc ipso, quod liberum arbitrium habeat de suo aliquam virtutem proximam actiuam, quæ non tribuatur ei ab illa voluntate gratuita quamuis nequeat operari nisi associatum ipsi, oportet vt illa partialis efficientia liberi arbitrij, vt præcisè correspondet suæ virtuti proximæ, & innatæ, secundùm id quòd de suo habet quamuis associato gratiæ... præuideatur à Deo, aliquid quod non est formaliter ab illa vo-

Num. 21 luntate gratuita. *Et iterum ita infert*. Ergo licet Deus actu influat per concursum concomitantem, præuidebitur ab eo liberum arbitrium creatum vt discernens se in illa parte concursus, quem de suo, associato tamen gratiæ, præstat, quod simul operatur eum Deo secum cooperante. Vbi vides quomodo hic Auctor præter eam, quam admittimus principiorum partitionem, *concursum* quoque, atque *efficientiam* illorum partiatur: & eam partem, quæ respondet innatæ virtuti liberi arbitrij, iuxta sententiam hanc, idoneam putet gloriationi vnius aduersùs alterum tanquam sese ab illo discernentis. Sed purganda est hæc illusio. Nos enim bonam operationem, neque secamus in transuersum, vt faciebant Semipelagiani, qui intra certum terminum existimabant hominem sine gratia per

Christum posse benè agere, atque vtiliter ad salutem. Neque findimus in longum, vt iste Auctor nobis attribuit, qui partem actionis aliam respondere putat innatæ virtuti liberi arbitrij: aliam Deo supra naturam operanti. Nihil, inquam, esse dicimus in actione vllâ, quæ positiuè conferat ad salutem, siue merendo, vllo modo, siue impetrando, siue aliâ quadam ratione disponendo, quod à Deo supernaturaliter operante non dependeat ab initio ad finem: itáque obedimus Augustino dicenti lib. 2. contra duas Ep. Pelag. cap. vltimo. *Sic cogitetur Dei gratia, vt ab initio bonæ mutationis vsque in finem consummationis, qui gloriatur in Domino glorietur*: sed nihil quoque, quod non dependeat à voluntate, vt à principio vitali ac libero. Rationem liberæ ac vitalis, quæ in ea est, supernaturalem Deus facit, hoc est à se supra naturam operante dependentem. Rationem quoque supernaturalis, voluntatis innata virtus vitalem facit, & liberam; hoc est ab ipsius indifferentiâ, & dominio procedentem. Atque ita actio tota pendet à Deo, tota pendet à libero arbitrio; *Adiuuari enim non potest, nisi qui aliquid sponte conatur*, vt dicit Augustinus. Quare, si liceret libero arbitrio de eo gloriari, quod ab ipso est, gloriaretur de tota actione: de nullo verò licet ei gloriari, quia nihil in eâ est ab ipso: nisi vt excitato, vt adiuto, vt eleuato à Deo supra rerum omnium exigentiam operante. Diuersa videlicet, discretaque supponimus principia operationis indiscretæ; cuius id omne, quod vnum respicit principium, aliud quoque respicit: nec nisi connotato differt.

supra num. 19.

XXI. Denique videtur Aduersarius statum conditionatum non satis distinguere ab absoluto; quando ex eo quòd Deus videt ex hypothesi, pares esse antecedenter illos duos, quorum alter diuinæ gratiæ consentit, alter non consentit, nec vnum plus suæ misericordiæ debere, quàm alium sub illo statu; colligit, etiam postquam decreuit absolutè hypothesim illam ponere, atque ita facere, vt quod scitur conditionatè futurum, fiat futurum absolutè, remanere similiter pares antecedenter, atque æqualiter debitores sub hoc statu. Quod & si concede-

In transitu gratiæ congruæ è statu conditionato in absolutum interuenit specialis ratio beneficij.

remus, ſaluaretur tamen veritas Paulinæ ſententiæ iuxta primam illam interpretationem, quæ tradita eſt. Neque enim requirit Apoſtolus præcisè vi verborum illorum quæ obijciuntur, vt vnus ſe magis debitorem eſſe fateatur, quàm alius. Non dico non eſſe vnum magis debitorem quàm alium, ſed dico illud non colligi neceſſariò ex hoc Apoſtoli teſtimonio: ad cuius veritatem ſufficit, ſi is qui conſentit fateatur ſe nihil habere, quod non debeat. Quod debitum videri poteſt etiam eſſe in alio æquale, quamuis non ſit in eo conſenſus, quia ipſius vitio tantùm non eſt: & qui ſuo vitio beneficium corrumpit, tantùm videtur debere benefactori, quantum debet is qui ſeruat. Non ergo id exigit Pauli ſententia, vt ſe magis debitorem intelligat is qui conſentit; ſed ſimpliciter vt ſe debitorem intelligat omnis rei, de quâ gloriatur.

XXII. Sed quamuis hoc ita diceretur; nihilominus tamen falſum eſt, in illo tranſitu à ſtatu conditionato in abſolutum, ſiue in decreto quo decernitur poſitio conditionis, ſuppoſitâ illâ, quam dixi præſcientiâ, non poſſe concipi ſpecialem rationem beneficij, reſpectu illius, qui abſolutè conſentit, vti antea dictum eſt. Atque hoc eſt maximè verum, ſi decretum quo ponitur conditio, ſit ex prædefinitione abſolutâ, vel conſenſus ipſius, vel etiam vltimi finis, ſeu gloriæ ad quam ex ſuppoſitione prædeſtinatur is qui conſentit. Atque ita non vno modo, ſed tribus ſaluari poteſt veritas verborum Apoſtoli, abſque prædefinitionibus conditionatis, contra quàm timeret Aduerſarius. Quorum primus recentioribus quibuſdam placuit eruditis hominibus, ac pijs: ſecundus & tertius mihi magis probantur. Penes Lectorem optio ſit.

CAPVT III.

Augustinus an Scientiæ mediæ contrarius.

XXIII. IN hisce controuersijs Auctoritatis Augustini pondus esse magnum facilè inter omnes conuenit; illius tantùm sensus inquiritur: quem inuentu difficilem contendit Doctor Collegij Salmanticensis, propter multitudinem testimoniorum, quæ pro vtrâque parte adducuntur. Augustinum enim vtrinque sonare, & resonare, vtrinque Augustinum occurrere; cumque Augustinus Augustino obuiam fit, nequire illius faciem nisi attentè inspectam dignosci. Duabus igitur rationibus conatur ipse Augustini mentem inuenire. *Primo faciem, & verba illius inspiciendo in se ipsis, & attentè contemplando 2. ex effectibus, aut quasi effectibus.* Intueamur ergo nos quoque Augustini faciem: & videamus an in fronte inscriptam gerat *prædefinitionem conditionatam*, eorum etiam, quæ nusquam existunt in vllâ temporis differentiâ: in eo enim tota voluitur difficultas, vt visum est. Disput. 10. dubi. n. 58.

Sed est supponendum, Semipelagianos admisisse scientiam mediam. Hoc est, cum conditionatam admitterent, non admisisse pariter prædefinitiones: quam sententiam hic Doctor concedit non fuisse *hæreticam*, quamuis esset *hæreticorum*. Neque abludit F. Ioan. à Sancto Thoma vt postea constabit: neque aliud dicere potuerunt, cùm S. August. *Catholicum* vocet Doctorem illum, qui eandem scientiam adstruebat, vt antea vidimus. Vnde inferas accusatum Molinam raptumque ad tribunalia, quod rem nouam doceret: nempe illam, quæ ætate Augustini docebatur à Catholicis, quamque licet hæretici docerent, non tamen *hæreticè*; quemadmodum nec *hæreticè* profitentur esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum: & quod inde consequens est, tanto ambitu postulatum à

Hæretici tametsi scientiam mediam tuerentur non tamen hæreticè. Loco citato n. 58. Aug. de bono perseu. cap 10.

Sanctâ Sede, vt quæstionem hactenus indecisam, cuiusque iam inde à tempore Augustini libera fuerat inter Catholicos in vtramque partem definitio; hac ætate, quâ nihil admodum erat, quod à Pelagianis hæreticis timeretur; multum vero ab Anti-pelagianis; ita decideret, vt isti causam obtinuisse videri possent.

§. I.

Primum Augustini Testimonium.

Cap. 14. XXIV. AD Augustinum iam veniamus. Duo nobis loca obijciuntur, quorum alterum *illustrem* vocat Aduersarius, alterum *egregium*. Illustris ille est quem » habet in libro de prædestinatione sanctorum: Hæc est » tota causa, cur dictum est à quocunque dictum sit, raptus » est ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum est enim » secundùm pericula huius vitæ, non secundùm præscien» tiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non » quod futurum non erat; id est quòd ei mortem immatu» ram fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur in» certo, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in ten» tatione non esset. In hoc *illustri* loco tanquam in *facie* Augustini diligenter inspectâ legendum est hoc decretum Dei de illo, cuius vitam malam præmaturâ morte præuertit, *Volo vt si diutiùs viuat, vitam viuat, quæ nisi mala esse non potest; sed ne vitam illam viuat; nolo vt diutiùs viuat.* Consentimus enim ambo, vt dicamus scire Deum vitam illam malam, si viueret ille qui rapitur, futuram: dissentimus autem, quia sine decreto, quod dixi, Deum id scire ille negat; ego affirmo: totaque controuersiâ nostra est, an sit necessarium illud decretum ad huiusmodi scientiam, nec-ne. Ille necessarium esse confici putat loco illo *illustri*. cuius ego radios inficior, & quantacunque diligentia inspiciam Augustini *faciem* eâ in luce splendentem, facere non possum, quin negem vllum esse in eâ lineamentum, quo decretum huiusmodi repræsentetur, excipio semper interpretis penicillum & colores.

Solet enim sæpissimè supplere glossa, quod non habet textus, vt hîc accidit: vbi Aduersarius supponit Pelagianos hæreticos censuisse dari scientiam hanc, vt eâ ratione in hominum meritis inuenirent aliquam causam diuinæ gratiæ: dari autem *in illo signo rationis*, quod antecedit decretum efficax diuinæ voluntatis: Augustinum ergo citato loco, cum ait Scripturam intelligendam esse non secundùm præscientiam, sed secundùm pericula huius vitæ, & *Deum hoc præsciuisse quod erat futurum*; nempe rapiendum illum de quo scriptura loquitur: *non quod non erat futurum*, nempe illum si viuere sineretur peruertendum; scientiam absolutam futuri concedere, quæ habetur post decretum efficax & absolutum diuinæ voluntatis; scientiam verò conditionatam negare *pro illo signo rationis*, pro quo illam admittebant hæretici, nempe ante decretum efficax, & conditionatum. Et hæc quidem glossa perspicua est: neque dubiam esse sinit glossatoris mentem: sed ego insuper quæro mentem auctoris, & pergo asserere, nullum esse in Augustino, vel illius *signi rationis*, vel illius decreti conditionati vestigium.

XXV. Et primò quod dicit Aduersarius hæreticos fuisse Pelagianos, qui scientiâ meritorum conditionatè futurorum abutebantur ad eludendam gratiæ necessitatem; fallitur. Pelagianos enim Augustinus disertè negat ita sensisse; quin etiam eo nomine Massilienses, de quibus ad illum scripserant Prosper & Hilarius, hoc est Semipelagianos accusat, quòd cùm ipsi de cætero Pelagianorum doctrinam improbarent; in hac tamen futurorum ex hypothesi meritorum cogitatione, & efficacia turpiùs errarent. Verba illius sūt hoc ipso in libro: Hoc si audirent Pelagiani, „ *(Deum scilicet habere rationem futurorum si paruuli viuerent, meritorum)* non iam laborarent negando originale pecca- „ tum.... dicerent enim prorsus nullum esse originale pec- „ catum; sed pro suis futuris, si viuerent, meritis, vel bap- „ tizari, vel non baptizari eos, qui de corpore soluuntur „ infantes: & pro suis futuris meritis eos vel accipere, vel „ non accipere Corpus Christi.... Ita facilè agerent, atque „ obtinerent causam suam, quâ negant originale pecca- „

Pelagiani non sunt abusi scientiâ mediâ sed Semipelagiani.

Cap. 13.

» tum; & gratiam Dei non dari, nisi secundùm merita no-
» stra contendunt, sed quia hominum futura, quæ non sunt
» futura, procul dubio nulla sunt merita: & hoc videre fa-
» cillimum est; ideo nec Pelagiani dicere potuerunt, &
» multò magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non
» potest quàm molestè feram, Qvod viderunt Pela-
» giani esse falsissimvm, et absurdissimvm, hoc
» non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreti-
» corum Catholicâ auctoritate condemnant. Eodem per-
tinet, quod paulo ante sicut ad rem nouam Augustinus miratur, quòd intelligat esse homines, qui de futuris ex hypothesi meritis ita Philosophentur; cùm tamen minimè illi noua essent, aut inexplorata Pelagianorum pla-
» cita: Iudicari autem quemquam, *inquit*, non secundùm
» merita, quæ habuit quandiu fuit in corpore; sed secun-
» dùm merita, quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in
» corpore; vnde opinari potuerint homines, quorum inge-
» nia non esse contemptibilia, vestræ indicant litteræ (Pros-
» per, & Hilari) mirans, & stupens reperire non possum:
c.14. sub finem. » nec credere auderem; nisi vobis non credere, non aude-
rem. Et illud, quod subdit, Massilenses hoc dogmate destruere, id de quo Pelagiani non dubitabant, nimirum
» auctoritatem libri sapientiæ: & astruere, quod non dico
» crediturum, sed somniaturum neminem putaremus: se-
Contra duas Ep. Pelag. lib 2. c. 7. » cundùm ea scilicet iudicari quemquam mortuorum, quæ
» gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset. Hinc
etiam illud, quòd cùm Augustinus Pelagianos premeret exemplo Iacob & Esaü, qui dicuntur distincti ab Apostolo, cùm nondum nati essent nec quidquam boni aut mali egissent; tuerentur autem illi sese præscientiâ meritorum absolutè futurorum; obijcit Augustinus eorum exemplum, in quibus esse non possunt, nisi merita conditionatè futura, geminorum videlicet, quorum alter cum baptismo, alter sine baptismo in infantiâ moritur; pro comperto videlicet habens, non credere Pelagianos vllam haberi rationem istorum meritorum. En vt loqui-
» tur. Sed vt vobis auferretur omnis vestræ caliginis late-
» bra, propterea geminos tales proposui, qui neque paren-
tum

tum meritis iuuarentur, & ambo infantiæ primordio, vnus »
baptizatus, alter sine baptismate moreretur: ne diceretis »
Deum, sicut de Iacob, & Esau contra Apostolum dicitis, »
opera eorum futura præsciisse.... quod si absurdissimum, »
insulsissimum, dementissimum est, quoslibet homines »
ex his peccatis quorum nec reatum ex parentibus trahere »
sicut dicitis, nec ea non solùm committere, sed ne saltem »
cogitare potuerunt, esse damnandos: redit ad vos frater »
ille geminus baptizati, non baptizatus, & tacitus quærit »
à vobis vnde fuerit à fraterna fœlicitate discretus? Huic »
prorsus infanti linguam vestram, vocemque submittitis, »
huic non loquenti, quid loquamini non habetis. Nulla »
quippe merita ETIAM SECVNDVM IPSOS PELAGIANOS, » De bono perf. c. 12.
possunt in paruulis inueniri; cur alijs eorum mittantur in »
regnum, alij alienentur à regno. Ex his manifestò constat hunc errorem de meritorum conditionate futurorum efficacia, esse omnino alienum à sententia Pelagianorum; vnde ex hoc capite non benè inspexit Augustini faciem Aduersarius.

XXVI. Secundò neque ex hoc alio. Quod scilicet locum illum ex cap. 14. de prædestinatione sanctorum elegerit, vt ostenderet Augustinum repudiasse scientiam conditionatam, quam Semipelagiani admittebant, vel Semipelagianos admisisse, quam Augustinus repudiabat. Quod sit euidens illam scientiam, quam Augustinus repudiare videtur hoc loco, ipsos quoque Semipelagianos in tantùm repudiasse, vt quòd ea niti videretur auctoritate libri Sapientiæ, ipsum quoque librum negarint esse canonicum. Nimirum agitur hoc loco de præscientia futurorum, si viueret ille, qui rapi dicitur Sapientiæ 4. peccatorum, quam Augustinus obiecerat perinde valere posse ad damnandum illum, aut non præripiendum; ac valere poterat similis præscientia bonorum operum ad alium saluandum. Et quia non habuerunt illi quid responderent, negarunt absolutè præsciri vlla mala merita illius, qui dum bene viuit, immatura morte præripitur; & librum Sapientiæ, qui contrarium dicit, non facere fidem, quòd non sit canonicus. Audiamus Augustinum.

Scientia conditionata quæ hoc loco negari creditur ab Augustino, non asseritur à Semipelagianis.

„ Scripsit librum de mortalitate Cyprianus, multis, ac penè
„ omnibus, qui Ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter,
„ notum, in quo non solùm dicit non esse fidelibus inutilem
„ mortem, verùm etiam vtilem reperiri; quoniam peccan-
„ di periculis hominem subtrahit, & in non peccandi secu-
„ ritatem constituit. Sed quid prodest, si etiam futura, quæ
„ commissa non sunt peccata puniuntur? En vt objicit
præscientiam futurorum conditionatè peccatorum, vt ostendat minimè nocere, ac proinde nec prodesse præscientiam futurorum pariter meritorum. Pergit autem, & hoc ipsum confirmat cum Cypriano ex libro sapientiæ.
„ Ait tamen ille copiosissimè, atque optimè peccandi peri-
„ cula non deesse in ista vita, nec superesse post istam: vbi
„ & illud testimonium ponit de libro Sapientiæ; Raptus
„ est, &c. quod à me quoque positum Fratres istos ita res-
„ puisse dixistis, tanquam non de libro canonico adhibitum.
Ex quo patet, vt præscientiam illam repudiarent Massilienses, librum Sapientiæ repudiasse, id quod semel & iterum repetit hoc ipso loco. Vt sit perspicuum, vt ostenderet Aduersarius Augustinum negasse præscientiam, quam Semipelagiani astruebant; locum proposuisse, in quo non agitur de aliâ præscientiâ, quàm de illa, quam Semipelagiani magis negabant, quàm Augustinus ipse: siquidem Augustinus aliquo tantùm sensu negat præsciri peccata futura illius qui moritur innocens: Semipelagiani verò absolutè illam negabant, & ipsam etiam scripturam, quasi quæ nullo sensu posset esse vera. Vnde colligas, quàm benè quadrent Aduersarij verba cùm dicit Augustinum concludere hoc loco, non sciri à Deo conditio-
" natum illud, nimirum quòd ille qui immaturâ morte
Disp 10 num 34. " præuentus fuerat, peccaret grauiter si diutiùs viueret:
" ex eo quòd in illo signo in quo de illo loquebantur hære-
" tici, quodque assignatur pro scientiâ mediâ, nempe ante
" decretum efficax diuinæ voluntatis, non habet esse futu-
" rum. Atqui hæretici conditionatum illud, magis negabant quàm Augustinus ipse, & pro illo signo, & pro quocunque alio: est igitur aliunde colligenda oppositio hæc, Augustinum inter & hæreticos.

XXVII. Tertiò igitur alia congerit testimonia vt istius interpretationem confirmet. Cap. 7.

Primum desumitur ex citato loco lib. 2. contra duas Ep. Pelegianorum, vbi Augustinus hæc interserit. *Quomodo enim præsciuit ea futura, quæ illis in infantiâ morituris, quia præscientia eius falli non potest, præsciuit potiùs non futura.* Vbi notat Aduersarius Augustinum primùm impugnasse sententiam hæreticorum de scientia media futurorum ex hypothesi meritorum, monstrando nullam esse posse illius vim, & efficaciam ad excitandum Deum vt suam illis meritis gratiam superaddat: iam verò verbis proximè allatis euertere illam aliâ ratione, nimirum quòd nulla sit talis scientia: quippe cùm pro illo signo rationis, de quo loquuntur hæretici, quodque præcedit decretum Dei efficax nulla futura sint merita, proindeque nec sint præscita. Qua glossa id obtinet, vt credamus id sentire interpretem, cuius signum in textu nullum est. Sed mirum est quòd supponit Augustinum hîc impugnare hæreticos, qui nondum erant. Nonne perspicuum est, vel ex ipsa libri fronte Pelagianos esse hæreticos cum quibus ibi disputat Augustinus? Nonne iam quoque apertè monstratum, Semipelagianos in hoc præscitorum conditionatè meritorum vsu atque vi, Pelagianorum excessisse doctrinam? Nonne hoc ipso in loco Augustinus id significat, cùm negat Pelagianos habere quid respondeant infanti non baptizato quærenti, *cur sit à fraterna fœlicitate discretus?* quòd scilicet merita conditionatè futura, eorumque virtus & efficacia, illis essent incognita? Et hoc loco, inquit Commentator, impugnat Augustinus hæreticos recurrentes ad merita conditionatè futura, *In signo rationis, quod antecedit Dei decretum*, vbi Augustinus absolutè negat illos ad huiusmodi merita recurrere.

XXVIII. Eadem hallucinatio contigit in secundo testimonio, ex lib. 1. de animâ & eius origine cap. 12. cum dicit: Num. 35.
Quid quòd ipsa exinanitur præscientia, si quod præscitur „ non erit? quo modo enim rectè dicitur præsciri futurum „ quod non erit futurum? Hîc, inquit glossa, scientiam

mediam ex primo capite impugnatam, impugnat Au-
„ gustinus ex hoc secundo; Quia nimirum prædicta scien-
„ tia, vt asserebatur à Semipelagianis et Pelagianis,
„ nempe vt antecedens decretum diuinæ voluntatis; atque
„ adeo in ratione scientiæ mediæ, quæ in hoc consistit;
„ non est admittenda: & ex defectu obiecti scibilis in illo
„ priori, quia nimirum nullam tunc penitus habet futuri-
„ tionem, colligit Augustinus exinaniri omnino præscien-
tiam. Vide quam confidenter, & signa rationis vbique
imprimat tum Augustino, tum ijs contra quos Augusti-
nus disputat; & decreta legat, vbi nulla eorum mentio
fit: pergitque affirmare Augustinum hoc loco impugna-
re *Semipelagianos*, qui nondum exorti erant, & *Pelagia-
nos*, qui nihil asserebant eorum quæ hîc impugnantur, vt
dictum est. Nec aduertit his libris de anima impugnari
Vincentium Victorem recentem à Donatistarum hære-
si Catholicum: vt constat ex primis libri capitibus, qui
cùm temere implicuisset se ijs quæstionibus, quarum
incompertos habebat exitus, vt Catholicorum, & Pe-
lagianorum sententiam de peccato Originali tempera-
ret; Augustinus respondendum ratus, dum hominem vr-
get, omnesque vias, quibus euadere possit, & explicat, &
præcludit; indicat etiam hanc de meritis conditionatè fu-
turis. In eo autem versatur illa quæstio; quare Deus inno-
centem animam & nihildum mali commeritam inserat
corpori contracturam originale peccatum, cum quo sepa-
randa est à corpore ante baptismũ, atque damnanda? Cu-
ius rei cùm tres causas attulisset, atque reiecisset: quartam
hanc de meritis conditionatis similiter reijcit in hunc mo-
„ dum. Nec illud quartum, eas animas paruulorum sine ba-
„ ptismate moriturorũ à iusto Deo in carnem peccatricem
„ relegari, atque damnari, quas præsciuit, si ad ætatem per-
„ uenissent in qua libero vterentur arbitrio, malè fuisse vi-
„ cturas. Hoc namque nec iste ausus est dicere in tantis an-
„ gustijs constitutus: imò etiam contra istam vanitatem,
„ iam satis manifestè, ac breuiter est loquutus, vbi ait, &c.
Hic, inquit glossa, disputat Augustinus contra illam
scientiam, *quæ asserebatur à Pelagianis, & Semipelagianis*,

& tamen neque contra illos disputat, nec ille contra quem disputat huiusmodi scientiam asserebat, quin potiùs illam reijciebat: & est quæstio *de illo priori, quod antecedit decretum supple conditionatum*, cùm ea de re non magis fiat mentio, quàm de legibus duodecim Tabularum.

XXIX. Idem esse debet Iudicium de Tertio testimonio ex lib. 26. contra Faustum, qui cùm esset Manichæus non Pelagianus, aut Semipelagianus, quomodo potest ex ijs quæ cum illo disputantur antequam Semipelagiani nascerentur, intelligi quænam fuerit Augustinum inter & illos contentio? præsertim cùm eo loci, nulla sit mentio eorum futurorum, quæ pendent ab arbitrio creato; sed quæ à sola Dei voluntate, cuiusmodi est translatio Heliæ, atque alia, quæ præter, aut contra naturam à Deo fiunt, de quibus ibi sermo est, vt constat ex cap. 3.

XXX. Nam in quarto testimonio ex lib. de Bono perseuerantiæ cap. 17. apertum est non agi de conditionatè futuris, sed de futuris absolutè: proindeque nec de scientia, seu de prædefinitione conditionata, sed absoluta. Agitur, inquam, ibi de initio fidei, & perseuerantia vsque in finem: quæ bona cùm Semipelagiani negarent esse Dei dona, negabant etiam esse prædestinata, & contendebant ex eorum absoluta præscientia Deum moueri vt & gratiam concederet ad perficienda opera, quæ necessaria sunt ad salutem: & tandem ipsam gloriam; ita vt initio fidei præscito, non prædestinato, tribueretur gratia ad consequentia opera: perseuerantiæ verò vsque in finem præscitæ, non prædestinatæ, tribueretur gloria. Augustinus verò, postquam probauit hæc quoque dona Dei esse, consequenter ita concludit, Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis secundùm Dei propositum vocatis; in quibus donis est & incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseuerare, sicut tantâ rationum, atque auctoritatum contestatione probauimùs; hæc inquam Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem. Hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus: quibus verbis nihil

aliud contendit Augustinus, quàm esse admittendum gratuitum Dei decretum atque absolutum vel de danda gratiâ, quam esse necessariam ad illa bona probatum est; vel de bonis ipsis certò, atque infallibiliter procurandis; quorum primum Catholici qui negant prædestinationem ante præuisa merita, & prædefinitiones bonorum actuum libenter admittunt: posterius etiam illi, quibus & prædestinatio *ante præuisa*, & prædefinitiones liberorum actuum & supernaturalium, magis placuerunt: quod mihi quoque probabilius, & magis Augustinianum videtur. Hoc autem quid facit ad prædefinitiones conditionatas? Esse enim necessariam consequentiam, & ex eo quòd nihil potest esse absolutè futurum sine præsenti decreto Dei, fieri pariter vt sine eo nihil possit esse futurum conditionatè; interea dum Aduersarij ad probandum se accingunt, nos negabimus.

Positiuè monstratur aliam esse Augustini mentem quinque sequentibus argumentis.

XXXI. Atque hæc sufficere possent ad ostendendum conditionatas prædefinitiones futurorum ex hypothesi, ne in loco quidem *illustri* esse visibiles: sed iuuat id ipsum probare positiuè sequentibus argumentis. Primum est, Quia tota hæc aduersarij molitio eo tendit, vt obtineat apud Augustinum tam latè patere prædefinitionem quàm præscientiam futurorum: id quod esse admodum falsum non vanis interpretationibus, & coniecturis, sed apertâ ipsius Augustini significatione antea monstratum est, omniaque reiecta quibus illius testimonium eludi posset.

Disp. 1. c. 3. §. 3.

XXXII. Secundum est. Quia si prædefinitio conditionata nihil facit, neque ad scopum Semipelagianorum, neque ad scopum Augustini; nihil causæ est, cur eam in loco proposito, vbi non exprimitur, subintelligamus: atqui nihil facit, hoc est, neque nocet vni parti, neque prodest alteri, quod probo. In tantum nocere potest Semipelagianis ea prædefinitio, & in tantum Augustino prodesse, in quantum ex illa sequitur non dari gratiam ex meritis naturæ viribus comparatis, in eo enim versatur tota contentio, quod cùm Semipelagiani non negarent necessariam esse Dei gratiam, non tamen ad omnes actus, qui positiuè conducunt ad salutem; esse enim in nobis

tales quosdam actus; qui non essent dona Dei, vt paulò antè dictum est: & esse in illis vim aliquam merendi, atque impetrandi consequentem gratiam. Cúmque obijcerentur paruuli ante omne meritum rapti, alter cum baptismo, alter sine baptismo: respondebant, quamuis non essent in illis naturalia illa merita præterita, esse tamen futura, ex quorum inæqualitate, nasceretur inæqualis illa sors. Hoc autem est, quod Augustinus impugnat, conuenitque inter nos & Aduersarios, hunc esse illius quæstionis statum.

Ego verò iam dico nihil facere Augustinum, quamuis assumat merita illa naturalia ex hypothesi futura non esse ita futura nisi post decretum Dei: quia nihil facit nisi probet non esse aliter futura, quàm ex gratiâ Dei per Christum, & ita vt naturalia non sint. Atqui hoc non probat etiamsi obtineat non esse futura nisi post decretum efficax: Ergo etiamsi obtineat hoc decretum, neque sibi prodest, neque nocet Semipelagianis. Probo assumptum hoc vltimum ex sententiâ potissimum aduersariorum: ex quâ constat materiale peccati prædefiniri absolutè à Deo, & tamen non esse ex gratiâ per Christum. Actus etiam indifferens in indiuiduo, qui dari potest in sententiâ Thomistarum saltem per principia extrinseca, & conformando se opinioni probabili, etiamsi ea non sit D. Thomæ si detur, prædefinietur; & tamen non erit ex gratiâ Dei. Actus virtutum moralium, qui philosophicam tantum honestatem habent, dari possunt saltem aliqui per principia naturalia, & sine gratiâ per Christum, consentientibus plerisque Thomistis; neque tamen dari possunt sine prædefinitione, cuius esse dicitur in eâ sententiâ vniuersalis quædam necessitas ad omnia omnino, quæ vspiam fiunt. Cùm ergo ex eo quòd multa sint absolutè prædefinita, minimè sequatur non esse illa ex solis naturæ viribus, & seclusa gratiâ per Christum, quantumuis ea bona sint: Quæ necessitas est, vt si quid dicatur esse prædefinitum conditionatè, esto sit bonum, sequatur statim esse futurum ex gratiâ, & non ex viribus liberi arbitrij? Quòd si hoc non sequitur; quid prodest Augustino, quòd me-

merita illa conditionatè futura, quæ Semipelagiani volunt esse naturalia, hoc est ex viribus naturæ comparata, dicantur non esse futura nisi post prædefinitionem? Et Semipelagianis, quid hoc nocet? Quis non videt posse illos mutuum ab Aduersario, & commilitonibus Thomistis clypeum accipere ad eludendos Augustini conatus omnes, ac dicere. Ita est, non sunt futura merita illa nisi post decretum efficax, postquam nihil omnino boni, malíue aliter futurum est: At inde non sequitur non esse naturalium virium merita, vt est etiam materiale peccati, & actus indifferens: & ideo si quam illa gratiam obtinent, censenda est naturæ viribus obtenta. Quid hîc dicere possunt, qui sufficere putant constringendis Semipelagianis si quæ sunt futura conditionatè, post prædefinitiones tantùm futura sint? Atque hinc patet, quàm sit frustra, quod habet Doctor Salmanticensis, concesso decreto conditionato, *euacuari errorem Pelagij*.

Tr. 3 disp. 10. dub. 2. n. 40. XXXIII. Tertium Argumentum est. Si sanctus Augustinus, dum negat præsciri à Deo conditionatè futura, designaret tantùm illud signum rationis, quod antecedit decretum efficax conditionatum; debebat eodem modo negari præsciri non futura: atqui hoc non facit. Ergo &c. Probatur maior, quia tam requiritur decretum efficax ad hoc vt aliquid fiat non futurum, quàm requiritur ad hoc vt fiat futurum: & Aduersariorum sententiâ suppositâ in eo signo rationis, quo intelligimus Deum neque velle vt aliquid sit, neque nolle; nulla est potior ratio cur dicamus id esse non futurum, quàm esse futurum, nisi præcisiuè ad eum modum, quo negamus animal abstractum ab inferioribus esse rationale, aut esse irrationale, quòd scilicet præscindat ab vtroque; præscindere autem ab vtroque non est aliud, quàm neutrum in eo cognosci, proindeque neutrum de eo affirmari aut negari: quo modo si præscindat Augustinus signum illud rationis, debebit similiter, vti negat præsciri fururum, quia in eo signo nondum futurum est; ita negare præsciri non futurum, quia in eo signo nondum est non futurum: Atqui Augustinus hoc non facit, sed præscientiæ futuri, quam negat,

negat, substituit præscientiam non futuri, quam affirmat, vt videre est in omnibus locis, quæ proposita sunt. Ergo non loquitur de signo illo rationis præciso à decretis. Quasi dicerem, qui tam abstrahit à ratione præsciendi aliquid non futurum, quàm à ratione præsciendi aliquid futurum; tam abstrahit à præscientiâ negatiua futuri, quàm à præscientiâ futuri assertiua: sed qui designat signum rationis ante omne decretum efficax, tam abstrahit à ratione præsciendi aliquid non futurum, quàm à ratione præsciendi aliquid futurum: Ergo qui designat signum illud rationis tam abstrahit à præscientiâ negatiuâ futuri, quàm à præscientiâ futuri assertiuâ. Maior patet ex penetratione terminorum. Neque enim concipi potest præscientia rei alicuius, quin concipiatur ratio præsciendi: & ideo qui ab vno abstrahit, necessariò abstrahit ab alio. Minor ipsissima est Aduersariorum doctrina, quæ cum ferat id omne quod est quoquo modo futurum, præsenti Dei volitione futurum re ipsa fieri, non futurum præsenti Dei nolitione: consequenter fatentur, priùs ratione, quàm sit illa seu volitio Dei, seu nolitio; nec esse, nec sciri posse aliquid tanquam futurum, vel tanquam non futurum. Lib. 1. cap. 7.

Iam verò quòd Augustinus contrarium supponat, & eâdem ratione quâ tollit præscientiam futuri, ponat præscientiam non futuri; perspicuum est ex allatis ante testimonijs. ita enim loquitur contra duas Epistolas Pelagianorum. Quomodo præsciuit ea futura; quæ illis in infantiâ morituris, quia præscientia eius falli non potest; præsciuit potiùs non futura? Vbi vides præscientiam negatiuam futuri, cùm dicit, *præsciri potiùs non futura*; proponi ab Augustino tanquam excludentem eam quæ futuri assertiua supponitur. Quod si hæc excluditur tantùm pro eo signo rationis, quod præcedit omnia decreta; necesse est, vt pro eo signo rationis quod antecedit omnia decreta, sit præscientia quæ futuri negatiua est, quod implicat ex principijs Aduersariorum.

Idem dicendum de loco citato ex lib. 1. de animâ, & eius origine, vbi cùm dicat Augustinus *exinaniri præscien-*

tiam, si quod præscitur non erit, intelligi non potest de signo rationis, quod antecedit decreta: vel concedendum in eo signo verum esse de aliquo; ac proinde à Deo sciri, quod dicit Augustinus, *non erit*: cum tamen in eo de nullo dici possit *quòd erit*, neque, *quòd non erit.*

cap. 4. Idem & de alio ex lib. 26. contra Faustum cum dicitur „ Porrò si audiam quòd aliquid futurum erat; sed Deus fe- „ cit, ne fieret: fidissimè respondebo, illud potiùs futurum „ erat, quod Deus fecit: non illud, quod si futurum esset, hoc non fecisset. Quæ verba manifestum est non posse referri ad instans rationis, quod præcedit omnia decreta libera, in quo neque Deus concipi potest aliquid facturus, vt Augustinus concipit: neque vnum potius facturus quàm aliud, vt idem asserit. Et ideo ruit etiam quod sequitur: Nam Deus quod facturus erat, vtique sciebat, & ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat: vbi constat scientiam vnam excludi per aliam, omninoque negari Deum scire aliquid futurum, quia scit potiùs non futurum: quod fieri non potest in signo rationis de quo disputamus, vt dictum est.

Denique in hoc ipso loco ex lib. de Prædestinatione sanctorum, quem expendimus, id ipsum videre licet. Nam hîc quoque Augustinus præscientiæ Semipelagianorum aliam opponit, per quàm illa excludatur, cum dicit. *Qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Sume autem *signum rationis* ante omne decretum efficax, an est tunc aliquid futurum? an potest Deus illud scire? quo ergo sensu vult Augustinus tunc scientiam eius quod futurum est, impedire scientiam eius, quod non est futurum? Ex his ergo satis constat, omnibus locis, quibus Aduersarius conatur adstruere *signa rationis* præuia decretis circa futura conditionata; illa potiùs expungi: nam in lib. de Bono perseuerantiæ cap. 17. iam dixi nullo modo agi de scientiâ futuri conditionati, sed de præscientiâ tantùm absoluti.

Disput. 10. dub. 2. n. 34. XXXIV. Atque hinc etiam refutata manet ea solutio, quam Aduersarius alicubi subindicat, futurum conditionatum in illo signo rationis, quod ipse fingit, esse *non fu-*

turum negatiue. Hoc enim aliud nihil esse potest, quàm esse non futurum præscisiuè; quod est omnino illud præscindere ab eo quod est re ipsâ vel non est futurum. Quicunque autem ita præscindit, necesse etiam est vt præscindat & ab ea scientiâ, quâ scitur futurum; & ab ea quâ scitur non futurũ: & tam ab affirmatione quâ dicitur, *erit*, quàm à negatione, quâ dicitur, *non erit*: quod vt vidimus non facit Augustinus, qui præscientiam futuri negatiuam ponit, hoc est, negationem, quâ dicitur, *non erit*.

XXXV. Quartum Argumentum. Si Augustinus dum negat Deum scire quod est conditionatè futurum, intelligeret tantùm Deum id nescire in signo rationis, quod antecedit omne decretum; non deberet afferre pro ratione, quòd oppositum sit futurum absolutè. Atqui hoc facit. Ergo, &c. Maior probatur, & explicatur. Nam quòd futurum sit absolutè vt rapiatur in iuuentute is qui dicitur peccaturus si viueret; ac proinde, quòd absolutè sciatur non peccaturus; neque causa, neque signum esse potest quòd non fuerit peccaturus conditionatè, nec proinde quod non sciatur ita peccaturus: dicerentque Semipelagiani, & meritò, esto sciuerit Deus, postquam ipse hoc decreuit, quod absolutè futurum erat; illum scilicet eripiendum peccandi periculis, & ideo nec peccaturum: hinc tamen non sequitur non fuisse illum ante huiusmodi decretum, & quodcunque aliud actu existens, ex hypothesi peccaturum, atque hoc nesciuisse Deum: quod sit euidens absolutam futuritionem vnius oppositorum, nullo modo tollere futuritionem conditionatam alterius: absoluta inquam, futuritio non pœnitentiæ, seu non conuersonis Tyriorum, nullâ ratione impedit futuritionem conditionatam pœnitentiæ, & conuersionis: & consequenter nec præscientia non pœnitentiæ absoluta, præscientiam pœnitentiæ conditionatam. Vnde quicunque ex vnius positione argumentatur ad destructionem alterius, non benè argumentatur.

Atqui Augustinus iuxta sententiam Aduersariorum ita argumentatur, quæ est minor superioris syllogismi. Expendantur enim illius verba. Dictum est enim secundùm Cap. 14. de prædest. SS.

„ pericula huius vitæ: non secundùm præscientiam Dei, „ qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod futu- „ rum non erat; id est quòd ei mortem immaturam fuerat „ largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non „ quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. An non satis perspicuum est rationem Augustini

Sap cap. 4. quâ negat illud *raptus est* &c, dictum *secundum præscientiam Dei*, hanc esse, quia nimirum *Deus hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat?* Quid est autem illud quod futurum erat? nempe *quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto*; quod fuit absolutè futurum; *non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset*, quod fuit absolutè non futurum. Atque ita ex absoluta & futuritione & præscientiâ argumentatur contra & futuritionem, & præscientiam conditionatam Semipelagianorum: quæ si sumatur, vt Aduersarij volunt, pro illo tantùm signo rationis, quod antecedit omne decretum actu existens, nullam prorsus habet oppositionem, cum oppositi præscientia absoluta, ideoque nec ex illius positione destrui potest.

Lib. 1. c. 7. Eodem modo argumentatur Augustinus contra duas „ Epistolas Pelagianorum, cùm dicit: Quo modo præsci- „ uit ea futura, quæ illis in infantiâ morituris, quia præ- „ scientia eius falli non potest, præsciuit potiùs non futura? Vbi vides illud, *præsciuit potiùs non futura*, accipiendum de præscientia absoluta, quæ sequatur etiam *ex illis in infantia morituris*, quod absolutè futurum fuit. Illud autem, *quo modo præscit ea futura*, vt Aduersario placet, negatiuum est scientiæ conditionatæ pro eo signo rationis, quod antecedit conditionatam prædefinitionem. Coniunge igitur illa duo, & dic *Quo modo præsciuit Deus futura paruulorum merita, ex hypothesi quòd non morerentur in infantia, & antequam de illis quidquam statueret; qui potiùs sciuit absolutè non futura, postquam decreuit præcidere illorum vitam, & efficere, vt in infantia morerentur?* En tibi iuxta interpretationem Aduersarij totum neruum Augustinianæ ratiocinationis: quæ, vt patet, inefficax est & insulsa.

Idem & eodem modo patet ex verbis Augustini contra

Faustum. Vbi ex nonfuturitione absoluta argumentatur Lib.26.c.4.
contra futuritionem conditionatam: quam si negare tantùm velit pro signo rationis, quod præcedit prædefinitionem conditionatam, nihilo melius est illius argumentum, quàm si vellet negare pro signo rationis, quod eandem prædefinitionem consequitur. Augustini verba, præter ea, quæ antea retulimus, hæc notanda sunt. *Quapropter omnia, quæ verè futura sunt, sine dubio fient: si autem facta non fuerint, futura non erant*, quæ iuxta interpretationem Aduersarij hanc sententiam reddent. *Qua propter omnia, quæ verè futura sunt conditionatè, sine dubio fient absolutè: si autem facta non fuerint absolutè, futura non erant conditionatè*; Illud enim *sine dubio fient*, respondet huic. *Si autem facta non fuerint*, quod non nisi de absolutis intelligi potest. Et hoc ipsum affertur ad excludendam aliam futuritionem, quam aduersarius supponit esse conditionatam, pro signo rationis antecedente omne decretum. Atque ita ex absoluta non futuritione infert Augustinus non futuritionem conditionatam; & ex futuritione conditionata, infert absolutam: quæ illatio nulla esse potest, ne in sententiâ quidem Aduersariorum. Est igitur alius sensus quærendus. Denique idem quoque cernere est in loco citato ex lib. 1. de Animâ, & eius origine. Cap. 12. vt notatur in sequenti Argumento.

XXXVI. Atque ex his colligi potest vltimum Argumentum. Quia si quæ dicit Augustinus contra scientiam conditionatam, perinde illam impugnant pro signo rationis, quod sequitur prædefinitionem etiam conditionatam, in quo illam aduersarius admittit; atque pro signo rationis, quod antecedit, & in quo illam Semipelagiani admisisse putantur; sequitur Aduersarium dum nobis Augustinum opponit, opponere illum etiam sibi: Atqui res ita habet. Ergo. Probo minorem. Nam quod dicit Augustinus est, futura illa, non esse *verè* futura, ita enim loquitur contra Faustum. *Qua propter omnia, quæ* VERE Lib.26 c.4.
futura sunt, sine dubio fient, vt ostendat futura, quæ impugnat, non esse *vere* futura, nec proinde posse dari talem eorum scientiam, quæ *vere* dicatur præscientia futuri.

Lib. de anima & eius origine c. 11. Alio loco vocat futura, quæ *non erunt*; cum dicit. *Quid quod ipsa exinanitur præscientia, si quod præscitur*, NON ERIT? item vocat, *futura quæ* NON SVNT FVTVRA, & *futura, quæ* NVLLA *sunt*, cum dicit. *Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum? quo modo ergo puniuntur peccata, quæ* NVLLA *sunt?* Quid autem sit, hæc futura esse nulla, vel non esse futura, statim interpretatur ipsemet cum subdit. *Id est quæ nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem: nec morte præueniente post carnem.* Vbi valde notandum est illud, *Id est*, quod significat non nostram esse, sed ipsius auctoris glossam, quâ dicimus, *esse non futura*, vel *esse nulla*, excludere tantùm absolutam huiusmodi futurorum existentiam, qualis sola excludi potest per hoc, quòd nec ante corpus vixerit anima; & post initum corpus, præoccupata morte fuerit antequam peccaret. Vbi vides hoc etiam loco absolutam non futuritionem, opponi futuritioni conditionatæ: quod pertinet ad proximum superius argumentum. Et eodem sensu accipiendum, quod dicit lib. de Prædestinatione SS. Cap. 12. & 13.

„ Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, vt
„ FVTVRA, QVÆ NON SVNT FVTVRA, puniantur, aut ho-
„ norentur merita paruulorum: *item illud.* Sed quia homi-
„ num futura, quæ non sunt futura, procul dubio nulla
„ sunt merita, & hoc videre facillimum est, ideo &c. nimirum *non esse futura*, non est aliud quàm esse *nulla*; & esse *nulla*, non est aliud quàm *non esse commissa*, nec ante corpus, quòd anima non præextiterit; nec cum corpore, quòd ab eo separata sit ante tempus peccandi: & ideo peccatum hoc non futurum vocat Augustinus peccatum, *quod non est dictum, factum & cogitatum*, & hoc esse peccatum *nullum*, *non futurum*, seu *non vere futurum*, & peccatum, *quod non erit.* Contra duas Epi. Pelag. lib. 2. cap. 7.

Iam verò supponamus Aduersarij sententiam, & designemus *signum rationis*, quod sequitur prædefinitionem conditionatam, in quo signo concedit ille tum peccatum eius qui rapitur in infantiâ, tum quiduis aliud esse conditionatè futurum, & vt tale scientia etiam conditionatâ præcognitum. Interrogo an non adhuc verum sit,

hoc peccatum esse *nullum*? Augustinus enim ideo nullum vocat, quia morte præueniente impeditur: hîc autem supponitur etiam mors præuenire. Numquid eodem sensu, quo *nullum* dicitur, dicitur etiam *non futurum*, ab Augustino? Numquid & peccatum, quod *non erit*? Quod si ex mente Augustini, & *nullum* dicitur, & non *futurum*, & *quod non erit*; quis dubitare potest, quin ad illius quoque mentem dicatur non esse *verè futurum*; cùm præsertim rectissimè negetur *verè futurum* id cuius futuritio suspensa est ex conditione nunquam ponendâ, & de quo non alio sensu affirmari potest, *erit*, quàm quo affirmatur, esset si &c.? Et si res ita habet; quis non videt hic etiam habere locum, quod dicit Augustinus, huius futuri præscientiam non rectè dici præscientiam futuri, cùm ait. *Quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Videat igitur Aduersarius, quid consilij capiendum sit, vt suam suffragio Augustini à contrario scientiam conditionatam tueatur; & quidquid dixerit ipse, vsui nobis futurum est, vt ostendamus nihilo magis contrarium esse Augustinum scientiæ conditionatæ *pro signo rationis* quod antecedit prædefinitionem etiam conditionatam, quàm pro signo quod sequitur. Quod cùm expenderit; iudicabit, quis diligentiùs *inspexerit faciem* Augustini, quam constat ex dictis magis auersam esse ab Aduersarij doctrina, quàm à nostra.

XXXVII. Sed tempus est vt germanam illius interpretationem afferamus, videamusque, quo sensu dictum ab eo sit, illud *Raptus est ne malitia*, &c. non esse dictum *secundùm præscientiam, sed secundùm pericula huius vitæ*: Item hæc futura conditionata non esse *vere* futura, & esse futura, quæ *non erunt*, futura *non futura*; futura quæ *nulla sunt*. Est autem in eo posita difficultas, vt hæc quæ ab Augustino pronunciantur, concilientur cum ijs, quæ aliàs ipse apertè dicit, & esse futura hæc, & non nisi *insanissime* negari posse à Deo sciri. Cuius apparentis contradictionis iam reiecta est illa conciliatio, quam Aduersarius confinxit, de duplici rationis signo, in quorum vno, quod est ante omnem prædefinitionem, intelligatur Au-

Augustinus negat tantum præscientiam absolutam vel æquiualentem absolutæ eorum quæ dicuntur conditionatè futura.

gustinus negare scientiam conditionatam; in alio quod est post prædefinitionem, illam asserere; quòd hæc cogitatio nullum omnino in Augustini doctrinâ fundamentum habere videatur.

Alia igitur tradenda est, quæ & iam est indicata, & offert se statim in ipsâ, vt placet Aduersario, Augustini *facie*. Nempe hoc supponendum est, Semipelagianos non distinxisse inter futuritionem conditionatam, & absolutam: & consequenter inter præscientiam conditionatam & absolutam. Colligitur hoc manifestè ex eo quod dicit Augustinus, confugisse illos ad merita paruulorum futu-
Cap. 12. de præd. ss. Sancto. » ra, cùm deessent præterita. Verba illius sunt. Laboratur aliquando *contra Semipelagianos asserentes Dei gratiam adiungi præcedentibus meritis*, in ætate maiorum, iam vten-
» tium voluntatis arbitrio, sed vbi venitur ad paruulos, &
» ad ipsum Mediatorem Dei & hominum, hominem Chri-
» stum Iesum; omnis deficit præcedentium gratiam Dei
» humanorum assertio meritorum. Quia nec illi vllis bonis
» præcedentibus meritis discernuntur à cæteris, vt perti-
» neant ad liberatorem hominum: nec ille vllis humanis
» præcedentibus meritis, cùm & ipse sit homo, liberator
» factus est hominum. Quis enim audiat, quòd dicuntur
» paruuli, pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate
» baptizati, exire de hâc vitâ? vbi vides infantium merita futura eodem haberi loco à Semipelagianis, quo adultorum præterita: & parem vtrisque vim attribui ad gratiam promerendam: cùm tamen præterita, quæ absolutam important existentiam, ijs tantùm futuris respondere possint, quæ ipsa quoque absolutè futura sunt. Id quod
Ep. ad Aug. etiam Prosper significat, à quo Augustinus accepit esse qui hanc Philosophiam sequerentur: quam licet ipse antea refellisset, non tamen tanquam aliquid assertum à quopiam, sed tanquam id, quod quis fingere cogitan-
» do posset. Verba Prosperi sunt. Cumque inter hæc in-
» numerabilium illis multitudo objicitur paruulorum....
» qui nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias
» actiones, iusto Dei iudicio secernuntur..... tales aiunt
» perdi, talesque saluari; quales futura illos in annis maioribus,

ribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina » præuiderit. *Et mox.* Sed in tantùm commentitijs meritis » electionem Dei subijciunt, vt quia præterita non extant; » futura, quæ non sunt futura, confingant, nouoque apud » illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & » præscita non acta sint. En vt pro eodem habent Semi- » pelagiani, esse futura eorum merita, qui viuere non sinuntur; & esse præterita eorum, qui adolescunt: quasi verò nulla sit futurorum distinctio, eorum quæ absolutè futura sunt, quæ possunt æquiparari præteritis; & eorum, quæ sunt ex hypothesi suspensa, quæ hoc ipso carent necessariâ cum præteritis proportione: præsertim ad mouendam remuneratoris voluntatem. Et ideo videtur hoc *nouum absurditatis genus* Prospero, quòd aliqua sint *præscita* & *tamen non acta, & non agenda*, quæ absurditas nulla sit, nisi ea præsupponatur præscientia, quæ non distinguat inter absolutè, & conditionatè futura. Si enim distingueret, quid esset absurdi, quod aliquid esset non actum, & tamen ex aliquâ hypothesi præscitum?

Neque obstat, quod dicit Aduersarius, *nulli posse in mentem venire*, vt præscientiam eorum, quæ is, qui moritur, facturus erat si viueret; absolutam putet. Potest enim venire in mentem, vt non satis distinguat à conditionatâ: & quia hoc absurdum est, fit vt in mentem venisse dicamus Semipelagianis, qui eo nomine visi sunt Prospero *in nouum absurditatis genus incidisse*. Quod Augustinus *miratur, & stupet, nec credere auderet*, inquit, *nisi Prospero, & Hilario non credere, non auderet*; quin & Pelagianos eatenus sapientiores fuisse significat, quod viderint *hoc falsissimum, & absurdissimum esse*, quod Semipelagiani non viderunt: & antequam innotuissent doctrinæ huius assertores, *absurdissimam, insulsissimam, dementissimam* illam vocarat Augustinus. Ex quo ita licet argumentari. Quod nulli posset in mentem venire in hâc controuersiâ, hoc potissimùm censet Augustinus in mentem venisse Massiliensibus, vt constat ex allatis locis: sed quòd eadem sit ratio futurorum absolutè, & futurorum conditionatè, *nulli posset in mentem venire* in hac disputatio-

Disp. 10. dub. 2. n. 58.

De præd. SS. c. 12.

ne, vt testatur Aduersarius: Ergo Augustinus hoc maximè censet venisse in mentem Massiliensibus.

Ergo cùm dicit, nec esse futura merita illa, nec eorum dari præscientiam; hoc tantùm intendit, illa non eam habere rationem futuri, quâ dici possint absolutè, ac simpliciter futura: nec consequenter eorum præscientiam debere absolutè, ac simpliciter dici futuri præscientiam. Atque hoc ipse satis significat, dum vocat ea, *futura, quæ non sunt futura*. Perspicuum enim est, ita esse interpretandam propositionem illam; quomodo hæc alia Christi Domini, *mea Doctrina, non est mea*, & hæc etiam Apostoli, *viuo ego, iam non ego*, vbi posterior pars non destruit veritatem prioris, sed modificat. Quin & modum illum exprimit Augustinus, cum negat futura illa esse *vere* futura, & eorum scientiam dici *recte* præscientiam, locis antea citatis. Nempe absolutè futura, sunt *vere*, hoc est propriè futura, de quibus propriè, ac verè dicitur *erunt*: futura verò conditionatè, *verè*, hoc est *proprie*, futura non sunt, neque de illis enunciatur *vere*, ac *proprie*, *τὸ erunt*: quod nihil aliud significat, dum de illis dicitur, quam *essent*, si poneretur conditio. Est autem euidens, genus hoc futuritionis ita suspensæ imperfectum esse & mancum, præ illo quo aliquid omnino atque absolutè futurum dicitur. Vnde sequitur neque cognitionem illam, quâ futura hæc impropria cognoscuntur, *recte* dici futurorum præscientiam, vt Augustinus significat, & paulò ante dictum est.

Hæc autem diuersitas, & imperfectio futuri conditionatè causa est cur illud ineptum sit ad præsentes effectus: cùm sit manifestum tantum actualitatis in causa efficiente, qualis est meritoria, requiri pro aliquâ temporis differentiâ; quantum in effectu reperitur: nec concipi possit, id cuius existentia suspensa est, absolutam alicui rei existentiam posse dare.

XXXVIII. Vnde intelligas reijciendum omnino, quod Aduersarius passim inculcat, Augustinum refutare sententiam Massiliensium ex duplici capite. Primò quidem ex eo quod huiusmodi merita conditionatè tantùm futu-

ra, ſint inepta mouendæ remuneratoris voluntati: 2. ex eo quòd non ſint futura, nimirum vt ipſe vult, in ſigno rationis, quòd eſt ante prædefinitionem conditionatam. Hoc, inquam, reijciendum eſt: quia nullum eſt in toto Auguſtino ſignum illius diuerſitatis, ſeu diſtinctionis; & quia per ſe patet, vnam eſſe atque indiuiſam ratiocinationem vtroque illo capite conſtantem. Cùm enim dicitur opera futura, ſi viuerent illi qui morte præripiuntur, non poſſe illis mereri gratiam baptiſmi v. g. ratio ſtatim quæritur: & nulla occurrit aptior, quàm quia futura illa, ſunt futura, *quæ non ſunt futura*: quia non ſunt *vere* futura: quia vt eſt ſuſpenſa eorum futuritio, ita & vis omnis merendi, atque impetrandi: quia id de quo nihil aliud affirmari poteſt, quam quod *eſſet*; non poteſt eſſe cauſa, vt affirmetur de aliquo ipſum *eſt*: atque ita, id quod Aduerſarius dicit eſſe apud Auguſtinum ſecundam rationem, eius quam primam numerat probatio tantùm eſt.

Aduerſarius in hoc *illuſtri* loco deſeritur à ſuo commilitone.

Atque hanc interpretationem noſtram approbat etiam P. Ioan. à Sancto Thomâ, cuius maximè intererat non inualidam videri Doctoris Salmanticenſis argumentationem. Nam cùm probè intelligeret, ſi quid valeret illa quæ deduci poteſt ex loco citato cap. 14. de prædeſt. SS. ratiocinatio; valere potiùs ad excludendam omnino ſcientiam conditionatam, quàm ad illam excludendam pro aliquo ſigno rationis, de quo neque Auguſtinus, neque Maſſilienſes vnquam cogitarunt: ita putauit reſpondendum, Auguſtinum eo loco negare præſcientiam ab- » Ad q. 14. 1. par. diſp. 20. art. 2. pag. 130.
» ſolutam ex parte obiecti, non conditionatam: negare
» enim præſcientiam, ratione cuius Deus vel puniat, vel
» præmiet. Dicebant enim, *inquit*, Semipelagiani, puniri
» aliquem, vel iudicari, aut illi dari beneficium, intuitu
» eorum, quæ quis facturus præuidebatur; negat autem
» Auguſtinus ex meritis, quæ de facto futura non ſunt, nec
» in rerum naturâ poſita, aliquem iudicari: de his autem
» quæ quis faceret ſi viueret; negat habere Deum præ-
» ſcientiam, id eſt ABSOLVTAM SCIENTIAM, QVALIS
» REQVIRITVR AD HABENDVM IVDICIVM PRÆMIANDI,
» VEL PVNIENDI. *Et ad alium locum ex lib. 1. de Anima, &*

„ *eius origine cap.* 12. Tertio dicimus quod ibi ad litteram
„ Augustinus loquitur DE FVTVRIS ABSOLVTIS; quia age-
„ bat ibi Augustinus, contra eandem responsionem Pela-
„ gianorum, & multis probat, peccata non commissa à
„ Deo non puniri, & sic probat præscientiam exinaniri, si
„ quod præscitur non erit, scilicet secundùm vim, & ratio-
„ nem præscientiæ absolutæ, qualis requiritur ad punien-
„ dum, & iudicandum. Talis enim præscientia debet esse de
„ rebus de facto futuris.

Vnde colligas diuersa esse Aduersariorum specula, nec eandem in omnibus Augustini *faciem* relucere: nosque vel ipsorum armis satis esse tutos, dum alter alterius impetum frangit; ac demum locum illum, quem vnus rebatur *illustrem*, alterius oculis, amicissimi licet, caliginosum esse visum.

§. II.

Secundum Augustini Testimonium.

XXXIX. Expedito *illustri* loco *Egregius* superest ex eodem libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. vbi Augustinus respondet obiectioni Semipelagianorum argumentantium, vt dici solet, ad hominem. Nimirum cùm Pagani quondam quærerent; cur Christus dilato aduentu suo perire siuisset tantam hominum multitudinem, quanta fluxerat ab initio mundi; atque hoc in quendam bonitatis defectum, seu personarum acceptationem interpretarentur; vel certè in non necessitatem redemptionis, si putarentur saluati, quibus ille non innotuerat; Augustinus ita respondet, vt & per Christum saluati putentur, qui ante illum saluati sunt, quales non negat plerosque fuisse, etiam ex incircumcisis: & causam cur non ad omnes ea gratia, vt & Christi doctrina pertinuerit, sed ad vnos potiùs quàm alios, in homines reijciat; idque non tam ex sua, quàm ex ipsorum Paganorum sententiâ. Retorquet enim in illos obiectionem hanc, quòd constet non eadem semper, & apud

omnes fuisse vel Iouis, vel Apollinis sacra, vel Pythagoræ Philosophiam: quæ omnia sibi ad fœlicitatem prodesse, illi sentiebant. Vnde dicit: Huic propositioni respondetur „ vtrum profuerint hominibus Deorum suorum sacra, quæ „ constat certis temporibus instituta, & ideo quæro quid „ actum sit de ijs, qui antequam hæc instituta essent, obie- „ runt. *Et*. Cur hanc quæstionem Christianæ religioni in- „ gerunt, in qua nobis ipsi pro dijs suis aut respondere non „ possunt: aut si possunt, in eo ipso sibi etiam pro nostra „ religione respondeant? *Et*, Desinant igitur obijcere no- „ bis, quod omni sectæ, & omni nomini religionis obijci „ potest. Et mox de Pythagorâ, cum dixisset ne illo quidem tempore, quo is vixit, omnes illum audisse, aut sectari voluisse, subijcit, id quod illi conuenienter responderent; Si tantæ potestatis fuisset Pythagoras, vt vbi vellet, & „ quando vellet sua dogmata prædicaret, si haberet etiam „ cum eâ potestate summam rerum præscientiam, *fore vt* „ nusquam, & nunquam appareret, nisi vbi, & quando sibi „ homines credituros esse prænosceret. *Quo tanquam ab* „ *ipsis approbato, subijcit verba illa.* Quid respondebunt, Si „ excepta illa altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, vbi for- „ tassis aliud diuinum consilium longè secretius latet, sine „ præiudicio aliarum forte causarum, quæ à prudentibus „ inuestigari queunt, hoc solùm eis breuitatis causa in huius „ quæstionis inuestigatione dicamus, tunc voluisse homini- „ bus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam „ suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fue- „ rant credituri. Quæ verba cùm Semipelagiani arripuis- „ sent, vt ostenderent, vel ipso Auctore Augustino, præscientiam operum etiam conditionatè futurorum esse causam inæqualitatis illius, quâ alij alijs præferuntur in ijs quæ pertinent ad salutem; Augustinus, qui hoc acceperat ex libris Hilarij, sic respondet cap. 9. lib. de Prædestinatione Sanctorum. Cernitis-ne me sine præiudicio „ latentis consilij Dei & aliarum causarum, hoc de præ- „ scientia Christi dicere voluisse, quod conuincendæ Pa- „ ganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, „ sufficere videretur? Quid enim verius, quam præscisse „

„ Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant „ crediturì? Sed vtrum prædicato sibi Christo à se ipsis ha„ bituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est „ vtrum eos tantum præsciuerit, an prædestinauerit Deus, „ quærere ac disserere tunc necessarium non putaui. Quibus vltimis verbis contineri dicit Doctor Collegij Salmanticensis prædefinitionem scientiæ conditionatæ prælucentem: in quo illi consentit P. Ioan. à Sancto Thoma, qui etiam addit *scientiam mediam hic plane ab Augustino* IVGVLARI. Ego vero contendo innocentissimam esse hanc Augustini petitionem, nec esse qui sibi ab illa timere aliquid possit, præter ipsos Aduersarios. Nego itaque distinctè, illis verbis *id est vtrum eos tantùm præsciuerit, an prædestinauerit Deus*, vllam prorsus mentionem fieri de prædefinitione conditionata, sed de absoluta; neque hoc tantùm nego: sed negati etiam rationem do manifestam ex Augustini verbis immediatè sequentibus: & valde miror interpositam Patris à Sancto Thoma *ponderationem*. Superioribus enim verbis subnectit; *hæc sola verba pondero*; inquit, *quia his planè iugulauit Augustinus scientiam mediam*. Atqui mi Pater, statera nondum plena est, illa etiam appende & *pondera*, quæ immediatè sequuntur, & sunt hu„ iusmodi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus „ apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam „ suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum „ fuerant crediturì: posset etiam sic dici: tunc voluisse ho„ minibus apparere Christum, & apud eos prædicari do„ ctrinam suam, quando sciebat, ET VBI SCIEBAT ESSE, „ QVI ELECTI FVERANT IN IPSO ANTE MVNDI CON„ STITVTIONEM. Quibus significat *prædestinationem* illam prioribus verbis contentam non aliam esse, quàm *electionem*, quâ aliqui dicuntur in Christo *electi ante mundi constitutionem*. Atqui electionem hanc eandem esse cum absoluta prædestinatione apud Augustinum tam est manifestum; vt qui contentiosè negare velit, videri possit illum nec ex facie cognouisse, nec ex vestibus. Id quod ego ex vno tantùm aut altero loco demonstro. Nam in hoc libro de prædestinatione SS. cap. 16. ita loquitur de

Disp. 10. dub. 2. §. 3

Disp 20 ar. 3. pag 692.

Absolutam prædestinationem Aduersarij cum prædefinitione conditionata confundunt.

Iudæis qui renuunt consentire Christianismo. Sed quid » est, quod sequitur *in D. Paulo* secundum electionem au- » tem dilecti propter patres? Numquid illi inimici, qui in » suis inimicitijs perierunt & aduersantes Christo de gente » ipsa adhuc pereunt; ipsi sunt electi, atque dilecti? ABSIT; » QVIS HOC VEL STVLTISSIMVS DIXERIT, *& in lib. de* » *bono perseuerantiæ cap. 14. vbi de Tyrijs, ac Sidonijs sic loquitur.* Hæc prædestinatio Sanctorum, nihil aliud est, quam » præscientia, & præparatio beneficiorum Domini, quibus » liberantur, quicumque liberantur; cæteri autem vbi, nisi » in massa perditionis iusto Dei iudicio relinquuntur, vbi » Tyrij relicti sunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt » si mira illi Christi signa vidissent, sed quoniam vt crede- » rent non erat eis datum, etiam vnde crederent est ne- » gatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio » diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant ver- » ba, vel signa conspiciant; Et tamen si Dei altiori iudicio » à perditionis massâ non sunt DEI PRÆDESTINATIONE » DISCRETI, nec ipsa eis adhibentur vel signa diuina, vel » facta per quæ possent credere, si audirent vtique talia, » vel viderent *Subdit* non profuisse Tyrijs, quod poterant credere, qui prædestinati non erant ab eo, cuius inscru- » tabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ. Et mox; Verum » quod dixit dominus de Tyrijs, & Sidonijs aliquo alio » modo potest fortassis intelligi: neminem tamen venire ad » Christum, nisi cui fuerit datum: & illis dari, qui ab illo » electi sunt ante constitutionem mundi, procul dubio » confitetur, à quo non surdis auribus cordis, eloquium » diuinum auribus carnis auditur. Ex hoc loco euidentis- » simum est, apud Augustinum, Tyrios, & Sidonios, qui relicti dicuntur *in massa perditionis*, non *prædestinati*, non *discreti*, non donati beneficio illo, *vt crederent*, & *ad Christum venirent*, quod tamen *ijs datur, qui electi sunt in Christo ante mundi constitutionem*; manifestum, inquam, est non posse illos dici *electos in Christo ante mundi constitutionem*. Vnde sic argumentor. Electio in Christo ante mundi constitutionem, nullo modo pertinet ad Tyrios, & Sido-

nios: Prædefinitio conditionata conuersionis, & pœnitentiæ, pertinet ad Tyrios, & Sidonios: Ergo prædefinitio conditionata conuersionis, & pœnitentiæ, non est electio in Christo ante mundi constitutionem. Maior est Augustini: minor, falsa quidem est, sed apud aduersarios vera, qui cum fateantur, præscitam à Deo certò Tyriorum & Sidoniorum conuersionem ex hypothesi prædicationis, neque tamen quidquam præsciri, nisi beneficio prædefinitionis conditionatæ; consequenter hanc prædefinitionem respectu Tyriorum, & Sidoniorum admittunt. Iam verò ita subsumo, Prædefinitio conditionata negatur esse ab Augustino electio in Christo ante mundi constitutionem, vt iam ostensum est: Prædefinitio designata in loco de quo disputamus, dicitur esse electio in Christo ante mundi constitutionem: Ergo prædefinitio designata in loco de quo disputamus, non est prædefinitio conditionata: superest ergo vt sit absoluta.

XL. Neque aliud habent quod respondeant, quàm quod insinuat Doctor Collegij Salmanticensis, Electionis nomen apud Augustinum aliquando latiùs sumi pro *quouis decreto efficaci de re bona*. Nimirum expectandum erit, vt etiam dicat reprobos, qui, vt ipse putat, decreto Dei efficaci mouentur ad materiale peccati, v. g. impœnitentiæ finalis, eo ipso censendos aliquando ab Augustino *Electos* in Christo ante mundi constitutionem. Ego verò, vel vnum locum postulo, in quo Augustinus locutionem illam ita latè sumpserit, vt significaret quemquam reprobum, esse tamen *electum in Christo ante mundi constitutionem*: & quia neminem sperare sinit ipsa rei euidentia, vt tale quoddam testimonium inueniatur; stat proposita ratiocinatio, & conclusio, quâ dicimus Augustinum citato loco de prædestinatione loquutum; seu de prædefinitione absolutâ, non autem conditionatâ.

Loco citato pag. 638. Augustinũ Aduersarij

XLI. Nam quod addit P. Ioannes à Sancto Thomâ, mirabile videtur. Lubet apponere ipsius verba. Ne autem moueat aliquem prædestinationis nomen; quo Augustinus vtitur in loco quem expendimus; sciat non sumi ab Augustino prædestinationem in ea stricta significatione,

ne, quæ modo apud ſcholaſticos ſumitur, pro ſolo decreto dandi, & tranſmittendi in vitam æternam; ſed in ſignificatione latiori, pro quocunque decreto prædefiniente, ſeu ſtatuente res, quas facere intendit, aut diſponit, etiam ſub conditione. Id euidenter conſtat ex auctore libri, cui titulus eſt de prædeſtinatione Dei apud Auguſtinum, & habetur poſt librum de bono perſeuerantiæ, à Louanienſibus autẽ in appendicem reiectus eſt, ibi enim admittit prædeſtinationem ſub conditione: & quandam prædeſtinationem dicit eſſe alligationis, ſeu neceſſitatis, quandam conditionis: prædeſtinauit inquit Auguſtinus, vt cælum ſemper volueretur, &c. Vides auctorem libri, *de prædeſtinatione Dei*, diſtingui ab Auguſtino, itáque approbari iudicium Louanienſium, qui eundem librum vt ſpurium reiecerunt, quod eſt etiam iudicium Bellarmini, & omnium fere, qui Auguſtini opera cenſuerunt. Et tamen P. Ioannes à Sancto Thomâ hinc probat latam illam prædeſtinationis acceptionem apud Auguſtinum haberi. Quid hoc rei eſt? Oſtendere velle, quo modo loquatur Auguſtinus, ex eo libro, quem fateare alterius eſſe auctoris: & dum aliena recitas verba, loquentem illum inducere, ac dicere, *inquit Auguſtinus*? Sed do etiam optionem Aduerſario, velitne Auguſtinianam haberi huius libri doctrinam necne? ſi non vult, perit probatio huius ſuæ interpretationis ad locum de quo diſputamus; ſi vult, perit tota Thomiſtarum doctrina de prædeſtinatione ante præuiſa; quam etiam opinionem cum ſequeretur Bellarminus, nihil habuit antiquius quàm vt genuinum Auguſtini fœtum eſſe negaret librum illum de prædeſtinatione Dei; aperta nimirum eſt illius Auctoris ſententia de prædeſtinatione poſt præuiſa.

vident vbi non eſt. c. 9 lib. de præd. SS.

XLII. Neque hoc dico, quod aliqua ſit difficultas in eo quod objicit P. à Sancto Thomâ, ſi concedam Auguſtinum eſſe huius libri Auctorem. Neque enim hoc quærimus, an aliqua prædefinitio conditionata dici poſſit ex mente Auguſtini prædeſtinatio, quod hinc tantùm probatur; ſed an prædefinitio conditionata, quæ ad reprobos etiam pertinere poteſt, dicatur vnquam apud Augu-

ſtinum, *prædeſtinatio* illa, quæ eſt etiam *electio in Chriſto ante mundi conſtitutionem*; ita enim ſuam hanc prædeſtinationem ipſemet explicat; quam explicationem nego ex mente Auguſtini cadere poſſe in vllam prædefinitionem conditionatam, quæ ſit indifferens tum ad prædeſtinatos ſtrictè ſumptos, tum ad reprobos.

Auguſtinus loco citato Dei decretum requirit non vt futurũ conditionatum ita futurũ ſit; ſed vt tranſeat in abſolutum.

XLIII. Hæc eſt igitur Auguſtini ſententia in loco propoſito, Diſtinguit ibi prædeſtinationem Dei, & Electionem, à præſcientiâ Chriſti, & ſupponit hanc eſſe illi ſubordinatam; atque ex eo, quod intellexit Chriſtus æternam ſaluandorum prædeſtinationem, & electionem; præſciſſe quinam eſſent doctrinæ ſuæ credituri, eandemque præſcientiam non quatenus exhibebat futuram vocandorum fidem, ſed quatenus repræſentabat decretum Dei de ſaluandis, atque vocandis, impuliſſe illius voluntatem, vt *vellet apparere hominibus, & apud eos prædicari doctrinam ſuam.* Ex quo ſequitur nullos eſſe alios, præter electos iſtos, qui præſciti etiam fuerint credituri, ſi appareret illis Chriſtus, & ſuam doctrinam apud illos prædicaret. Tales enim fuiſſe Tyrios & Sidonios Auguſtinus ſupponit, & ex eo capite ſuam ad quæſtiones Paganorum reſponſionem emendat: vel, vt ait ſanctus Thomas *reprobat.* Ita enim loquitur. Numquid dicturi ſumus quod in libro alio dixi vbi ſex quæſtionibus quibuſdam Paganorum ſine præiudicio tamen aliarum cauſarum quas prudentes inueſtigare poſſunt, reſpondi? *& repetitâ reſponſione illâ*: hæc certè de Tyro, & Sidone non poſſumus dicere, & in eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis, hæc diuina iudicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium præiudicio, tunc iſta reſpondere me dixi. *Et iterum.* Sed numquid poſſumus dicere etiam Tyrios, & Sidonios, talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent; cùm eis ipſe Dominus atteſtetur quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum ſigna virtutum? Vult ergo ſine iſtâ Electione ſpeciali, & prædeſtinatione, quoſdam alios fuiſſe ex hypotheſi prædicationis, credituros; ac proinde hanc prædeſtinationem non

L. de Bon. perſeu. c. 9.

esse necessariam, vt aliqui sint ex hypothesi credituri: neque aliam indicat, quæ necessaria sit; ergo ex illius mente nulla omnino necessaria est, vt aliqui sint ex hypothesi credituri. Vt autem sint, & præsciantur absolutè credituri; requiritur, non quidem prædefinitio liberæ actionis in se immediatè, sed prædestinatio, quæ dicitur ab Augustino *gratiæ præparatio* in hoc ipso loco, in quo versamur. Vt sit, inquam, & præsciatur absolutè futura fides alicuius, aut pœnitentia; necessarium est absolutum decretum, quo Deus statuat dare illi gratiam ad hoc necessariam. Quod decretum, quia propriissimè dici potest gratiæ præparatio, consequenter est illa, de quâ hîc loquitur Augustinus, prædestinatio. De prædest. SS. c. 10.

XLIV. Nec refert si hæc interpretatio videatur alicui non satis quadrare cum responsione, quam dedit Augustinus ad quæstionem Paganorum: quia nec quadrarê debet, postquam illam Augustinus *reprobat*. Neque hoc ipsi vitio vertendum est: tum quia non dat illam responsionem assertiuè; sed vt ostendat, quamuis ea legitima non sit, paganos nihil habituros quod regerant: hoc enim significat ille dicendi modus. *Quid respondebunt...... si dicamus?* quasi diceret cogendos quoque quos alloquitur eadem vti responsione, vt dictum est: tum quia exceptionem ponit maioris considerationis eorum quæ reticebat, quòd eorum captui non essent accommoda.

XLV. Restat vt perstringamus ea, quæ contra interpretationem hanc, obijciunt Aduersarij. Et primò Theologus Collegij Salmanticensis, vim facit in illis verbis Augustini, quibus se ita respondisse dicit Porphyrio *sine præiudicio latentis consilij Dei, & excepta altitudine sapientiæ, & scientiæ eius*, Quibus significari vult *decretum efficax per modum intentionis, quo præfiniatur futuram sub conditione*, nec aliter posse concipi, quid sit illud *latens consilium*. Sed miror quomodo hæc ei exciderint, qui tam diligenter inspicere statuerat Augustini faciem; cùm constet *latens illud consilium*, de quo in hoc loco, non aliud esse, quàm quod postea vocat *altius iudicium*, cùm dicit, *Et tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt Dei prædestina-* Quid sit latens consilium Dei apud Augustinum.

tione discreti, nec eis adhibentur vel signa diuina, vel facta, &c. Vbi de Tyrijs, & Sidonijs loquitur, & concedit præscitam quidem fuisse conditionatè illorum conuersionem, sed contendit *iudicio* illo *altiore* impeditam potiùs quam conceptam eius prædefinitionem. In eo enim consistit arcanum hoc iudicium, quod vnis præ alijs *adhibeantur diuina illa signa, vel facta*, ex quorum suppositione sciuntur conuertendi, vt significat Augustinus cùm dicit, *Si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt Dei prædestinatione discreti, nec eis adhiberi diuina signa vel facta illa*, ex quorum suppositione præsciebantur conuertendi Tyrij & Sidonij: quod non est aliud, quam *si sunt Dei altiore iudicio discreti, adhiberi eis signa illa vel facta*, hoc est media, quæ conditionatè præsciebantur efficacia. Vt sit manifestum hoc *iudicium latens*, non pertinere ad Tyrios quatenus est prædefinitiuum præscitæ pœnitentiæ sed quatenus potiùs est exclusiuum. Hoc scilicet est *latens indicium*, seu *consilium* apud Augustinum, quòd cum par sit hominum ratio, & perinde hi, atque illi præsciantur conditionatè diuina gratia bene vsuri; ea tamen his detur, non autem illis. Cuius rei rationem petenti, nihil aliud respondere solet Augustinus, quàm *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Hæc est autem æterna illa & absoluta Dei electio, ex quâ oritur saluandorum, & periturorum inæqualitas, & quam Augustinus maluit silentio præterire, quòd ad eam capiendam minùs idonei viderentur Pagani.

XLVI. Secundo vim facit etiam in eo quod dicit Augu-
„ stinus, Sed vtrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri
„ essent fidem, an Deo donante sumpturi; id est, vtrùm eos
„ tantùm præsciuerit, an etiam prædestinauerit, &c. Vbi notat idem esse, fidem esse à Deo donante, & esse prædestinatam. Item idem esse, fidem esse *à nobis*, & *esse* tantummodo *præscitam*: sed fides quæ dicitur conditionatè futura, non potest asseri esse à nobis, nec negari esse à Deo donante: ergo quæ dicitur conditionatè futura, non potest asseri esse tantùm præscita: nec negari esse insuper prædestinata. Hæc est summa secundæ pondera-

Quo sensu dicatur fides à Deo prædestinata; vel tantum præscita.

tionis. Ad quam respondeo, fidem esse de facto & absolutè à Deo dante, & esse prædestinatam eâ prædestinatione, quam vocat Augustinus hoc ipso loco *præparationem gratiæ*; hoc est, esse ex decreto absoluto, quo statuit Deus præuenire voluntatem, & dare illi gratiam ad credendum necessariam; esse idem apud Augustinum: sed fidem esse ex hypothesi tantùm donandam, & esse reipsâ prædestinatam, nego idem esse apud Augustinum: satis enim est, si vt donanda tantùm supponitur, ita supponatur prædestinanda: hoc autem supponitur. Sensus enim conditionalis propositionis, qua enunciatur futura fides, non est alius, quàm si Deus præpararet gratiam ad credendum necessariam, eamque in tempore donaret, tunc esset futura fides: seu, quod idem est, si sit absolutè præparatio gratiæ ad credendum necessariæ, & inde sequatur illius donatio; fides quoque futura est. Atque ita fides semper concipitur esse à Deo, vel donante de facto; vel donaturo ex hypothesi: si de facto est fides, de facto donat Deus: si non est de facto, sed esset; non donat Deus de facto sed donaret. Et immeritò requiritur, imò & repugnat vt Deus de facto donet eam rem, quæ de facta non donatur, sed donaretur tantùm.

Similiter cùm dicitur fidem esse à nobis, & esse tantummodo præscitam apud Augustinum pro eodem haberi: distinguendum est. Nam esse tantummodo præscitam absolutâ præscientiâ, & non esse etiam prædestinatam absoluta illa præparatione gratiæ ad credendum necessariæ, concedo idem esse apud Augustinum cum eo quod est, esse à nobis; & ideo negandum illud est tanquam hæreticum: sed esse tantummodo præscitam conditionatè per exclusionem præsentis, & absolutæ præparationis gratiæ: nego idem esse cum eo quod est, fidem esse à nobis. Neque enim esse à nobis dici potest, quando in hypothesi, ex qua futura esse præscitur, includitur necessariò, & præparatio, & donatio gratiæ ad credendum necessariæ: neque fides aliter futura præscitur, quàm si est, aut futura est illa tum præparatio, tum donatio gratiæ. Atque ita fides, quam dicimus conditionatè fu-

futuram seclusa præsenti ac conditionata prædefinitione, neque asseritur futura esse à nobis, neque negatur futura esse à Deo eo modo illam donante, quo ea donatur.

Nu. 49. & 50. Scientia conditionata non nititur proposito apud Augustinũ nec ex eo capite arguendi sũt Semipelagiani.

XLVII. Tertiò obseruat, interrogatum Augustinum à Prospero num propositum Dei niteretur præscientia conditionata, vt volebant Semipelagiani, an potiùs præscientia illa niteretur proposito. Vnde vt censeatur Augustinus appositè respondere, dum dicit prædestinatum esse id, quod est præscitum; intelligi debet de prædestinatione conditionata, qua sola niti potest præscientia conditionata. Respondeo Pelagianos non errasse tantùm circa præscientiam conditionatam: sed maximè circa absolutam: neque ad conditionatam recurrisse, nisi quando illos absoluta deficiebat. Vtrumque autem errorem Augustinus emendauit, decipi verò Aduersarios perspicuum est; dum quod dicitur ad emendandum absolutæ præscientiæ abusum, nempe illam niti præsenti & absoluta præparatione gratiæ, futuraque illius donatione, quoties præscitur aliquid vtile ad salutem; interpretantur etiam dictum ad emendandum abusum scientiæ conditionatæ, id quod postea magis explicabitur.

Num 53.

XLVIII. Quarto *aperta ratione* probat eandem esse rationem futuri conditionati, & futuri absoluti, quod attinet ad necessitatem præsentis, & absoluti decreti, quo fiat
» futurum, Ab eadem enim causa, *inquit*, à qua futurum
» contingens absolutum habet dependentiam, debet etiam
» futurum contingens, & conditionatum eam habere....
» Sicut enim ipsa futura solum distinguntur penes absolu-
» tum, & conditionatum; ita etiam causa, & efficax Dei
» decretum in hoc solum possunt distingui, ac proinde sicut
» scientia illorum innititur proposito, non tamen è contra;
» sic scientia, & infallibilis cognitio horum. Respondeo
» esse *apertam* disparitatem inter vtrumque illud futurum, quoad illam necessitatem efficacis decreti, & illam disparitatem ex eo peti, quod differant penes esse absolutum, & conditionatum. Esse enim conditionatum, est esse suspensum omnino ex conditione, cuius existentia nondum determinata est: & quod de illo dicitur, *Est, dependet*,

Quare potius requiratur Dei decretũ ad futurum absolutũ, quam ad conditionatum.

nihil aliud significat, quàm *Esset*, *dependeret*, si conditio poneretur: Cùm ergo sufficiat quod existentia causæ ad aliquem effectum necessariæ proportionata sit ipsius effectus existentiæ; manifestum est sufficere, si de quo effectu dicitur, quòd *esset*, quòd *dependeret*, quòd *existeret*; de illius etiam causa dicatur, quòd *esset*, quòd *existeret*, quòd *causaret*, hoc autem dicimus de causa futuri conditionati. Quemadmodum enim dicimus, quòd *esset* hoc futurum; ita supponimus, quòd *esset* illius causa, estque reciproca hæc sequela; si esset talis causa, esset talis effectus, si esset talis effectus esset talis causa: nisi quòd ista secunda magis necessaria est. In illa igitur causa includitur, & decretum Dei, & gratia, & quidquid demum necessarium est ad illam futuritionem, non vt aliquid quod sit, sed vt aliquid quod esset.

XLIX. De futuro absoluto non dicitur tantùm, *esset*, sed *erit*, ergo dici debet absolutè, erit illius causa, & consequenter, erit Dei decretum ad illud prærequisitum. Et quia decretum Dei non potest esse temporaneum, sed si erit, est, & fuit absolutè ab æterno; ideo ad futurum absolutum requiritur ab æterno absolutum & præsens decretum. Sed quemadmodum, si per impossibile temporaneum esset decretum illud, essetque tantùm absolutè futurum, concipimus tamen fore adhuc in Deo æternam illius tanquam futuri præscientiam, & eius beneficio præscientiam quoque rei ad quam illud requiritur; ita & decretum, quod non est absolutè, sed quod esset si Deo placeret, potest illi esse ratio conducens ad præsciendum id, cui debet præsupponi. Ea enim est differentia, quòd omne decretum futurum absolutè, de facto est; decretum autem possibile, aut ponendum pro Dei libertate, non est de facto necessariò. Vnde quamuis non possimus supponere futurum absolutè, quod modo non sit; possumus tamen supponere ponendum pro Dei libertate, quod tamen non sit actu positum. Et sicut si esset futurum tantùm, & non præsens, conduceret tamen ad futuritionem rei, ad quam requiritur, præsentemque illius præscientiam: ita quamuis sit ponendum tantùm pro

Dei libertate, & non positum; conducere potest ad conditionatam rei, cui debet præsupponi, futuritionem, præsentemque illius & conditionatam præscientiam.

Loco citato disp. 10 dub. 3. p. 645.

L. Atque ita soluitur, *aperta ratio*, quæ in illam etiam incurrit, qua vsus est P. Ioannes à sancto Thomâ. Sed hic Auctor propria quædam obiicit, quæ diluenda quoque sunt.

Loco citato pag. 643. P. Ioannes à S Thoma vrget propositum locum contra scientiam mediam, sed frustra.

Ergo sic argumentatur primò, *Vel Augustinus quando agit contra istos hæreticos* Semipelagianos, & decretum Dei, ac prædestinationem præscientiæ præmittit, *semper loquutus est de futuris absolutis, & nunquam de conditionatis; vel aliquando etiam de conditionatis.* ℞. Quando agit de necessitate præsentis, atque actualis decreti ad præscientiam liberorum actuum, semper agere de futuris absolutis, & numquam de conditionatis. Sed vrget: si hoc
„ est. Ergo prætermisit Augustinus respondere Semipela-
„ gianis & sic valde fuit diminutus; ipsi enim recurrebant
„ ad præscientiam horum futurorum, & in tali præscientia
„ fundabant suam opinionem de admittendo decreto Dei.
Respondeo: Nego sequelam hanc; Augustinus enim abunde illis respondit, quando significauit *absurdissimam* esse cogitationem, & *insulsissimam*, quæ motiuum præsentis & absoluti decreti ex eo peteret, quod est tantùm conditionate futurum. Etenim Semipelagiani non fundabant in tali præscientiâ suam opinionem de admittendo decreto Dei conditionato, sed absoluto; in quo visi sunt Augustino, ineptiores ipsis Pelagianis, vt antea ostendimus: ideoque reiecti sunt, quòd niterentur præscientiâ conditionatorum, tanquam præscientiâ absolutorum, & recurrerent ad futura, quæ non sunt futura.

Ibidem.

LI. Secundò sic Argumentatur. futurum de quo agit Augustinus in quæstionibus Paganorum, est futurum conditionatum, sed ad illud de quo agit in quæstionibus Paganorum requirit decretum Dei: Ergo ad futurum conditionatum requiritur decretum Dei: Ergo ruit scientia media. Respondeo primò retorquendo argumentum, & inde probando nullas dari conditionatas prædefinitiones,

tiones, & consequenter nullum futurum conditionatum distinctum ab absoluto. Quia si decretum de quo agit Augustinus sit absolutum, nullæ sunt quæ hinc colliguntur conditionatæ prædefinitiones vt patet: Atqui decretum de quo hic agit Augustinus est absolutum vt ostensum est, & mox iterum ostendetur: Ergo nullæ sunt quæ hinc colliguntur prædefinitiones conditionatæ: nullumque futurum conditionatum ex illis pendens: Atque ita ruit scientia conditionata quam tuentur Aduersarij. Respondeo secundò distinguo minorem, Ad illud futurum de quo agit in quæstionibus paganorum, requirit Augustinus decretum Dei, vt fiat futurum tantùm ex hypothesi; nego: id enim Augustinus nunquam somniauit: vt hoc futurum prosit ad salutem, & sit idonea ratio, cur Christus vnis apparere velit, potiùs quàm aliis, itáque de esse conditionato transeat in absolutum; concedo: & dico id exprimere Augustinum, dum de Tyrijs & Sidonijs, » Si quæratur à nobis cur apud eos tanta miracula facta sint, qui ea non fuerant credituri, & apud eos facta » non sint, qui crederent, si viderent, Quid respondebimus? » nunquid dicturi sumus, quod in libro alio dixi, vbi » sex quibusdam quæstionibus paganorum, sine præiudicio » tamen aliarum causarum, quas prudentes possunt inuestigare, » respondi? *Et repetita responsione illa....* Hoc certè » de Tyro, & Sidone non possumus dicere: & in eo cognoscimus » ad eas causas prædestinationis, hæc diuina iudicia » pertinere, sine quarum causarum præiudicio tunc » ista respondere me dixi. *Et postea dum explicat latentes illas* » *causas prædestinationis.* Sed quoniam vt crederent eis non » est datum; etiam vnde crederent, est negatum. Item. Et » tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt » gratiæ prædestinatione discreti; nec ipsa eis adhibentur, » vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, » si audirent vtique talia, vel viderent. *Item.* Non erant » igitur sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, » & Sidoniorum, sicut Iudæorum, quoniam credidissent, » si qualia viderunt isti signa vidissent; sed nec illis » profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non »

C. 9. de bono perseu.

„ erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestiga-
„ biles viæ, nec istis obfuisset, &c.

Ex quibus locis sic argumentor. Prædefinitio conditionata si vlla requiritur ad scientiam conditionatam, non defuit Tyrijs: Latentes causæ illæ quas excipit Augustinus dum respondet quæstionibus Paganorum, defuerunt Tyrijs: Ergo latentes illæ causæ non sunt prædefinitio conditionata, sed potiùs absoluta. Maior est Aduersariorum. Minor est Augustini superioribus verbis cum dicit: *Et in eo cognoscimus ad eas causas*, &c.

Præterea, Quod defuit Tyrijs ex Augustino, non est aliud, quam *quia non est illis datum vt crederent, & vnde crederent*, quia *non sunt altiore Dei iudicio à perditionis massa, gratiæ prædestinatione discreti*, quia *non sunt prædestinati*, Sed hæc omnia nihil aliud significant, quàm absolutam Dei voluntatem, quâ conditionatè futura eorum conuersio, transiret in absolutam, itáque illis prodesset; quia vt iam dixi, quidquid erat necessarium, ad futuram conditionatè illorum conuersionem non deerat, & supponitur ab Augustino: Ergo quod defuit Tyrijs nihil est aliud, quàm absoluta Dei voluntas, quâ futura conditionatè ipsorum conuersio transiret in absolutam, & prodesset illis: quod autem defuit Tyrijs hoc excipiebat, dum responderet Paganis, erantque illæ occultæ causæ prædestinationis. Ergo quod intelligebat Augustinus per illam exceptionem, erat absoluta quædam Dei voluntas ac electio, quâ præscientia conditionata transiret in absolutam, & cuius beneficio, quod erat conditionatè futurum fieret vtile, dum transit in futurum absolutè. Quod Augustinus aperte confirmat, dum dicit, *Sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant.* Quasi diceret, potentiam illam credendi Tyriorum, quæ erat potentia, vt dici solet, consequens, & coniuncta cum futuritione conditionatâ effectus, fuisse illis profuturam, si essent prædestinati. Hæc est igitur illa prædestinatio, quam Augustinus adiungi vult suæ illi responsioni ad quæstiones Paganorum, non verò prædefinitio conditionata. Atque hinc soluitur alia quædam

obiectio huius Doctoris qui sic argumentatur.

LII. Tertiò, Quando Semipelagiani obijciebant Augustino id quod ipse dixerat respondendo ad quæstiones Paganorum, non id obijciebant vt probarent, illam fi- „ dem præuisam, & præcognitam à Deo, esse motiuum, „ & principium nostræ iustificationis, id enim eo loco non „ dixerat Augustinus, nec vel leuitet insinuauerat; solùm „ ergo hunc locum adducebant Semipelagiani, vt proba- „ rent non esse absurdum, quod ipsi dicebant de scientia „ media quantum ad eius substantiam, scilicet, quod Deus „ præsciebat futura illa conditionata, & iuxta illam dispen- „ sabat decreta sua, non vero decretum habebat ante illam „ præscientiam. Ergo decretum, quod Augustinus reticebat, „ quodque explicat nunc in libro de prædest. SS. & de bono perseuer. est decretum præuium illi futuritioni conditionatæ.

Respondeo hanc ratiocinationem laborare multiplici vitio; nam primò probat Semipelagianos, non adduxisse Augustini sententiam, vt probarent præscientiam futuri conditionati exhibere Deo motiuum aliquod gratiæ dandæ, ex eo quòd Augustinus non hoc dixisset, nec vel leuiter insinuasset: nempe adeò fideles fuisse putat Semipelagianos in referendâ Augustini sententia, adeoque acutos in attingenda, nulla vt esse possit suspicio, vel eorum imperitiæ, vel fraudis: etiam in illo negotio, in quo illos Augustinus deteriores fuisse putat ipsis Pelagianis, atque ineptiores: vt merito illis gratulari possimus, quòd aliquando etiam Thomistas propitios habeant.

Secundò supponit Semipelagianos laborasse vt scientiam mediam quoad eius substantiam à suspicione absurditatis liberarent, qua de re nemo vnquam illis negotium facessiuerat.

Semipelagiani eo tantũ nomine reprehensi quod ex futuro conditionato motiuum absoluti peterent & causam meritoriam.

Tertiò demum supponit Augustinum ineptè respondisse Paganis, quando non respondit, id quod ipsi interrogauerant, sed nescio quid aliud. Quæstionis enim Paganorum, quæ variè concipitur apud Augustinum, hic vnus est modus. *Quare saluator, qui dictus est, sese tot sæculis*

Ep. 49 ad Deo gra. *subduxit?* Qui autem petit, quare se subduxit, quid aliud petit, quàm quare se subducere voluit? Et qui petit, quare se subducere voluit, quid aliud petit, quàm quæ ratio illius voluntatem mouit? Hoc autem petere est, Ecquod fuit illius voluntatis motiuum? Ergo si Augustinus dare vult quod petitur, dum respondet huic interrogationi, dare debet motiuum voluntatis Christi; atqui aliud non dat, quàm quod continetur illis verbis, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Ergo poterant Semipelagiani, verba hæc obijcere Augustino, ex hypothesi, quòd explicanda essent de scientiâ conditionatâ, vt ostenderent ex ipsius doctrina, scientiam conditionatè futurorum exhibere Christo motiuum specialis illius beneficij, quo se suaque miracula, vnis manifestat, potiùs quàm alijs.

LIII. Nam quòd ea fuerit Semipelagianorum cogitatio, apertè monstratur; primùm ex litteris Hilarij ad Augustinum, vbi Massilensium Theologiam ita describit: „ Cum autem dicitur eis, quare alijs, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit, dicunt id præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore, & ibi illis veritas annunciaretur, vel annuncietur, quando, & vbi prænunciabatur esse credenda. Et non solùm aliorum Catholicorum testimonijs, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur, vbi tamen gratiam, non minore veritatis perspicuitate docueris, vt est illud, quod dixit sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium de tempore Christianæ religionis, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse qui in eum fuerant credituri.

Vbi vides Massilienses, Augustini responsionem illam ad quæstiones Paganorum, in eum finem adducere, vt dent rationem, quare vnis potiùs quàm alijs, & vno tempore, potiùs quàm alio Christus apparere voluerit: & est manifestum vel ipsis elementarijs, ratio-

nem cur Christus aliquid voluerit, esse rationem, quæ mouerit vt vellet, quod est esse rationem volendi motiuam.


Id quod adhuc euidentius fit, dum in eundem finem adducunt Semipelagiani locum hunc, & alia quædam Augustini ex Expositione Epistolæ ad Romanos, vt refert idem Hilarius. Quorum summa erat, Deum eligere merita fidei & impietatis in præscientia: ita vt quos præsciret crediturós, gratiam illis ad benè operandum præstaret; quos præsciret non credituros obdurando desereret: fidem autem illam nostram esse, non ex gratia, quæ fidei tantùm adderetur ad benè deinceps operandum. Quæ cum eò spectarent, Auctore Augustino, vt putaretur Deus, præscito fidei merito moueri ad dandam gratiam, & præscito merito infidelitatis moueri ad deserendum, itáque obdurandum; quis dubitare potest, quin eodem quoque spectarent illa, quæ simul citantur ex responsione ad quæstiones Paganonum? Et ideo ex his citationibus, quid colligant ostendunt ipsi apud eundem Hilarium, quando subiungit. Cæterum præscien- »
tiam, & prædestinationem vel propositum ad id valere »
contendunt, vt eos præsciuerit, vel prædestinauerit, vel »
proposuerit eligere, qui fuerant credituri. Quod quo »
sensu sit accipiendum interpretantur ipsi, dum dicunt. *Vnde illam præscientiam sic accipiunt, vt propter fidem futuram illi sint præsciti.* Sed hæc adeo sunt manifesta, vt mirum sit virum sapientem in tanta luce caligare potuisse, aut alios caligare voluisse.

LIV. Instat nihilominus, Quòd fides conditionatè futura sit *motiuum & meritum veniendi Christum, est erroneum, & semipelagianum*; sed Augustinus non dicit id quod responderat quæstionibus Paganorum esse erroneum. Ergo quod responderat intelligi non debet *de motiuo, aut merito veniendi* Christum. Respondeo, excepto semper grammaticorum iure, atque censurâ, interrogando quare Augustinus *retrobauerit*, vt ait Sanctus Thomas, id quod dixerat in illis quæstionibus? An quia erat Catholicum, & alienum ab errore? Item cùm eiusdem

Semipelagianismpostea visum Augustino, quod ipse olim dixerat.

omnino rationis sit, & in eundem quoque finem productum, id quod obiiciunt Augustino iidem Semipelagiani, seu Massilienses ex quæstionibus in Epistolam ad Romanos, quare ab Augustino retractatum est? *Nisi quia nondum diligentius quæsiisset, nec inuenisset: qualis sit electio gratiæ: quæ nulla est si datur secundum merita!* Hinc enim patet euidenter id quod dixerat eo loco, eo fine dictum, vt meritum illud præscitum, putaretur esse motiuum ad obtinendam gratiam. Cùm autem istud negari non possit, quin fuerit id ipsum in quo deinde Semipelagiani errauerunt idem & de priore illo loco dicendum est? Innocentiùs tamen dictum est illud ab Augustino, tum quia non est assertiuè dictum nec tam ex eius sententia, quàm ipsorum Paganorum, à quibus illa tantum responsio poterat expectari, si retorqueretur in illos ea quam ipsi proponebant interrogatio, vt ante dictum est: tum quia necessariam Augustinus exceptionem adhibuit maioris considerationis, & aliarum, atque latentium causarum. Quod si Augustinus id omnino asseruisset, eoque sensu, quo id accipiebatur à Semipelagianis seu Massiliensibus, nec esset vsus ea qua dixi exceptione, quis dubitat, quin eâdem fuerit censura dignum, qua id quod dixit dum exponeret Epistolam ad Romanos?

supra num. 43 44.



CAPVT IV.

Exponuntur alia quadam Augustini testimonia, & de sententia Semipelagianorum circa Scientiam Mediam.

I V. THeologus Collegij Salmanticensis duo veluti capita distinguit sententiæ Semipelagianorum circa scientiam mediam, aliud, in quo illi hæretici fuerunt, quatenus videlicet contendebant gratiam dari ex præscientia meritorum conditionatè futurorum, atque adeò à gratia ipsa independentium: aliud, in quo licet *non hæreticè* Philosopharentur, reiecti tamen ab Augustino sunt, vt quod illam scientiam dicerent esse diuinis prædefinitionibus præuiam, & esse necessariam ad conciliandum libertatem creatam cum diuina prouidentia. Quæ quia nos etiam defendimus; contendit hic author, Societatis doctrinam de scientia media ipsissimam esse doctrinam Semipelagianorum; non eam quidem quæ damnata est ab Ecclesia, sed eam, quæ licet hæretica non esset, ab Augustino tamen est reiecta. Vnde confici putat, quam tuemur ipsi sententiam, nequaquam esse Augustinianam; Quod ipsum etiam sæpius inculcat P. Ioannes à Sancto Thoma. Hoc verò vt intelligatur quàm vanum sit, quamque ipsi aberrauerint à scopo & Semipelagianorum & Augustini; operæ pretium est exponere paucis erudito Lectori quæ fuerit Semipelagianorum doctrina in hac parte, quisue sensus Augustini dum eos refutat: id quod ex sequentibus propositionibus apertum fiet.

§. I.

Prima Propositio.

LVI. SEmipelagiani errauere potissimùm circa Præscientiam absolutam tum quorundam meritorum gratiam Dei præuenientium: tum finalis perseuerantiæ in gratiâ semel ãcquisitâ sine vlteriori beneficio.

Hæc propositio directè repugnat Doctori Salmanticensis Collegij qui sic loquitur, Semipelagiani, quorum „ est istud argumentum, cui Augustinus occurrit, non di„ cebant dari causam electionis horum præ illis ex præ„ scientia bonorum operum absolutè futurorum, quæque „ per scientiam visionis videntur. Sed solùm ex præscien„ tia eorumdem sub conditione futurorum vt docet Au„ gustinus eodem libro, de prædest. SS. cap. 12. & de bono „ perseuer. cap. 9. & sequentibus.. In quibus verbis quod dicit ex cap. 9. de bono perseuerantiæ constare, Semipelagianos petiisse causam electionis horum præ illis non ex præscientiâ absolutâ, sed ex conditionatâ, falsum est. Licet enim constet ex capite illo confugisse quoque Semipelagianos ad scientiam conditionatam, nullum tamen est verbum quo innuatur non fuisse innixos absolutâ quamdiu & quantùm licuit; vt patet ex illo alio loco quem citant ex libro de prædestinat. SS. vbi Augustinus „ ita loquitur: Sed omnis hæc ratio quâ defendimus gra„ tiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, verè „ esse gratiam, id est, non secundùm merita nostra dari, „ quamuis euidentissimis diuinorum eloquiorum testimo„ nijs asseratur; tamen apud eos qui nisi aliquid sibi assi„ gnent, quod priores dent vt retribuatur eis, ab omni „ studio pietatis reprimi se putant; laboratur aliquando in „ ætate maiorum, iam vtentium voluntatis arbitrio; sed „ vbi venitur ad paruulos, & ad ipsum Mediatorem Dei & „ hominum, hominem, Christum Iesum, omnis deficit „ præcedentium gratiam Dei humanorum assertio merito„ rum: quia nec illi vllis bonis præcedentibus meritis discernuntur,

Tract. 3 disp 10. dub. 2. §0. n.

Cap. 12. de præ. dest. SS.

cernuntur à cæteris, vt pertineant ad liberatorem hominum: nec ille &c. Quis enim audiat quod dicuntur paruuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita &c. In quibus verbis cùm apertè dicat Augustinus non tam facilè conuinci Semipelagianos aientes Dei gratiam dari secundùm merita recipientium, in adultis, quam in paruulis accepto baptismo decedentibus; euidens est non aliam esse huius differentiæ causam, quàm quia in adultis facile erat fingere *præcedentia merita*, quæ nulla fingi poterant in paruulis: Sed quæ fingi non poterant, seu, quæ *deficiebant* in paruulis, erant tantùm absoluta, seu absolutè præcedentia: Ergo illa eadem erant, occurrebant in adultis: Ergo in adultis præscientia quæ illa repræsentabat diuinæ voluntati tanquam idoneum motiuum ad dandam gratiam, erat absoluta præscientia, ex sententia Semipelagianorum.

Si conditionata tãtum præscientia meritorũ abuterentur Semipelagiani ad prædestinationem adultorum; non erant eis obijciendi paruuli.

LVII. secundò idipsum cernere est in epistola Prosperi ad Augustinum, dum ait; Cum innumerabilium illis obijcitur multitudo paruulorum, qui vtique excepto originali peccato sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur, vt ante discretionem boni ac mali de vsu vitæ istius auferendi, alij per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes: alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores; tales aiunt perdi, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus si ad adultam seruarentur ætatem scientia diuina præuiderit. Hîc ego peto, quibusnam obijciatur morientium paruulorum illa discreto, quâ quidam saluantur accepto baptismo, alij non accepto damnantur? An asserentibus illam discretionem oriri ex absolutis, an, ex conditionatis? Si dicatur hoc secundum; ridicula est obiectio, quia conditionata illa merita neque minus neque magis reperiuntur in paruulis, quàm in adultis; itaque inutilis est instantia ex defectu meritorum huiusmodi in paruulis, contra ea quæ dicebantur de adultis. Si dicatur primum, habemus intentum, nempe absoluta fuis-

se merita absolutamque præscientiam illam quâ Semipelagiani putabant Deum moueri ad gratiam adiungendam. Quod euidenter confirmatur ex eo quod Prosper subiungit, Semipelagianos dum ita philosophantur de paruulis, ideò *futura quæ non sunt futura confingere, quia præterita non extant*, quasi diceret, in adultis ista non confingi, quod in ijs extare putarentur præterita merita. Quæ autem esse possunt præterita illa merita si non sunt absolutè existentia & ea ratione præscita? Id quod iterum patet ex eo quod sequitur, *nouum esse absurditatis genus* in hac de paruulorum meritis Philosophia, quòd *& non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Hoc enim perinde absurdum esset in meritis adultorum, si eorum quoque præscientia supponeretur esse conditionata. Ergo supponebatur esse absoluta.

LVIII. Tertiò Probatur ex eo quod Pelagiani non vtebantur præscientiâ conditionata, sed absoluta tantùm, vt ex Augustino constat: qui, cum Pelagiani dicerent, Iacob, *dilectum esse ex futuris operibus quæ Deus illum facturum esse præsciebat*, & Esau ex operibus similiter futuris odio habitum, *vt auferretur illis omnis caliginis latebra, geminos tales proposuit, qui neque parentum meritis iuuarentur & ambo infantiæ primordio vnus baptizatus & alter sine baptismate moreretur.* Quod nihil est aliud, quàm cùm niterentur Pelagiani absolutè futuris meritis Iacob & Esau in assignanda tum diuini amoris erga vnum, tum diuini odij erga alium causa; Augustinum instantiam proposuisse ex iis geminis, in quibus nulla esse possunt merita nisi conditionata, quorum rationem habendam esse minimè creditum à Pelagianis Augustinus ostendit in libro de bono perseuerantiæ cap. 12. cum dicit, „Nulla „quippe merita etiam secundùm ipsos Pelagianos possunt „in paruulis inueniri, cur alij illorum mittantur in regnum, „alij alienentur à regno, & ideo subiungit August. loco proximè citato contra duas epist. illos ad instantiam de „duobus geminis mutos esse, Redit ad vos *inquit*, frater „ille geminus baptizati non baptizatus: & tacitus quærit à „vobis, vnde fuerit à fraterna fœlicitate discretus? cur illâ

Con. 2 ep Pelag. l. 2. cap. 7.

Pelagiani non nisi absoluta præscientia meritorum sunt abusi.

infœlicitate punitus vt illo in filium Dei adoptato, ipse »
non acciperet omnibus ætatibus necessarium, sicut fate- »
mini, sacramentum?..... huic prorsus infanti linguam »
vestram vocemque submittitis, huic non loquenti quid »
loquamini non habetis. Et constat ex dictis antea Semi- »
pelagianos in eo excessisse Pelagianorum errorem, quòd Supra cap. 3 §. 1.
huiusmodi meritorum conditionatam scientiam adhibe-
rent, vbi absolutam non poterant. Nam vbi hæc occur-
risset, in eo tantùm erant diuersi, quòd eorum doctrinam
dimidiarent & illius totius meriti, quod Pelagiani diuinæ
gratiæ præmitterent, Semipelagiani particulam tantùm
aliquam præmittendam esse censerent, videlicet bonam
voluntatem & desiderium, ac fidei quoddam initium, ad
quod non requireretur nisi gratia creationis, vt constat
ex tota Prosperi atque Hilarij Epist. ad Augustinum, &
ex duobus libris de prædest. SS. & de bono perseu. qui-
bus eis Augustinus respondit. Ex quo sic argumentor;
Semipelagiani non aliter Philosophabantur de illo initiali
merito, quod diuinæ gratiæ præmittebant in adultis,
quàm quomodo Philosophabantur Pelagiani de merito
completo ac totali; Atqui Pelagiani absolutam huiusmo-
di meriti existentiam & præscientiam præmittebant di-
uinæ gratiæ, vt probatum est: Ergo illius quoque abso-
lutam existentiam & præscientiam Semipelagiani præ-
mittebant.

LIX. 4. Patet ex Augustino, qui postquam propo- De præd. SS. cap 12.
suit ac reiecit Pelagij sententiam his verbis conceptam,
Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent sancti & »
immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos »
antè mundi constitutionem in ipsa sua præscientia qua »
tales futuros esse præsciuit, elegit, quod, vt iam osten- »
sum est & per se patet, de præscientia tantùm absoluta
intelligitur; Semipelagianos postea ita loquentes inducit. Cap 19.
Nos autem dicimus, inquiunt, nostrum Deum non » Semipelagiani
præscisse nisi fidem, quâ credere incipimus, & ideo nos » sententiam Pelagianorum
elegisse ante mundi constitutionem ac prædestinasse, vt »
iam sancti atque immaculati gratia atque ope eius esse- »
mus. Quis hîc non videt præscientiam absolutam, quam de absoluta

præſcientia reſtringunt ad fidem qua credere incipimus.

Pelagiani extendebant ad *ſanctitatem* & vitam *immaculatam*, Semipelagianos reſtrinxiſſe ad fidem, quâ citra ſpecialem Dei gratiam elicita impetretur deinceps neceſſarium ad ſanctam & immaculatam vitam auxilium? Quis item non videt fidem, *Qua credere incipimus*, minimè conditionatam eſſe: & conſequenter eius præſcientiam non niſi abſolutam dici poſſe? Abſoluta eſt igitur illa præſcientia, quam potiſſimum Semipelagiani gratiæ præmittebant.

Auguſtinus olim circa præſcientiam tantùm abſolutam erat hallucinatus, vt oſtēdit eius admiratio ex nouitate ſententiæ Semipelagianorum circa præſcientiam conditionatam.

LX. 5. Patet, quia præſcientiam propriorum meritorum & à diuina gratia independentium illam aſtruebant Semipelagiani, quam Auguſtinus quoque approbauerat, antequam iſta diſputari cœpiſſent: ideoque argumentabantur ad hominem, ex eo quod ille dixerat in quæſtionibus in Epiſtolam ad Romanos: Atqui Auguſtinus non dixerat præſcientiam vllius meriti conditionatè futuri exhibere Deo idoneum remunerationis motiuum, ſed tantùm abſoluti: Ergo Semipelagiani adſtruebant præſcientiam meriti abſoluti, & non tantùm conditionati. Maior probatur ex Epiſtola Hilarij ad Auguſtinum, vbi refert locum à Semipelagianis proponi ſolitum, vt oſtenderent eandem eſſe ſuam modò, & Auguſtini olim ſententiam. Minor probatur, quia opinio illa, quod Deus ad merita conditionatè futura reſpiciat, ſeu vt ipſe loquitur, ad futura, quæ non ſunt futura, videtur adeò abſurda Auguſtino, vt miretur & ſtupeat potuiſſe in mentem venire Semipelagianis: nec ſit credituṙus, niſi credendum putaret teſtimonio Proſperi atque „ Hilarij, Iudicari, *inquit*, quemquam ſecundùm merita „ quæ fuerat habiturus, ſi diutius fuiſſet in corpore, vnde „ opinari potuerint homines, quorum ingenia non eſſe „ contemptibilia, veſtræ indicant literæ, MIRANS ET „ STVPENS reperire non poſſum, NEC CREDERE AVDEREM, niſi vobis non credere non auderem. Quæ verba manifeſtè ſignificant, ſe nihil vnquam ſimile crediſſe. Vide autem an non tale aliquid crediderit ac docuerit ipſe quoque, ſi quæ docuit in epiſtolam ad Romanos, de præſcientia fidei electorum, intelligenda ſunt de præ-

ſcientia conditionata? Ita enim loquitur. *Dicis itaque mihi quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis reſiſtit?* Hæc ſunt Apoſtoli verba, quibus Auguſtinus ſuum ſubiungit commentarium in hunc modum. „Cui ſanè inquiſitioni ſic reſpondet, vt intelligamus ſpiritualibus viris, etiam, non ſecundùm terrenum hominem viuentibus, patere poſſe primæ merito fidei & impietatis, quomodo Deus præſcientia eligat credituros & damnet incredulos; nec illos ex operibus eligens, nec iſtos ex operibus damnans: ſed & illorum fidei præſtans, vt benè operentur, & iſtorum impietatem deſerendo obdurans, vt malè operentur. *Et iterum*, Æquales omnes ſunt antè meritum, nec poteſt in rebus omnimodo æqualibus electio nominari, quoniam Spiritus Sanctus non datur niſi credentibus..... Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe donaturus eſt; ſed fidem elegit in præſcientia: vt quem crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, &c.„ In quibus interrogo, quomodo intelligi velint aduerſarij, quod dicitur de *primo fidei & impietatis merito*, de-que eorum præſcientia, quam Auguſtinus præmittit, tum electioni ad recipiendum *Spiritum Sanctum* & benè operandi gratiam; tum *obdurandi* decreto? An ita vt ſenſus ſit, cùm & eſſet & præſciretur primum fidei meritum abſolutè futurum Deum elegiſſe credentes, quibus daret Spiritum ſanctum: item cùm & eſſet & præſciretur meritum impietatis abſolutè futurum, Deum ſtatuiſſe incredulos obdurare deſerendo? Et ſi ita intelligant, quo modo tantùm intelligi rectè poteſt, ergo Auguſtinus inibi agit de præſcientia abſoluta & non conditionata: & conſequenter Semipelagiani, qui ſuam faciunt hanc Auguſtini ſententiam, abſolutam obtendunt aliquorum meritorum præſcientiam, quam electio ad gratiam, vel derelictio conſequatur, & non tantùm conditionatam, quod intendimus. An igitur ita erit interpretandus Auguſtinus, vt ſit ſenſus, cùm necdum eſſet, necdum præſciretur vel fidei vel impietatis meritum abſolutè futurum; ſed præſciretur futurum tantùm conditionatè, Deum elegiſſe

conditionatè tantùm credituros vt eis daret ſpiritum ſanctum, & conditionatè tantùm incredulos vt eundem illis negaret, & deſertos à ſe ac derelictos obduraret? Anne, inquam, hæc Auguſtini mens eſſe poteſt? Et ſi eſſe contendunt; quantùm ab eo differunt qui dicunt, Deum, cum nec eſſent nec præſcirentur vlla paruulorum abſolutè futura merita bona malaue, ſed conditionatè tantùm; elegiſſe ad ſalutem, quorum bona præſciret illo modo, ad damnationem verò quorum mala? Et quomodo poteſt Auguſtinus, qui docuerit primum, quando hanc quæſtionem penitus non intellexerat, *ſtupere mirari*, nec *poſſe credere* aliquos reperiri qui ſecundum, vt ipſe loquitur, *ſomniarent*? Hæc nonnè apertè conuincunt abſolutam fuiſſe illam meritorum præſcientiam, qua potiſſimùm nitebantur Semipelagiani ad ſuum errorem tuendum?

C. 14. de præd. SS.

Atque hinc etiam intelliges, Auguſtinum, quando in reſponſione ad quæſtiones Paganorum indicauerat, rationem cur alijs proponatur Euangelium, alijs non proponatur, eſſe petendam ex conditionata præſcientia, quâ ſcirentur, quinam credituri eſſent, aut non credituri; illud nequaquam dixiſſe, quod cogitaret merito fidei aut demerito incredulitatis illud eſſe tribuendum; cogitaſſet enim id quod poſtea miratus eſt venire potuiſſe in mentem alicuius, & quod vt antea vidimus *abſurdiſſimum, ineptiſſimum, inſaniſſimum* eſſe iudicabat: ſed cùm supponeretur generalis quædam voluntas ſaluandi omnes, atque ad fidem vocandi; quærenda fuit ratio, cur aliqui non vocarentur: & illam eo tempore Auguſtinus cenſuit ex eo peti poſſe, quod præſcientiâ conditionatâ futuræ incredulitatis intelligeretur inutilis vocatio, quomodo loquitur etiam Proſper ex eorum ſententia, dum ait, in epiſtola, *pleroſque non renouari miſericordiæ ſacramento, quia quod nec renouari* VTILE *habeant, prænoſcatur*, exceptâ, vt dicit, conſideratione ſecretiorum cauſarum. Exiſtimabat ergo Auguſtinus tantùm, hanc præſcientiam in non credituris fuiſſe impedimentum vocationis; in credituris autem fuiſſe tantùm cauſam remouentem prohibens.

LXI. 6. Patet, ex eo quod refert Hilarius in epistola ad Augustinum, Semipelagianos pati non putuisse, vt *paruulorum causa ad exemplum maiorum afferretur*: in quo eos Augustinus quoque impugnat. Cuius rei non est alia ratio, quàm quia in adultis censebant esse præcedentia merita non in paruulis, vt ex Augustino etiam liquet, cùm dicit: Ex ore infantium & lactentium perfecisse Deum „ suæ gratiæ laudem, dum quod in his videmus, *hoc est in* „ *paruulis*, quorum liberationem bona eorum merita nulla „ præcedunt..... hoc & in maioribus fieri nequaquam om- „ nino cunctamur, non putantes secundùm sua merita gra- „ tiam cuiquam dari. Ergo non censebant Semipelagiani „ merita hæc adultorum præcedere tantùm in præscientia conditionatâ; quia eo tantùm modo putabant præcedere merita paruulorum, quorum tamen volebant disparem esse causam & rationem: ergo præcedere putabant in præscientiâ absolutâ, cùm paruulorum præcederent tantum in præscientia conditionatâ. Quod confirmatur, &

De bono perseu. c. 11.

Semipelagiani nolunt vt paruulorũ causa ad exemplum maiorum afferatur.

LXII. Patet 7. ex modo quo & Augustinus & Prosper & Hilarius significant rationem meritorum oppositam illi futuritioni conditionatæ quam Semipelagiani fingebant in meritis paruulorum; quæ, quod opposita sit, alia esse non potest, quam ratio meritorum existentium & præscitorum absolutè. Augustinus enim contra paruulorum merita illa conditionata vrget locum Pauli dicentis hominem iudicandum secundum ea quæ gessit in » corpore. Gessit, inquit, non adiunxit, gesturus fuit. Sed, » vnde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, vt fu- » tura, quæ non sunt futura puniantur aut honorentur me- » rita paruulorum. *Et mox*, Quid est ergo, secundum ea » quæ per corpus gessit, nisi secundum ea, quæ gessit eo » tempore, quo in corpore fuit? *Et tandem*, Iudicari autem » quemquam non solùm secundùm merita quæ habuit, » quamdiu fuit in corpore; sed secundùm merita, quæ fue- » rat habiturus, si diutiùs fuisset in corpore, vnde opinari » potuerunt homines &c. Vbi vides Augustinum oppone- » re *quod quis gessit* ei *quod gesturus fuit*, & hoc *quod gestu-*

Merita quæ prætexunt Semipelagiani significantur ad modum eorum quæ præsciũtur absolutè.

De præd. SS. c. 12.

rus fuit esse *futurum quod non est futurum*, si nimirum non transit de conditionato in absolutum: similiter opponere meritum *quod quis habuit*, merito *quod habiturus fuit si diutiùs fuisset in corpore*; quod pariter nihil aliud esse potest, quam opponere meritum absolutum conditionato. Atque ita dubium esse non potest, quin eo *quod quis gessit*, *quod quis habuit* & similibus loquendi modis exprimat Augustinus absolutum quid, non verò conditionatum. Atqui eodem prorsus modo tum ipse tum Prosper & Hilarius exprimunt merita quæ Semipelagiani præmittebant diuinæ gratiæ in adultis: Ergo dubium esse non potest quin absoluta essent merita illa & non tantum conditionata. Assumptum probo varijs testimonijs ex duobus libris de prædest. SS. & de bono perseuerantiæ,& ex duabus epistolis Prosperi atque Hilarij, Nam Augustinus Semipelagianos impugnat quod dicerent *fidem auctam esse mercedem fidei cœptæ*, quod nihil aliud erat, quam ideo dari gratiam ad perficiendam fidem in adultis; quia illam meruit, qui credere cœpit. Quo pertinet etiam illud ex libro de bono perseuer. c. 17. *sed hæc*, *inquiunt* Semipelagiani, *vt à Deo dentur nobis fides impetrat quæ incipit à nobis*. Item quod dicerent Deum eligere nos *quia credidimus*, Augustinus contra. Non quia credidimus, sed vt credamus, elegit nos... Nec quia credidimus, sed vt credamus, vocamur. *Item quod dicerent*, Exigere Deum initium fidei quo in Christum primitus credere incipimus, & quod non est donum Dei, vt cum id præcesserit cætera tanquam hoc merito consequantur. Et Prosper in epistola ad Augustinum sentientes refert homines ad hanc gratiam quâ in Christo renascimur, peruenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulsando, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat quia bono naturæ benè vsus, vt ad istam saluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire. Item non dubitandum, quin fidelis ob hoc deuotus fuerit, *quia voluit*. Quo verbo præcedens illud meritum bonæ & tamen naturalis, hoc est, à gratia independentis voluntatis exprimitur. Item. *Qui Deo sponte crediderint meritò credulitatis accipere auxilium*-

[Margin notes: 1. de præd. SS. c. 2. — Ib. c. 19. — Ib. c. 21.]

auxilium gratiæ, ad perfectiorem scilicet fidem aliaque opera bona. Item; *Hominis libertatem iuuari, si quod Deus mandat, elegerit.* Item; *Ideo iuuari, quia voluit.* Hilarius pariter refert sentientes Semipelagianos *homines eo merito, quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequi effectum.* Item. *Non negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas*, quâ nimirum quis sanari vult. Quod est non negari gratiam, si dicatur, ideo dari, quia *præcessit* bonum meritum illius voluntatis. Iam verò quis non videt meritum quo quis *cœpit*, quo quis *credidit*, quòd *præcessit*, quo quis benè *vsus est* naturali bono, quo quis *voluit*, quo *elegit*; ita opponi cum merito conditionatè futuro, quo modo quod *quis gessit*, opponitur ei quod gesturus erat, & quod quis habuit opponitur ei quod *habiturus erat*? Si ergo ex oppositione ista, quam facit Augustinus eius, *quod quis gessit*, cum eo *quod gesturus fuit*, & *quod quis habuit* cum eo *quod quis habiturus fuit*; intelligimus primum significare quid absolutum, secundum verò quid conditionatum; cui potest esse dubium, quin & Augustinus ipse & Prosper & Hilarius, per meritum illud quo quis *cœpit*, quo *credidit*, &c. meritum quoddam omnino absolutum designarint? Atque hoc illud est cuius præscientiam ipsimet dicunt Semipelagianos præmisisse diuinæ gratiæ; ergo nitebantur illi absoluti meriti præscientia & consequenter absoluta præscientia. Ep. ad Aug.

LXIII. Denique verba hæc Prosperi sunt expendenda, Ac sic cum in his qui tempus acceperunt liberæ volunta- » tis duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei sci- » licét gratia & hominis obedientia: priorem volunt (Se- » mipelagiani) obedientiam esse, quàm gratiam: vt initium » salutis ex eo qui saluatur non ex eo credendum sit stare » qui saluat: & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat » opem, non gratia sibi humanam subijciat volunta- » tem. In quibus verbis Aduersarios interrogo, quo sensu putent, Semipelagianos dixisse *priorem esse hominis obedientiam, quam Dei gratiam?* An quia priusquam decerneretur gratia, præscita erat obedientia vt conditionatè fu-

tura? An quia præscita erat vt futura etiam absolutè? si dicatur hoc secundum, vt dici debet, habemus intentum: si primum, quare distinguebant inter adultos & paruulos, vt dicerent præcedere illam præscientiam *in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis*? An non putabant præcedere in his etiam qui non acceperunt? Quis non videt præcessionem hîc absolutam significari, quæ quia esse non poterat in paruulis, dicebant in ijs tantum esse, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, hoc est in adultis?

Atque hæc adeo sunt perspicua, vt verendum sit, ne videar erudito Lectori superfluam in hac quæstione operam lusisse. Verum huius peccati veniam facilè vt spero impetrabit Doctoris Salmanticensis hallucinatio, quâ dixit, Semipelagianos non dixisse dari causam electionis » horum præ illis ex præscientia bonorum operum absolutè » futurorum, quæque per scientiam visionis videntur, sed » solum ex præscientia eorundem sub conditione futuro- » rum. Quod ampliùs confutabitur ex mox dicendis.

Suprà n. 56.

§. II.

Secunda Propositio.

LXIV. SEmipelagiani confugerunt ad scientiam conditionatam tunc tantùm quando absolutam præscientiam obtendere non poterant.

Colligitur ex ijs quibus superior propositio probata est. Nam Augustinus apertè hoc indicat, cùm dicit, Laborari in ætate maiorum *contra Semipelagianos*, deficere » autem illos omnem assertionem præcedentium gra- » tiam Dei humanorum meritorum, cum venitur ad par- » uulos, Quis enim, *inquit*, audiat quod dicuntur paruuli » pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati, exi- » re de hac vita? Quasi diceret, in adultis minimè illos in » eam absurditatem incurrere, vt dicerent eos pro futuris ex hypothesi meritis recipere gratiam aut gloriam, sed in paruulis tantùm, in quibus alia fingi merita non poterant quàm ex hypothesi futura.

Cap. 12. de præ-dest. SS.

Idem apertè significat Prosper cum dicit. Cumque innumerabilium illis objicitur multitudo paruulorum..... " tales aiunt perdi talesque saluari, quales futuros illos in " annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scien-" tia diuina præuiderit, vbi vides illos tunc tantùm recur- " rere ad præscientiam meritorum conditionatorum; quando paruulorum illa discretio, qua pereuntibus alijs alij saluantur, illis objicitur. Quod etiam apertè significat Prosper, cùm eos ait, *quia præterita non extant, futura, quæ non sunt futura confingere*. Quod in adultis non faciebant, in quibus opinabantur esse merita præterita.

Epist ad August.

Idem iterum Augustinus, cùm dicit. In hanc autem „ sententiam, (vt dicantur paruuli secundùm ea iudicari, quæ præsciuntur facturi si viuerent,) quam certè omnis „ sensus humanus quantulacunque ratione subnixus maxi- „ meque Christianus exhorret, ire compulsi sunt qui sicà „ Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, vt tamen „ gratiam Dei.... secundùm merita nostra dari sibi adhuc „ existiment esse credendum & disputatione insuper pro- „ ferendum, *Et mox*, hoc autem si non dicatur, quod cer- „ nitis quanto errore dicatur, quid restabit nisi vt gratiam „ Dei non secundùm merita nostra dari, quod contra hæ- „ resim Pelagianam Catholica defendit Ecclesia, remota „ contentionis caligine fateamur: atque id maximè in „ paruulis euidentiore veritate cernamus? vbi vides & „ *compulsos* Semipelagianos instantia de paruulis proposita, vt ad scientiam conditionatam recurrerent, & Catholicos tanquam *euidentiore veritate* illos compulisse, dum vrgerent, paruulis saltem gratiam non dari secundùm merita. Ideo autem euidentior erat hæc veritas, quòd ageretur de meritis absolutis; quæ cùm in paruulis nulla esse sit euidentius quam in adultis, ideo Semipelagiani hac instantia compulsi, ad conditionata confugere, nequaquam inituri tam absurdam cogitationem, nisi vrgeret necessitas.

De bono perseu c 12. Quamdiu fingi potuere absoluta merita, nihil cogitatum est de conditionatis.

LXV. Constat demum ex literis Prosperi atque Hilarij & ex duobus libris Augustini de prædest. SS. & de bono perseuererantiæ. Semipelagianos nunquam adhibuisse

Duplex occasio inqua Semipelagiani indi-

guere meritis conditionatis.

ſcientiam illam conditionatam, niſi in hac duplici occaſione. Primò cum ageretur, vt dixi, de paruulorum diſcretione illa. Secundò, dum peteretur quare inter adultos vnis potiùs proponatur Euangelium, quàm alijs; in eum enim finem vtebantur reſpõſione Auguſtini ad quæſtiones Paganorum, de quâ ſuperius. Nempe cum initiale illud meritum, quod diuinæ gratiæ præmittebant, dicerent eſſe credendi voluntatem, & fidei quoddam initium; Catholici, quod erat peruium, obiecerunt, credendi voluntatem illam & initium fidei ſupponere antecedentem quandam ex Dei prouidentiâ diſcretionem, quâ fiat, vt vno tempore potiùs, quam alio, & vni nationi potiùs quàm alteri Euangelium proponatur. Illi ergo, cùm neque facilè inuenirent meritum quoddam prædicatione illa prius: neque tamen fateri vellent diſcretionem vocandorum à non vocandis arbitrariam eſſe Deo, ſcientiâ rerum conditionatâ ſunt abuſi, cùm dicerent, æqualem eſſe Dei quoad hoc erga omnes voluntatem. Quæ quod effectu careat in ijs qui non vocantur, cauſa eſt vocationis inutilitas ex futurâ conditionatè ipſorum obſtinatione præſcitâ: Neque enim debuiſſe Deum inania obſtinatis beneficia conferre; neque illos aliò poſſe illius priuationis cauſam referre, quam in ſuam conditionatè futuram, & conditionatè præſcitam indurationem. Conſtat hoc ex epiſtolâ Proſperi ad Auguſtinum, dum eorum » doctrinam ita refert, Præuiſos, inquiunt, à Domino cre» dituros, & ad vnamquamquam gentem ita diſpenſata » tempora, ac miniſteria magiſtrorum, vt exoritura erat » bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud » quod Deus velit omnes homines ſaluos fieri & in agnitio» nem veritatis venire: quandoquidem inexcuſabiles ſunt, » qui & ad vnum veri Dei cultum potuerint inſtrui intelli» gentiâ naturali, & Euangelium ideò non audierint, quia » nec fuerant credituri. *Subdit*, Pertinere ad omnes homi» nes diuinæ miſericordiæ Sacramentum, quo ideo pluri» mi non renouentur, quia quod nec renouari vtile ha» beant prænoſcantur. Conſtat nimirum cæteris antecedenter & abſolutè paribus, huic occurrere præconem

Euangelij, & Ministrum baptismi, non autem illi: cuius rei causam si quæras à Semipelagiano, nihil habet quod dicat, nisi, esto non sit præscitus conditionate crediturus omnis cui occurrit; omnem tamen cui non occurrit esse præscitum conditionatè, non crediturum: & eam esse causam cur Deus nolle potuerit vt occurreret, cùm occurrere vellet omni conditionatè credituro. Constat idipsum ex Epistola Hilarij, quæ sic habet. Consentiunt „ omnem hominem in Adam perijsse, nec indè quemquam „ posse proprio arbitrio liberari: sed id conueniens veritati „ vel congruum prædicationi, vt cùm prostratis & nun- „ quam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salu- „ tis occasio; eo merito quo voluerint & crediderint à suo „ merito se posse sanari; & ipsius fidei augmentum, & to- „ tius sanitatis consequantur effectum. En tibi primum piæ „ credulitatis & inchoatæ fidei meritum, supposità prædicatione, quod vbi fusius explicuit Hilarius, obiectionem Catholicorum subijcit. Cum autem dicitur eis, quare „ alijs vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur: vel nunc „ prædicetur, quod aliquando penè omnibus sicut nunc aliquibus gẽtibus, non prædicabatur. Hic deficit præuia illa „ credendi voluntas, & desiderium sanitatis conceptum ex metu supplicij, de quo paulò antè. Hæc enim ante auditam prædicationem esse non possunt, hoc est, deficit aliquid, quod sit absolutè præscitum, & cuius merito tribuatur Euangelij prædicatio, sicut tribuitur augmentum fidei: & ideò recurritur ad rationem conditionatè præscitam: ita enim respondent Semipelagiani; Dicunt id „ præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore & ibi & illis veri- „ tas annuntiaretur, quando & vbi prænuntiabatur esse „ credenda. Ex quibus constat euidenter illis absoluta merita obtrudentibus, ea fuisse à Catholicis obiecta, quibus respondere non possent, nisi fugerent ad conditionata, & consequenter conditionatorum præscientiâ vsos, tunc tantùm cùm deesset absolutorum. Si enim, cùm dicerent præscientiam inchoatæ fidei, augmentum illius obtinere, conditionatam intelligerent præscientiam; nunquid frustra illis obijceretur discrimen eorum, quorum alijs præ-

dicatur Euangelium, alijs non prædicatur? Quis adeò fuerit hebes, vt cùm eorum qui credunt vel non credunt præſcientiam tantùm conditionatam ſupponerent, cuius beneficio gratia concederetur ad fidem augendam; dubitauerit ſimilem illos præſcientiam adhibituros in ijs, quorum alij vocantur, alij non vocantur? An fuit difficilius intelligere conditionatè præſcitum, quid iſti eſſent acturi, quàm quod illi? Ecquis non videt neceſſitatem hic paſſos Semipelagianos, quam ibi non patiebantur, recurrendi ad ſcientiam conditionatam; ac proinde ad eam tantum recurriſſe cum abſoluta non iuuaret.

Et inchoari fidem ſine gratia, & conſummari finaliter putant Semipelagiani.

LXVI. Atque hinc colligitur primo, quæ fuerit Semipelagianorum ſententia illa quam Proſper his verbis repræſentat. „ Qui autem credituri ſunt, quique in ea fide, „ quæ deinceps per Dei gratiam iuuanda manſuri ſunt, „ præſciſſe antè mundi conſtitutionem Deum: & eos præ„ deſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos, „ futuros electione, ac de hac vitâ bono fine exceſſuros eſſe præuiderit. Vbi cùm dicit, *in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam iuuanda eſt*, ſignificat non agnouiſſe illos gratiam, qua excitarentur fidei primordia, ſed qua ſolùm incrementa iuuarentur: vel ſi erat etiam ad initium fidei neceſſaria dicenda quædam gratia; fuiſſe illam gratiam creationis, quæ ſufficiat ad *petendum, quærendum, pulſandum*, quo poſſit deinde quilibet admitti ad *ſaluantem Chriſti gratiam*, vt poſtea idem refert. Similiter cùm dicit *quique in ea fide manſuri*, intelligit manſuros ſiue perſeueraturos, ſine alio ſpeciali beneficio, quàm illo quod neceſſarium fuit, vt ad eum ſtatum perueniretur. Hoc enim „ patet ex eo quod dicit Hilarius ad Auguſtinum. Quod „ autem dicit ſanctitas tua, neminem perſeuerare niſi per„ ſeuerandi virtute percepta; hactenus accipiunt, vt quibus „ datur inerti licet, præcedenti proprio arbitrio tribuatur. Et in eum etiam ſenſum id accepit Auguſtinus in libro de bono perſeuer. vbi Semipelagianos ita loquentes inducit: „ Sed hæc, inquiunt, vt à Deo dentur nobis, fides impe„ trat, quæ incipit à nobis; quam fidem & incipere habere „ & in eam vſque in finem perſeuerare, tanquam id non à

Domino accipiamus noſtrũ eſſe contendunt. Quibus patet fuiſſe hanc Semipelagianorum ſententiam ſuppoſita diuinæ doctrinæ prædicatione, præſciuiſſe Deum abſolutè, quinam eſſent propria virtute ac ſine alio interno gratiæ dono credituri: & illius credulitatis merito ita præſcito motum eſſe vt daret gratiam ad eius fidei augmentum & ad vitæ ſanctitatem neceſſariam: quâ ſemel acquiſitâ ſimiliter præſciuiſſe abſolutè, quinam eſſent in eo ſtatu, ſine alio ſpeciali beneficio, ſed ipſius tantùm liberi arbitrij bono vſu perſeueraturi: & illa perſeuerantiæ præſcientia ſimiliter motum, vt gloriam illis decerneret; atque ita & prædeſtinationem ad gratiam poſteriorem eſſe abſoluta præſcientia incipientis fidei, & prædeſtinationem ad gloriam præſcientia eiuſdem fidei vſque ad finem ſine ſpeciali gratia perſeuerantis. Et quia ſtatim obijciebantur paruuli, coniecti ſunt in eam abſurditatem, vt dicerent ex præſcientia meritorum conditionatorum diſcretos. Similiter cum obijceretur diſcrimen eorum, quibus proponitur Euangelium; finxiſſe præſcitam conditionatè omnium, quibus non proponitur, futuram obſtinationem.

LXVII. Vnde colligitur ſecundo quæ ſit Auguſtini mens, dum præſcientiam quæ à Semipelagianis præponebatur prædeſtinationi eidem poſtponit. Concedit enim Auguſtinus præſcitos eſſe credituros: ſed ſimul probat non fuiſſe præſcitos ex propriis viribus credituros: ac proinde cum fidem præſciuit Deus, donum ſuum præſciuiſſe: & quia præſcire non potuit donum ſuum futurum, niſi eſſet donandi voluntas, quæ prædeſtinatio quædam eſt, priuſquam ita præſciretur fides, eſſe prædeſtinatam: hoc eſt, priuſquam præſciretur abſolutè futura fides, conceptam à Deo voluntatem dandi gratiam eliciendæ fidei neceſſariam. Hæc enim fidei prædeſtinatio Auguſtino, nihil aliud eſt, quam gratiæ præparatio. Similiter fatetur præſcitam abſolutè in fide ac ſanctitate perſeuerantiam electorum, ſed ſimul probat non fuiſſe præſcitam ſine ſpeciali beneficio, quo non ſolùm vocati ſunt ad fidem & ſanctitatem; ſed inſuper in eo rerum

Auguſtinus in contrarium, Nec fidei, nec perſeuerātiæ præſcientiam eſſe ſine prædeſtinatione, ſeu gratiæ præparatione.

ordine dispositi, quò status ille sanctitatis cum morte concurreret. Cum ergo hunc finem præsciuit Deus, suum præsciuisse beneficium: neque tamen illud potuisse præscire, nisi esset benefaciendi voluntas. Ergo posteriorem esse hac voluntate, quæ ipsa quoque prædestinatio dici debet, perseuerantiæ præscientiam. Atque ita vtramque illam præscientiam incipientis nimirum & perseuerantis fidei, quam Semipelagiani rebantur esse priorem prædestinatione, reuera illa posteriorem esse. Hunc esse Augustini discursum constat ex totis libris de prædestinatione sanctorum, ac de bono perseuerantiæ, vt frustra sit vnum aliquem locum referre, cùm tam multa inibi occurrant. Sufficiat vel ipsa conclusio cap. 17. de bono perseuer.; quæ sic habet. Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis secundùm Dei propositum vocatis, in quibus donis est, & incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseuerare, sicut tanta rationum, atque auctoritatum contestatione probauimus; hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. Quid enim magis connexum, quàm vbi supposueris gratiæ præparationem vocandam esse prædestinationem, id quod Augustinus sæpè repetit: & simul etiam probaueris, neque initium fidei, neque illius perseuerantiam sine speciali gratia obtineri posse, quod Augustinus quoque probauit; concludere, neque ineuntem fidem, nec perseuerantem esse præscitam, si prædestinata non sit? Præsciri enim non potest, si non est futura; futura verò esse nequit, si necessaria gratia non est præparata: præparatam autem esse gratiam ad credendum est fidem esse prædestinatam: Ergo à primo ad vltimum, si non est prædestinatio fidei, non est eius præscientia: & si est eius præscientia est & prædestinatio. Quod verissimum est de præscientia, vt dixi, absoluta. Nam ad conditionatam non magis requiritur vt sit prædestinatio fidei iam; quàm vt sit iam voluntas & intellectus illius, cuius fides conditionatè præscitur: & sicut satis

Vide cap 9 10. 17. 18. 19 de præd SS. & de bono perf. cap. 17. 18. 19 21.

satis est ad illam præscientiam, vt intellectus & voluntas crediturí conditionatè, inuoluatur in hypothesi, ex qua præscitur sequutura fides, vt pendens ex Dei libertate, cuius est ponere illam, aut non ponere, cùm dicimus, si Deus produceret talem hominem cum illa facultate intelligendi ac volendi in talibus circumstantiis, sequeretur fides; ita satis est si in eadem hypothesi inuoluatur, vt eodem modo pendens ex Dei libertate prædestinatio illa fidei, quæ nihil aliud est, quàm gratiæ præparatio, dicamusque; si Deus daret gratiam tali homini ad credendum necessariam, ille crederet.

LXVIII. Atque ex illa connexione ac sequela absolutæ præscientiæ ex prædestinatione, factum putat Augustinus, vt nonnunquam præscientia pro prædestinatione sumatur, vt cum dicitur, *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. Nam hoc, quod ait, præsciuit non rectè intelligitur*, inquit Augustinus, *nisi prædestinauit.* Quam præscientiam & prædestinationem, si quis putet esse conditionatam, sub altissimo sole cæcutire illum necesse est; quod palam fit, Augustinum præscientiam hanc & prædestinationem confundere cum absoluta saluandorum electione, quam Apostolus vocat, *electionem gratiæ*. Ita enim Augustinus. In hac ergo electione & in his reliquiis, „ quæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia „ præsciuit. Hæc est illa electio, quâ eos, quos voluit, elegit in Christo antè constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. „

Ibid. cap. 17. 18.

Hoc autem erat totius disputationis caput, Augustinum inter & Semipelagianos. Nam quòd illi addebant de præscitis conditionatè morientium paruulorum meritis; Augustinus tametsi refutat, despiciendum tamen magis, quam refutandum putat his verbis, Quamquam vt „ dixi, hanc opinionem, quâ putantur in morientibus vel „ mortuis vindicari peccata, quæ præsciti sunt facturi esse si „ viuerent; etiam refellere pudeat, ne videamur & nos existimasse alicuius esse momenti, quam maluimus disputa- „

De bono perseu. c. 10. De meritis códitionatis con-

sequenter tantum disputatum. „ tione cohibere, quam silentio præterire. Conditionatam etiam præscientiam crediturorum & non crediturorum esse causam cur vnis proponatur Euangelium, aliis non proponatur, exemplo Tyriorum refellit, qui & præsciti sunt conditionatè credituri, & tamen non sunt vocati.

Ibid. cap. 9. *Hæc certè*, inquit, *de Tyro & Sidone non possunt dici*. Et quia vtraque illa instantia proposita erat Semipelagianis dicentibus, absolutam præscientiam alicuius meriti nostri causam esse gratiæ; refutatâ etiam vtrâque illorum responsione, inconcussa manet, quæ contra illos erat principalis conclusio, absolutam meriti nostri præscientiam nullam esse, quæ non supponat absolutam gratiæ ad illud necessariæ præparationem, hoc est, prædestinationem.

Aduersarij confundũt absolutam apud Augustinum præscientiam cum conditionata.

LXIX. Vnde colligas tertio perpetuâ quadam illusione Aduersarios falli, dum & id quod Semipelagiani passim dicunt de præscientia meritorum, indistinctè interpretantur, de præscientiâ conditionatâ, quæ sit apud illos scientia media, propterea quod ex nullâ prædefinitione sequatur: & quidquid Augustinus in eos contorquet, vt ostendat, nullam esse huiusmodi præscientiam, quæ non sit ex prædestinatione connexa, similiter interpretantur quasi dictum sit ad excludendam scientiam conditionatam à præsenti diuinæ voluntatis decreto independentem: hoc est, ad excludendam scientiam mediam. Hanc verò hallucinationem cernere est in Doctore Collegij Salmanticensis, qui contendit Augustino propositam à Prospero ex sententia Semipelagianorum quæstionem hanc, quam modo discutimus: & postquam repræsentauit locum in quo sit illa propositio, subdit: Vbi, vt vides, expresse sanctus Prosper hanc eandem quæstionem, quam modo discutimus proponit D. Augustino explicandam: an nimirum, propositum seu decretum diuinum & efficax præeat, & sit aliquo modo ratio sciendi futura illa conditionata, ita quod infallibilitas præscientiæ innitatur prædicto proposito seu decreto? An verò contra infallibilitas diuini decreti habeat inniti alicui præscientiæ, quæ ipsum antecedat. Sed vt pateat quàm sit hæc interpretatio à Prosperi mente aliena, subijcienda sunt eius

Tr. 3. disp. 10. dub. 2. §. 3. n. 42.

verba quibus Augustinum interrogat in hunc modum.
Vtrum præscientia Dei ita secundum propositum ma- „
neat, vt ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præ- „
scita? An per genera causarum & species personarum ista „
varientur, vt quia diuersæ sunt vocationes, in ijs qui ni- „
hil operaturi saluantur, quasi solum Dei propositum vi- „
deatur existere: in ijs autem qui aliquid boni acturi sunt „
per præscientiam possit stare propositum? An verò vni- „
formiter licet diuidi præscientia à proposito temporali „
distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordi- „
ne sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcumque „
negotiorum quod non scientia diuina præuenerit; ita „
nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo „
auctore defluxerit? „

LXX. Hìc, inquit Doctor Collegij Salmanticensis, S. Prosper *expressè* proponit hanc quæstionem, *An decretum efficax præeat & sit ratio sciendi futura conditionata?* Ego verò non dubito, quin prudens Lector mecum sit facilè iudicaturus, hunc Auctorem videre ea quæ non sunt. Quid enim, amabo, reperitur in omnibus illis Prosperi verbis, quo *exprimatur* illa quæstio, *an decretum efficax sit ratio sciendi futura conditionata?* An ést vllus apex in tota illa Prosperi oratione, quo vel scientia conditionata, vel futurum conditionatum *exprimatur?* Liquet hoc, inquit, ex illis verbis, *Vtrum per præscientiam possit stare propositum.* Atqui ego ex illis maximè contendo liquere contrarium, & illam præscientiam minimè conditionatam esse, sed absolutam. Est enim accipiendum integrum illud quæstionis membrum, An per genera causarum & species „
personarum ista varientur, vt quia diuersæ sunt vocatio- „
nes; in ijs qui nihil operaturi saluantur, quasi solum Dei „
propositum videatur existere: in ijs autem qui aliquid bo- „
ni acturi sunt per præscientiam possit stare propositum? „
Vbi manifestum est paruulos in eo distingui ab adultis, quòd in paruulis, videatur esse solùm propositum sine præscientia; in adultis, propositum stet per præscientiam. Loquitur ergo euidenter de præscientia quæ non pertinet ad paruulos, vt possit propositum salutis illorum

Propositũ apud Augustinũ ad electos tantum spectat: ac proinde ad futura tantum absolutè.

fulcire, pertinet autem ad adultos. Quænam verò est alia præscientia, quæ non pertineat ad paruulos, & pertineat ad adultos, nisi absoluta? Ergo illam potissimum hic intelligit. Et valdè miror hunc Theologum, qui tam diligenter intuitus est faciem Augustini & Prosperi, *propositum* de quo hic est sermo ita interpretari, vt etiam complectatur decretum scientiæ conditionatæ præuium: cum necesse sit in Augustini doctrina atque etiam Prosperi peregrinari, qui nescit illam vocem in hisce disputationibus ex vsu horum Auctorum ad solos saluandos pertinere: cum decretum scientiæ conditionatæ præuium, si sit vllum, pertineat etiam ad reprobos. Appono Prosperi verba, quæ superioribus subnectuntur; dum explicandum
„ proponit Augustino; Quemadmodum per hanc prædi-
„ cationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordi-
„ nati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohor-
„ tandi sunt, impediatur, &c. Appono & Augustini, ex libro de corrept. & gratia, cuius occasione turbatum
„ est à Semipelagianis. Ita enim loquitur. Eos itaque vult in-
„ telligi, vocatos quos, secundum propositum vocauit, ne
„ putentur in ijs esse aliqui vocati & non electi. Quicumque
„ enim electi sine dubio etiam vocati, non autem, quicun-
„ que vocati consequenter electi. Illi ergo electi, vt sæpe
„ dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam
„ prædestinati atque præsciti. Horum si quisquam perit,
„ fallitur Deus, &c. *Iterum.* Nec nos moueat quod filijs
„ suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam. Absit
„ enim vt ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secun-
Cap. 13 „ dùm propositum vocatis qui verè sunt filij promissionis.
Cap. 8. „ *Iterum*, Ipsi autem, vocati dici possunt non autem electi,
„ quia non secundùm propositum vocati. Idem in libro de bono perseuerantiæ, vbi illud. *Non erant ex nobis*, in eos dictum putatur, *qui non sunt prædestinati secundùm propositum eius qui vniuersa operatur.* Eadem habet in libro de prædestinatione SS. cap. 16. 17. 18. & alibi passim, vt sit manifestum *propositum* hoc ad reprobos spectare non posse: atqui spectabit, si quidem *sit* propositum conditionatè iustificandi & saluandi; poteruntque vel ipsi Tyrij

ad mentem Augustini censeri *prædestinati secundùm propositum*, si quidem ad illam quæ creditur fuisse futura ex hypothesi eorum pœnitentiam, *propositum* pertinet de quo loquitur Augustinus; nec aliud restabit quàm vt dicantur etiam filij promissionis.

LXXI. Est igitur Colligenda mens Prosperi ex anteà dictis, cùm enim Augustino narrasset, Massilienses docere absolutam inchoatæ fidei præscientiam præmittendam esse proposito dandi gratiam: & absolutam eiusdem fidei ac gratiæ vsque in finem perseuerantis sine alio speciali beneficio præscientiam, præmittendam esse proposito dandi gloriam; in paruulis verò, qui subesse non possunt absolutæ præscientiæ alicuius meriti, ad præscientiam conditionatam recurrendum; trimembrem proponit quæstionem: cuius prima pars est, An propositum & præscientia ita se habeant, vt in vniuersum alicuius meriti præscientia præcedat propositum, & illa ipsa fides incipiens atque ad finem vsque perseuerans, quam propositam Catholici dicerent in præparatione gratiæ, præscita potius esset dicenda independenter ab eadem gratia? Hic est sensus prioris membri propositæ quæstionis, quod sic habet. *Tum vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, vt ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita?* Altera pars quæstionis est, An sit vtendum distinctione; & quando constat de paruulis nihil potuisse præsciri, nisi quod ineptum est atque inutile ad exhibendum absoluti propositi motiuum; dicendum sit, quod ad paruulos quidem spectat, propositum iustificandi atque saluandi ex nulla meritorum præscientia sequi: in adultis verò de quibus videatur haberi posse idonea fundando proposito meritorum præscientia, nimirum absoluta; sentiendum reipsa sequi ex tali præscientia propositum: & semper intelligit præscientiam meritorum à gratia independentium. Hic est sensus alterius membri, quod sic habet.

Triplex quæstio Augustino proposita à Prospero & Hilario eiusque solutio.

An per genera causarum & species personarum ista varientur, & quia diuersæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi saluantur, quasi solum propositum videatur existere: in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per

spero, *solum existere*: in adultis verò esse illius præscientiæ causam; quæ est responsio ad tertium interrogationis membrum, eaque affirmatiua. Nihil hîc igitur pro decreto scientiæ conditionatorum præuio.

LXXII. Atque hinc constat, nec P. Ioannem à Sancto Thoma Prosperi mentem assequutum, cum dicit, Quæstionem hanc de Scientia Media in terminis esse ab eo propositam, An scilicet decretum non stet nec infallibiliter operetur, nisi supponendo præscientiam de his quæ futura sunt; an verò ipsa præscientia sit innixa proposito; ita quòd ratione decreti seu propositi sciat Deus, quid vnusquisque facturus sit, & in quolibet ordine rerum quid contingat. Constat, in quam, hos *terminos* nusquam esse, præter quam in opinione Aduersariorum, ac bona voluntate; ipsosque conditionatam accipere præscientiam, vbi absoluta designatur. Et ideo consequenter etiam falluntur, dum ea quæ dicit Augustinus de necessitate prædestinationis ad præscientiam, de quâ interrogatur à Prospero, de conditionata dictum putant. Disp. 20. q. 13. art. 3. p. 638. " " " " " " "

LXXIII. Nec quidquam vrgent quæ P. Ioannes à Sancto Thomâ in eum finem adducit: v. g. falsum fore, quod dicit Augustinus, Deum promisisse fidem spiritualium Abrahæ filiorum non *de sua præscientia, sed de suâ prædestinatione*, vt loquitur in libro de prædestin. SS. Certum enim est, Augustinum intelligere ibi fidem absolutè futuram, conditionatam enim non promisit Deus; nec aliud velle, quàm Deum non ita illam promisisse, quo modo promittit Astrologus futuram Eclipsim, quam de suâ præscientiâ tantùm promittit, cùm eius, causa penes ipsum non sit: Deus autem qui fidei causam apud se habet, gratiam scilicet, non potest illam promittere nisi de talis causæ præparatione, hoc autem est de suâ prædestinatione illam promittere. Loco cit. pag. 640. Cap. 10. Fidem futuramque modo promittat Deus.

Et inane est, quod hic Auctor objicit, si absque prædestinatione præsenti præsciret Deus fidem conditionatè futuram, non promissurum illam de suâ prædestinatione contra Augustinum. Hoc inquam, inane est. Quia Deus non potest illam promittere nisi de eo de quo scit Non promittit Deus fidem de sua tantum præscientia.

poterat illud, Deum à credituris hominibus & absolutè & conditionatè eligendum, non homines à Deo. Nobis verò quid illud obest, qui, cùm asseramus neque futuram absolutè fidem sine præparatione gratiæ, quæ iam sit; neque futuram conditionatè sine præparatione, quæ foret: consequenter fatemur, Et futuram absolutè hominum fidem ex electione, quæ iam est; & futuram conditionatè ex electione, quæ foret: atque ita vel electos esse vel eligendos crédituros omnes, eo modo quo credituri sunt. Nam quod insuper requirit ad mentem Augustini, vt fateamur esse aliquod auxilium ad liberam credendi voluntatem, quod sit *infallibile atque infrustrabile*, independenter à consensu nostræ voluntatis etiam sub conditione præuiso; fatebimur esse illud ad mentem Augustini, quando nobis ostensum fuerit non esse contra mentem Tridentini.

Sess 6. can. 4.

LXXVI. Denique, Quod dicit hic Auctor, Augustinum reducere omnia ad Dei voluntatem, & tradere generalem regulam; Quod nullum Dei donum seu quod ipso donante sit faciendum, præscitur à Deo vt futurum, nisi sit prædestinatum: Quod nesciat se illa daturum nisi prædestinet, Quod quoties apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam & agitur de vocatione Electorum, debemus in præscientia prædestinationem includere, Eandem habet expositionem: Nempe Augustinum agere de absolutâ futurorum præscientiâ, de quâ etiam potissimùm Semipelagiani disputabant: neque aliud velle quàm vt credatur præcedere illam absoluta gratiæ præparatio, quam iidem negabant, vt perspicuum est ex ijs, quæ antea diximus. Neque aliud ex inde sequi contra Scientiam Mediam, quam Deum non posse præscire bonum vllum conditionatè futurum, quin præsciat sequuturum ex conditione præparationis gratiæ; esseque hanc præparationem necessariam ad præscientiam omnis boni futuri: sed alio & aliomodo, pro vt illud alio atque alio modo futurum est.

ib. p. 642. 643.

Nullum Dei donũ absolutè futurum sine prædestinatione quæ sit: nullum futurum conditionatè sine prædestinatione quæ foret.

Et quod vrget, ex eo quòd conditionatè futurum, fieri possit futurum absolutè, *sola*, vt loquitur, *conditionis puri-*

ficatione; sequi, si præsciatur aliquod bonum conditionatè futurum, sine prædestinatione, quæ iam sit, præsciri etiam posse sine illâ futurum absolutè, contra quàm Augustinus censeat: hoc, inquam, nihil eum iuuat. Quia, cum conditio, quæ dicitur *purificanda*, sit conditio gratiæ ad bonum futurum necessariæ; *purificari* conditionem nihil est aliud, quam absolutè decerni gratiam illam, quod est absolutè illam præparari. Ergo implicat esse conditionis *purificationem*, & non esse absolutam gratiæ præparationem, quam solam prædestinationem Augustinus requirit.

Ibid. pag. 642.

Argumentũ conuincens Aduersariorum iudicio.

LXXVII. Atque ita soluitur argumentum, quod iste Auctor dicit esse *suo videri conuincens*, nostro autem, vti apud illum iacet, informe est, ex incompositis & malè cohærentibus membris coagmentatum. Ita enim habet. » Quidquid Deus se daturum præsciuit, etiam prædestina- » uit, Id est, priùs decreuit. Si autem non prædestinauit, » nec datur à Deo, nec se daturum esse sciuit. Sed ea quæ » per Scientiam Mediam Deus cognoscit sunt danda à » Deo, si non sint peccata, aut permittenda si sint pecca- » ta: Ergo si ea cognoscit sub conditione, cognoscit se ea » daturum posita illa conditione: Ergo & prædestinat de- » creto suo; aut illa nescit: Maior est Augustini. Minor » constat apud omnes. Amabo te, Amice Lector, nam tuum etiam *videri* rogare lubet, hæccine species est argumenti *conuincentis?* Sed concinnemus illud & reducamus in formam legitimam; Ita erit dicendum. Quidquid Deus se daturum præsciuit, etiam prædestinauit: sed præsciuit se daturum futuram ex hypothesi Tyriorum. v. g. pœnitentiam. Ergo illam prædestinauit. Maior Augustini sit, Minor an *constat apud omnes?* An apud ipsum etiam Augustinum, qui tam disertè negat, *datum esse Tyrijs vt crederent, & vndè crederent?* An dicetur Deus se id daturum præsciuisse, quod præsciuit se negaturum? Præsciuit, inquit, Deus se negaturum absolutè; se autem daturum conditionatè. Ergo, vt ijdem sint in eo syllogismo termini debebit illud *conditionatè* includi etiam in maiori propositione, quæ ita concipienda erit. Quidquid Deus

se daturum præsciuit, siue absolutè, siue conditionatè, & prædestinauit. Iam verò maior illa est Augustini? Vbi eam scripsit Augustinus? Et quis dubitat, quin, vti simpliciter atque absolutè dicendum est in doctrina Augustini, Deum præsciuisse negaturum se Tyrijs vt crederent, & vnde crederent; Ita simpliciter atque absolutè sit dicendum, Deum non præsciuisse daturum se illis vt crederent & vndè crederent: & consequenter dum dicit, *Quidquid Deus se daturum præsciuit*, de absolutorum præscientia, non de conditionatorum intelligendum? Est verò illud etiam manifestum ex vltima illa regula, quam colligit ex Augustino, cum audimus *præscientiam*, apud tractatores diuini verbi, esse interpretandam *prædestinationem*, quam limitat Augustinus in hunc modum, *Et agitur de vocatione electorum.* Cur enim ita limitat, nisi quia quæcunque de illis præsciri possunt, vocatio, gratia, consensus, merita, perseuerantia, & ipsa demum gloria sunt absolutè futura, ideoque absolutè præsciri possunt? In reprobis autem ea omnia conditionatè tantùm futura sunt. Quod si ad ea quæ sunt etiam conditionatè futura, requireretur prædestinatio; quis non videt, id quod Augustinus ad electorum vocationem restringit, ad Tyrios pertinere, aliosque reprobos? Atque hîc iterum interrogo, Amice Lector, *tuum videri*, an non conuincat Augustini limitatio illa, vt dicamus, ex illius mente præsentem prædestinationem requiri tantùm ad eam bonorum præscientiam, quæ absoluta est.

LXXVIII. Finio Sectionem hanc monendo eadem licentiâ interpretatum esse Auctorem hunc, id quod dixerat Faustus Rhegiensis de absoluta præscientia, quasi dictum esset de conditionata: dum probat Prosperum & Hilarium proposuisse Augustino scientiam mediam, tanquam idoneam rationem conciliandi libertatem cum diuina prouidentia, iudicio Massiliensium; ex illa voce Fausti, qui quamuis posteriùs vixerit, suorum tamen prædecessorum doctrinam potuit repræsentare. Est autem illa vox, *Nisi præscientia explorauerit, prædestinatio nihil decernit.* Quam vocem P. Ioannes à S. Thoma de scientia media

Ibid. pag. 636.

Faustus Rhegiensis de conditionata præscientia perperam intellectus.

dictam sumit. Ego verò intercedo, ac peto, quo-nam id iure audeat? cùm neque in eo loco, neque ante, neque deinde sit vllum verbum vel de scientia, vel de futuris sub conditione?

§. III.

Tertia Propositio.

LXXIX. SEmipelagiani credidere destrui libertatem ipsa necessitate diuinæ gratiæ, quocunque tandem modo illa diceretur efficax: & ideo contra necessitatem pugnauere pro tuenda libertate, non contra certum efficaciæ modum; quamuis etiam inde impellerentur ad negandam necessitatem.

Probatur primò ex Prospero dum refert, & quid illi noxium crederent libertati in doctrina S. Augustini; & quid de sua reponerent. Dicit ergo *Propositum electionis*, „ quale ab Augustino tradi ferebatur; lapsis curam resur- „ gendi adimere, & occasionem teporis afferre, eò quòd „ in vtramque partem superfluus sit labor, si neque reie- „ ctus vllâ industriâ possit intrare, neque electus vllâ negli- „ gentiâ possit excidere..... Remoueri itaque omnem indu- „ striam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præ- „ ueniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine „ fatalem quandam induci necessitatem. Vbi vides hoc illis videri *fatale*, quòd diuina constitutio præueniat humanas voluntates. Quomodo autem nolint præuenire seu quomodo velint ea conciliari, mox explicat idem Pro- „ sper cùm dicit, Propositum autem vocantis gratiæ in hoc „ omnino definiunt; quòd Deus constituerit nullum in re- „ gnum suum nisi per sacramentum regenerationis assume- „ re, & ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter, „ siue per naturalem siue per scriptam legem, siue per „ Euangelij prædicationem vocari; vt & inexcusabiles sint, „ qui fideles esse noluerint: quia iustitia Dei in eo sit, vt qui „ non crediderint, pereant: bonitas in eo appareat, si „ neminem repellat à vita, sed indifferenter vniuersos velit

Semipelagiani nolunt Dei cõstitutione præueniri hominum voluntates.

saluos fieri & in agnitionem veritatis venire. Iam hîc proferunt testimonia, quibus diuinarum scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates: qui ex libero arbitrio aut faciant, quæ iubentur, aut negligant; & consequens putant, vt quia præuaricator ideo dicitur non obedisse quia noluit; fidelis quoq; ob hoc non dubitetur fidelis fuisse, quia voluit: ET QVANTVM QVISQVE AD MALVM, TANTVM HABEAT FACVLTATIS AD BONVM, PARIQVE MOMENTO ANIMVM SE VEL AD VITIA VEL AD VIRTVTEM MOVERE, quem bona appetentẽ Dei gratia foueat, mala sectantẽ damnatiõ iusta suscipiat. Vbi vides eo illos excludere fatalem, quam timebant, necessitatem; quod cùm Deus *vniuersaliter omnes homines*, vocauerit & *indifferenter* vniuersos voluerit saluos, ipsi homines deinde vt concipiant voluntatem acceptandi salutem oblatam, nullo egeant Dei auxilio; non magis quàm nullo egent vt concipiant voluntatem illam gratiam respuendi. Hoc enim est *tantum esse facultatis ad bonum, quantum ad malum.* Per hoc igitur libertati consulunt, quod suppositâ prædicatione liberum arbitrium sit per se ac secluso Dei adiutorio potens ad salutis voluntatem, quam postea diuina gratia ita consequatur, sicut damnatio sequitur eiusdem salutis nolitionem. Vnde fit, eos, cùm hoc requirerent ad tuendam libertatem: censuisse destruendam illam, opposita necessitate auxilij præuenientis & eleuantis voluntatem.

Contendunt parem esse hominis facultatem ad bonum saltem inchoãdum & ad malum.

LXXX. Confirmatur ex eo quod deinde subiungit idem Prosper, credere illos Ita demum posse vnumquemque ad correctionem & ad profectum vocari, si se sciat SVA DILIGENTIA BONVM ESSE POSSE, & libertatem suam ad hoc Dei auxilio iuuandam, SI QVOD DEVS IVBET ELEGERIT. Ac sic..... Priorem obedientiam esse quàm gratiam, & initium salutis ex eo qui saluatur, non ex eo credendum stare qui saluat: voluntatem hominis diuinæ gratiæ opem parare, non gratiam subijcere sibi voluntatem.

Propriam diligentiam & obedientiam priorem gratia sibi arrogant sin secus destitui libertatem.

Putabant illi, id quod verum est, eadem ratione quâ libertas excluditur, excludi & correctionem, & vice

versa eadem qua fit, vt tempestiua possit esse correctio; fieri, vt seruetur libertas. Ergo cum necessarium putarent ad hoc vt sit correctioni locus, vnumquemque scire, *sua se diligentia bonum esse posse, atque eligere quod Deus iusserit*; & hanc diligentiam seu electionem aut obedientiam *esse priorem gratia*; quid aliud sequitur, quàm credidisse illos, si non posset esse independenter à gratia praeueniente atque adiuuante, electiua illa obediendi voluntas; non fore locum correctioni: atque adeò nec libertati?

Epist. ad Aug. Opus curationis ex gratia quidem esse: sed sanitatis desiderium non pertinere ad opus curationis: atque ad hoc si non sufficiat libertas, nullam esse.

Probatur secundò idipsum ex Hilario, qui refert Semipelagianos dicentes, „Excludi omnem praedicandi vigorem, si nihil quod per ipsum excitetur, remansisse dicatur in hominibus, esseque inutilem illam exhortandi consuetudinem. *Quod quo sensu dictum sit, mox explicat, cum dicit*, Esse congruum praedicationi, vt cùm prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendae salutis occasio, eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis consequantur effectum.“ Nempe ad fidem, quâ quis credit se posse sanari, & ad desiderium, quo cupit sanari, & quaerit medicum, sufficere sibi putabant liberum arbitrium; adeò vt aliud requirerent nihil, quàm excitationem externae praedicationis: quod si negaretur, *excludi vigorem praedicationis, ac inutilem esse cohortandi consuetudinem*, persuasione libertatis extinctae: egere quidem liberum arbitrium, diuinâ gratiâ, & ad initium & ad progressum curationis; sed *aegrotum velle sanari non pertinere ad opus curationis, exigi ergo credendi voluntatem*, ab homine lapso, quippe cuius integram retinuerit facultatem, & eius merito salutem offerri, quae penderet ex gratia & fauore medici: *neque negari hanc gratiam si praecedere dicatur voluntas, quae medicum quaerat: de hac fide*, quâ quis vult & credit se posse sanari, *non posse dici, quid habes, quod non accepisti?* esse nimirum illam in plenâ liberi arbitrij potestate, *Ad hoc enim esse liberum arbitrium, vt velit vel nolit admittere medicinam*, voluntate gratiam praeueniente, quasi si hoc non possit liberum ampliùs non sit, & ideo exclu-

datur prædicatio & exhortandi consuetudo sit inutilis. Ex quibus manifestum est, non quæsiisse Massilienses attemperationem diuinæ gratiæ, aut suauem efficaciæ modum, vt libertatem tuerentur; sed ad hoc necessariam putauisse independentiam tum fidei, quâ quis credit se posse sanari; tum voluntatis, quâ quærit medicum.

Probatur tertiò ex Augustino, qui eodem omnino sensu accipit, quod Prosper atque Hilarius retulerant, vt constat ex cap. 12. de prædestinatione SS. cum dicit Semipelagianos, *nisi aliquid sibi assignent*, QVOD PRIORES DENT, *vt retribuatur eis; ab omni studio pietatis reprimi se putare*. Quare enim hoc putabant, nisi quia non videbantur sibi liberi, nisi aliquid possent soli ac sine gratia? Idem constat ex Augustino.

LXXXI. Et hoc probatur quartò. Quia, vt antea dictum est & Aduersarij non diffitentur, eodem modo Philosophabantur Semipelagiani de hac fide ac voluntate quærendi medicum, quo Pelagiani vel de tota curatione, vel de illius parte: Atqui Pelagiani non alia de causâ negabant necessitatem diuinæ gratiæ ad curationem, quàm quia destrui putabant libertatem, si ea esset, nec posset voluntas sola & independenter à speciali & interno auxilio conualescere: Ergo etiam simili tantùm de causâ crediderint Semipelagiani destrui libertatem incipientis fidei ac desiderij salutis. Probatur minor ex Augustino in Epist. ad Sixtum, vbi de Pelagianis sic loquitur. Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam » bonam voluntatem sine adiutorio Dei hominem habere » consenserint; non intelligunt non se firmare humanum » arbitrium, sed impellere, vt per inania feratur &c. Vide » quid requirant ad humanum arbitrium, non vt gratia non sit antecedenter efficax, sed vt nulla sit: possitque sine Dei adiutorio esse bona voluntas. Idem in Epist. sequenti ad Paulinum, vbi dogma Pelagianorum hoc refert, Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, „ quoniam in propria voluntate habet quisque facere ali- „ quid, vel non facere. Quod Pelagius specie tenus dam- „ nare coactus est in Concilio Palæstino. Et ideo exigit Augustinus ab eo qui volet similem damnationem vitare, *vt*

Item ex sententia Pelagianorum cuius partē amplexi sunt Semipelagiani.

Epist. 105.

fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi diuino indiget auxilio.
„ Monetque; Ne offendant in lapidem offensionis, velut
„ argutè defendendo naturam, & liberum arbitrium, quem-
„ admodum Philosophi huius mundi, qui hoc vehemen-
„ ter egerunt, vt putarentur vel putarent sibi beatam vi-
„ tam virtute propriæ voluntatis efficere. Et in Epist. ad Vitalem, ideò Pelagianos ait *ita defendere liberum arbitrium, vt oppugnent vnde sit liberum*, quia non aliam agnoscebant gratiã, quàm externæ prædicationis, quâ positâ non videbatur illis stare libertas, si quid aliud requireretur.

LXXXII. Sed est hoc maximè perspicuum ex l. 2. contra duas Epist. Pelagianorum, vbi Augustinus fusè diluit calumniam iniectæ in humanos actus fatalis necessitatis, eandem quàm Semipelagiani quoque, vt antea retuli, vrgebant. Vide enim quanam in re fatum illud constitueretur ex Augustini responsione: Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam diximus antecedi. Si autem quibusdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare, profanas quidem verborum nouitates euitamus: sed de verbis contendere non amamus. Nempe hoc erat illis *fatum*, à Dei voluntate nostram præueniri, neque posse hanc sine illâ præstare aliquid, quo iuuari deinde mereretur. Vnde pergit; Ex his eorum verbis intellexit, ob hoc illos vel putare vel putari velle fatum non asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundùm merita nostra dicimus dari: sed secundùm ipsius mesericordissimam voluntatem, qui dicit, miserebor, &c. *Et iterum*, Verum hîc se isti satis aperiunt. Cùm enim propterea nobis calumniantur dicentes, nos fatum gratiæ nomine asserere, quia non secundùm merita nostra dari dicimus Dei gratiam; procul dubio confitentur, quòd ipsi eam secundùm nostra merita dari dicunt. *Et mox*, Itane verò filij superbiæ, inimici gratiæ Dei O noui hæretici Pelagiani, quisquis dicet gratiã Dei omnia hominis bona merita præuenire; nec gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur, fatum vobis videbitur asserere? *Rursus*, Hîc respondetis

Cap. 5.

hanc

hanc ipsam Dei beneuolentiam, quâ non merita sequitur, „
sed bona indebita, gratuita bonitate largitur, fatum po- „
tius esse dicendum. Vides in his omnibus testimonijs *fati* „
suspicionem Pelagianis nequaquam iniectam esse; quòd Augustinus prædicaret ineluctabilem quandam voluntatem, quæ prædefiniret humanas actiones *infrustrabili* decreto, independenter ab omni vsu liberi arbitrij etiam sub conditione prouiso; non, inquam, in eo ponebatur fatum illud seu fatalis necessitas, qua putabatur ab illis destrui nostrorum actuum libertas; sed in eo tantùm, quod necessarium esse diceretur, vt diuina gratia merita hominum antecederet; & non potiùs ipsa merita, vi solius liberi arbitrij comparata gratiam præuenirent. Et hæc est *amentia* illa *quam*, inquit, *auertat Deus à nobis, vt in donis eius nos priores faciamus posteriorem ipsum*; Itáque deinde interpretatur quod dicebant, Deum non immittere studium virtutis reluctanti homini; *Hoc quippe ita dicunt, velut homo à seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum, studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adiuuari Dei gratia consequente.* En tibi fatum seu fatalem necessitatem libero arbitrio exitiosam ex sententiâ Pelagianorum, quod homo non habeat *à seipso sine Dei adiutorio* propositum bonum.

LXXXIII. Inde est illud, quod habet Augustinus, hoc ipso in Opere contra duas epistolas Pelagianorum, Tres capitales horum hæreticorum errores ex quintuplici laude profluxisse, *Creaturæ, nuptiarum, legis, liberi arbitrij, Sanctorum.* Ex eo enim quod nimium laudarent, hoc est, quod nimium benè sentirent de *creatura & nuptiis*, sequutum, vt negandum sibi crediderint *peccatum originale:* Et ex eo similiter quod *legem & liberum arbitrium* pluris æquo facerent, sequutum, vt dicerent *gratiam non adiuuare nisi meritum*, quasi verò non staret liberum arbitrium, nisi *meritum* hoc præuium & independens admitteretur: Ex nimia *Sanctorum* laude sequutum, vt putarent viuere illos in hac vita prorsus *immunes ab omni peccato.*

Lib. 3. & 4. A quintuplici laude profluxit hæresis Pelagianorũ ex Augustino.

Idem erat Pelagianis esse liberum arbitrium: & sibi sufficere ad bonum.

LXXXIV. Sed & alij, qui contra Pelagianos scripsere

eadem narrant. Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem Pelagij discipulum ita loquentem inducit, *Destruitur voluntas quæ alterius ope indiget.* Item lib. 2. aduersus Pelagianos, *Quomodo seruas liberum arbitrium qui dicis hominem nihil posse nisi semper Deus adiuuerit?* Ita scilicet delirabant, vt hoc negarent posse liberum arbitrium tanquam liberum, quod non posset, solum.

Ad Calcem Irenæi 563.

Et in disputatione de Deo Trino & Vno Arnobij Catholici contra Serapionem pro hæreticis disputantem, cùm negasset Arnobius sine Dei auxilio *liberum arbitrium effici posse sine peccato, laudem-ve adipisci diuinam*, subdit Serapion, *Ergo non est liberum arbitrium.* Ex quibus omnibus liquidò constare potest, non aliud voluisse Massilienses, dum libertatis iacturam causabantur, quàm vt obtinerent liberum arbitrium posse aliquid solum & sine gratia, quod ad salutem conferret.

Cap. 17. de bono perse.

LXXXV. Probatur secundo, ex eo quod Augustinus de „ ipsis Semipelagianis propriè refert. Respondendum pu„ tant prædestinationis definitionem vtilitati prædicatio„ nis aduersari, eo quòd hac audita nemo possit correptio„ nis stimulis excitari. Hæc dicentes nolunt hominibus „ prædicari dona Dei esse, vt veniatur ad fidem & perma„ neatur in fide, ne plus desperatio quàm exhortatio videa„ tur afferre, dum cogitant, qui audiunt, incertum esse „ humanæ ignorantiæ, cui largiatur Deus, cui non largia„ tur hæc dona. Vbi vides nec alterius prædestinationis confessionem Augustinum ab illis requirere, quàm, qua fiat, vt *Dei esse diceretur, venire ad fidem, & in ea permanere*, quod nemo eorum negat qui fatetur ad illa necessarium esse donum Dei, quod est gratia supernaturalis & interna: nec illos aliundè putauisse prædicationem impediri huius doctrinæ persuasione, quam, quia non videremur liberi ad ea, quæ nisi donentur, obtineri non possunt; quod est, nos non esse liberos nisi ad ea quæ possumus soli. Vrget autem illos Augustinus argumento, vt dicitur, ad „ hominem. Cur ergo, *inquit*, & ipsi nobiscum prædicant „ dona Dei esse sapientiam & continentiam; quod si hæc, „ cum dona Dei esse prædicantur non impeditur hortatio,

Idem etiam Semipelagianis initium fidei esse donũ Dei & non esse liberum.

quahomines hortamur esse sapientes & continentes; quæ tandem causa est, vt existiment impediri exhortationem qua exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere vsque in finem? Quasi diceret illos parum consequenter loquutos, dum & libertatem destrui, & exhortationem ad capessendam & perpetuò retinendam fidem impediri putant, admissa necessitate præuenientis gratiæ; quam tamen nihil obesse dicunt tum libertati tum exhortationi ad sapientiam & continentiam, cæteramque deinceps sanctitatem; ad quam, vt vidimus, gratiam esse necessariam fatentur. Nullum autem esset hoc argumentum, si aliud illi negassent necessariò concurrere ad initium fidei, quàm quod necessario concurrere non negabant ad sapientiam & continentiam: ad quam non dicebant concurrere *infrustrabiles* illas atque independentes à Scientia Media prædefinitiones; Vnde neque illas cogitauerint, dum dicerent incuntis fidei libertatem diuinæ gratiæ prædestinatione tolli.

LXXXVI. Confirmatur ex eo, quod S. Augustinus eorum opinionem reuinci putat Auctoritate SS. PP. Cypriani, Ambrosij, & Gregorij Nazianzeni, quorum testimonia dicit debêre sufficere ad vtrumque, vt gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia prædicent; & eorum prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros vel corripimus malos, non opinentur aduersam. Ex quibus sic argumentor. Si plus negent Semipelagiani quàm affirment isti Patres; horum testimonia non possunt sufficere, vt illi conuincantur: atqui sufficiunt, vt ait Augustinus; ergo illi non plus negant. Iam verò istorum Patrum testimonia, quæ refert Augustinus, nihil aliud affirmant, quàm ex diuina gratia pendere omnia quæ nos ad salutem iuuant: & hoc neque libertatem impedire, neque prædicationem. Hoc enim tantùm dicebat Cyprianus cum diceret; *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est*, Et Ambrosius, cùm diceret, *Non esse in potestate nostra cor nostrum & nostras cogitationes.* Et Nazianzenus cum diceret, *Qui dedit credere, dabit & confiteri.* Et tamen isti Patres *hortari & corripere non destite-*

Ibid. cap. 19. Damnari creduntur Semipelagiani Auctoritate SS. PP. qui solam gratiæ necessitatem prædicant: Ergo illam solam negabant, tamquam libertati contrariam.

hoc verbo comprehendit, *gratiam Dei dari secundùm merita nostra*, quod non est aliud quàm esse aliquod meritum nostrum, cui gratia necessaria non sit, eò quod sit prius. Quia verò necessaria negabatur illa gratia tum ad initium fidei, tum ad perseuerantiam; in hoc priore libro, quem inscribit de prædestinatione Sanctorum, priorem partem suscipit probandam. Vndè dicit, *Prius itaque fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere*: quod non est aliud, quam non haberi fidem etiam inchoatam sine Dei adiutorio & vt dicebant Massilienses, vi solius liberi arbitrij, supposita externa prædicatione. Similiter initio posterioris libri, qui est de bono perseuerantiæ, Iam, *inquit*, de perseuerantia disputandum. Nam & „ in priore libro cum ageremus de initio fidei, etiam de hac „ aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perse- „ uerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo. „ Hæc est thesis toto isto libro confirmanda, quæ nihil aliud ad sui veritatem requirit, quàm vt non dicatur perseuerare aliquis posse per seipsum ac sine diuinæ gratiæ adiutorio. Atque ita nihil, vt vides, disputandum proponitur vel de diuinæ gratiæ, vel de diuinarum prædefinitionum efficacia.

aliud concludit quã necessariam esse gratiam.

Cap. 2.

Cap. 1.

Iam verò librum de prædestinatione Sanctorum ita concludit Augustinus. Multa diximus, & fortasse iamdu- „ dum potuimus persuadere quæ volumus, & adhuc tam „ bonis ingenijs sic loquimur quasi obtusis, quibus & quod „ nimium est non est satis. Sed dent veniam: noua enim „ quæstio ad hoc nos compulit. quia cùm in prioribus „ opusculis nostris satis idoneis testimonijs egissemus do- „ num Dei esse etiam fidem; inuentum est quod contradi- „ ceretur: & ad hoc valere illa testimonia vt ostendam do- „ num Dei esse incrementum fidei: initium vero fidei, quo „ in Christum creditur, ab homine ipso esse; nec esse do- „ num Dei sed hoc exigere Deum, vt cum id præcesserit, „ cætera tanquam hoc merito consequantur quæ Dei dona „ sunt. En tibi *nouam quæstionem* à Semipelagianis motam; non an dentur Dei decreta omni libero consensu etiam sub conditione futuro priora, quæ inuictæ sint efficaciæ:

sed *an initium fidei ab homine ita sit, vt non sit etiam donum Dei*, quamuis ad promerenda deinde, quæ Dei dona sunt, exigatur. Ad illius quæstionis partem affirmantem comprobandam obijciebant Semipelagiani damnum humanæ libertatis sequuturum, vt vidimus. Subdit verò statim Augustinus, quid ipse in ea quæstione tractanda præstiterit. *Propter quod institimus quantùm potuimus, vt etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus.* Hoc fuit totum Augustini consilium, vt diceretur, etiam ad initium fidei diuina gratia necessaria, nec ideò tamen putaretur amissa libertas. Sed pergit. Quod etsi diutius fecimus, quam vellent hi, propter quos fecimus; hinc ab eis reprehendi parati sumus; dum tamen.... fateantur nos fecisse quod fecimus; id est, etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, iustitiam pietatem & cætera de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse. Hæc, tum consilij, tum operis summa est, *initium fidei esse donum Dei*, sicut & continentiam, *& cætera, de quibus cum his nulla contentio est.* Vbi ergo efficacia prædefinitionum à scientiâ mediâ independentium? Et vbi nam gentium inueniuntur illas Semipelagiani admisisse vt *continentiam* & cætera, quæ recenset Augustinus, esse Dei dona faterentur? Quod sit, cùm illas non admitterent, Augustinus tamen censet, *nullam esse cum illis* super ea re *contentionem*; nec aliud requirit, quàm vt quod dicebant de continentiâ dicant etiam de initio fidei, quæ ratio est cur modo ijs obiiciatur, qui sine huiusmodi prædefinitionibus Philosophantes, contra Semipelagianos contendunt eandem quæ requiritur ad continentiam cæterasque virtutes, ad fidei quoque primordia gratiam requiri?

Similis est conclusio libri de bono perseuerantiæ: ita enim loquitur. Sed quid plura? satis docuisse me existimo vel potius plus quàm satis, dona Dei esse, & incipere in Domino credere; *quod præstitum est in priore libro de prædestinatione Sanctorum*, & vsque in finem in Domino permanere. *Quod in hoc de bono perseuerantiæ perfectum est.* Cætera verò bona ad vitam piam, quâ Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, donum

Dei esse concedunt. Non ergo id egit, vt Aduersarios adduceret, ad alterius prædestinationis confessionem, quàm illius quâ fiat vt Dei donum esse fateantur, & initium fidei & in ea perseuerantiam. Faterentur autem, si necessariam esse ad vtrumque gratiam prædicarent, neque ad ea bona sibi liberum arbitrium sine gratia sufficere dicerent. Ea igitur est prædestinatio, quam Augustinus exigit, quamque cohærere cum prædicatione diuini Verbi ideo contendit, quia cohæret cum libertate arbitrij. Vndè subdit; *Sicut ergo cætera prædicanda sunt, vt, qui ea prædicat, obedienter audiatur; ita prædestinatio prædicanda est, vt qui obedienter audit, non in homine, ac per hoc non in seipso, sed in Domino glorietur.* Et iterum scopum vniuersi operis disputationis hac summâ colligit; Oremus di- »
lectissimi, Oremus, vt Deus gratiam det etiam inimicis »
nostris maximeque fratribus ac dilectoribus nostris intel- »
ligere & confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam: »
quâ in vno omnes cecidimus, neminem nisi gratiâ Dei »
liberari: eamque non secundùm merita accipientium tan- »
quam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis »
meritis præcedentibus gratis dari. Quibus apertè signi- »
ficat id quod toties inculcamus, non de efficacia sed de necessitate gratiæ controuersiam esse: ac proinde non contra efficaciam, sed contra necessitatem proponi metum illum Massiliensium perituræ libertatis; potestque argumentum hoc secundum in hanc formam componi. Hoc tantùm contendit Augustinus ab Aduersariis, quo impetrato causam sibi videtur obtinuisse: Atqui impetratâ confessione necessitatis gratiæ antecedentis initium fidei & perseuerantiam, & tandem omne meritum omnemque actum salutarem, videtur sibi causam obtinuisse. Hoc igitur tantùm contendit Augustinus ab Aduersarijs. Maior per se patet. Minor ex dictis probata est.

LXXXIX. Et Confirmatur ex eo quod dicit Augustinus, dum impugnat Pelagianos abutentes loco illo. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*, quasi significaretur esse in ipsa voluntate præcedente consequentis meritum gratiæ. Si sic intelligerent, *inquit*, quod dictum »

contra 2. ep. Pelag. l. 4. cap. 6.

Augustino sufficit ad conterendũ Pelagiũ & scrupulum erroris omnem eximendum si gratia præmittatur bonæ voluntati. ca. 2 ib.

» est, si volueritis, vt etiam ipsam bonam voluntatem il-
» lum præparare confiterentur, de quo scriptum est, præ-
» paratur voluntas à Domino; tanquam Catholici vteren-
» tur hoc testimonio: & non solùm hæresim veterem Ma-
» nichæorum vincerent, sed nouam Pelagianorum conte-
» rerent. Quid eis prodest, quod in laude liberi arbitrij,
» gratiam dicunt adiuuare, vniuscuiusque bonum propo-
» situm? Hoc sine scrupulo acciperetur Catholicè dictum,
» si non in bono proposito meritum ponerent, cui merito
» iam merces secundùm debitum, non secundùm gratiam
» redderetur: sed intelligerent & confiterentur, etiam ip-
» sum bonum propositum, quod consequens adiuuat gra-
» tia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gra-
» tia. *Et paulò antè*, Pelagianam hæresim euerti *dicit ab eo*
» *qui fatetur* captiuam voluntatem non posse, nisi Dei gra-
» tia respirare in salubrem libertatem. Ex quibus ita licet
» argumentari, Qui sic intelligunt id quod dictum est, *si volueritis*, &c. vt fateantur à Deo præparari bonam illam voluntatem; & qui bonum propositum, quod consequens adiuuat gratia, dicunt non potuisse esse in homine, si non præcederet gratia; illi *Catholici* sunt, & *Catholicè* interpretantur scripturam; neque remanet vllus contrariæ suspicionis *scrupulus*; & de cætero à Pelagio tantopere alieni sunt, vt illum *conterant* & *euertant* eius hæresim, ex Augustino: Atqui Auctores Scientiæ Mediæ, qui negant absolutam diuinarum prædefinitionum efficaciam ab eâ independentem, non fatentur modò, sed contendunt etiam, illud, *si volueritis*, ita esse intelligendum, vt à Deo dicatur esse præparata illa bona voluntas; & omne bonum propositum necessariò præcedat gratia interna & supernaturalis: Ergo iidem Auctores ex Augustino, & *Catholici* sunt: & *Catholicè* interprætantur scripturam; & sunt *Antipelagiani*, quippe qui Pelagium *conterunt*, eiusque *hæresim euertunt*: nec vllus restare potest ea de re *scrupulus*.

XC. Iam verò quo modo non sunt Pelagiani, dum ita sentiunt de quacunque bonâ voluntate bonoque proposito; ita neque Semipelagiani dummodo idipsum dicant de

de voluntate credendi & initio fidei, deque voluntate perseuerandi; sed de his idipsum reuera dicunt: Ergo reuera nullo modo Semipelagiani censendi sunt, sed potius tanquam veri Augustiniani, ita *conterere* illos & *euertere*, vt sint nimium *scrupulosi*, qui ea de re dubitant: Atqui sic sentire & dicere nihil est aliud, quàm admittere necessitatem internæ gratiæ præcedentis omnem bonam voluntatem bonumve propositum & respirationem in salubrem libertatem: Ergo nihil aliud requirit Augustinus, quàm hoc: Ergo illi satis facient Semipelagiani desinentque hoc esse quod dicuntur, si talem necessitatem fateantur non impedire arbitrij libertatem; seu si dicant, non maiorem esse requirendam libertatem, quàm quæ possit cum illâ necessitate conciliari.

XCI. Probatur Tertio ex epistolâ Prosperi ad Augustinum. Postquam enim fusè disseruit de doctrina Massiliensium, quidquid in ea vitiosum videbatur, quod optat ab Augustino refutari, paucis hisce verbis contrahit. Vndè quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis non me- „ diocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis ma- „ lè in homine collocatur: si diuinæ voluntati impiè vo- „ luntas humana præfertur, vt ideò quis adiuuetur, quia „ voluit, non ideò, quia adiuuatur velit: si originaliter ma- „ lus acceptionem boni non à summo bono sed à semetipso „ inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex „ eo quod ipse donauerit; tribue nobis in hac causa Papa „ Beatissime, Pater Optime, quantùm donante Domino „ potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro, vt quæ in istis „ quæstionibus obscuriora & ad percipiendum difficiliora „ sunt, lucidissimis expositionibus digneris aperire. En quo „ reducat Prosper omnes fibras virulentiæ Semipelagianorum; eò scilicet vnde possunt vno verbo stirpitus eradicari, si dicatur, nihil in nobis esse boni, quod pertineat ad salutem, independens à speciali atque interno, & prorsus indebito Dei beneficio; Quicunque hoc confitetur, non ponit in homine salutis principium, non præfert diuinæ voluntati voluntatem humanam, non inchoat à semetipso boni receptionem, nec aliunde se Deo pla-

Omnes fibræ Semipelagianismi vna gratiæ necessitate conuelluntur.

cere putat, quàm ex eo quod ille donauerit; hoc autem est tantùm fateri diuinæ gratiæ necessitatem: Ergo hoc tantum est cui ne Massilienses liberum arbitrium opponant, postulatur à Prospero, & perficitur ab Augustino. Nec aliò pertinent earum quæstionum capita, quas Prosper Augustino pertractandas proponit ad euellendas illas fibras; postquam enim hoc petiit, vt ostendat non esse arbitrariam hanc doctrinam, sed *violari Christianam fidem hac dissensione*, exponi cupit, quomodo per istam *præoperantem & cooperantem* gratiam *liberum non impediatur arbitriū*, quod nihil aliud est, quàm quomodo non desinat esse liberum, etiamsi hac gratia & præueniri & adiuuari necesse sit; tum de ordine inter præscientiam & propositum, ea petit, quæ paulò antè sunt explicata, nec aliud continent, quàm vt definiatur, sitne aliqua præscientia meritorum à diuina gratia independentium, quæ præcedat propositum gratiæ consequentis; vel, vtrum, quoad hoc, sit distinguendum inter adultos & paruulos; vel vtrum non tantum in paruulis sit admittendum propositum independens ab omni meritorum præscientia, sed in adultis quoque illa ipsa præscientia meritorum, quæ in illis negari non posset, sit posterior & dependens ex proposito. Et hæc omnia in vno eodemque puncto versantur, an scilicet gratia necessaria præcedat omne meritum, siquidem illud propositum non est aliud, quàm propositum gratiæ. Hæc igitur necessitas sola est, quam & excutere Massilienses volunt, vt libertas saluetur; & Augustinus cum eadem libertate retinere conatur. Atque hinc colligi potest aliud argumentum, quò superior propositio.

Non violarent fidem Semipelagiani si aliud vellent.

Probatur Quarto. Ex eo quod Prosper statim atque dixit, ista *dissentione violari fidem*, proponit tanquam primum huius dissensionis caput ab Augustino tractandum. *Quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium:* ac proinde in eo dissentientes, quod crederent impediri libertatem per gratiam *præoperantem & cooperantem*, violare fidem putat. Neque repugnat Augustinus: eò enim pertinet, quod dicit,

De bono perseu. c. 18

Hæc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare posse. Loquitur autem de illa prædestinatione, de quâ egit paulò antè cum diceret, „ Ego autem nolo exaggerare „ meis verbis, sed illis cogitandum potiùs relinquo, vt vi- „ deant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione „ prædestinationis audientibus plus desperationis, quàm ex- „ hortationis afferri; hoc est, loquitur de illa qua Massi- „ lienses dicebant destrui libertatem. Ergo modus quo volebant Semipelagiani defendere libertatem illo reiecto, quem Augustinus proponebat, *fidem violat*, vt loquitur Prosper, & vt fatetur Augustinus, est *erroneus*. Vnde sic argumentor. Modus saluandæ libertatis, qui non tollit necessitatem diuinæ gratiæ internæ ac supernaturalis; non violat fidem, nec est erroneus: modus saluandæ libertatis qui negat efficaciam diuinorum decretorum antecedentem illam & independentem à scientia media, non tollit necessitatem diuinæ gratiæ internæ ac supernaturalis. Ergo hic modus non est erroneus, nec violat fidem. Maior patet ex Augustino, qui vt paulò antè retulimus, *sine scrupulo* & dici & esse catholicum illum censet, Pelagioque contrarium, qui concedit omnem bonam voluntatem, quæ conducit ad salutem præparatione gratiæ præuentam esse à Deo atque adiutam. Minor constat apertâ confessione eorum, qui sic philosophantur. Quamuis enim efficaciam illam negent; contendunt tamen necessariam esse internam ac supernaturalem gratiam ad omnem voluntatis motum, qui positiuè conducit ad salutem. Neque dissentiunt Aduersarij aut dissentire possunt ab hac tota argumentatione; cum dicant, Semipelagianos eatenus non esse philosophatos *hæreticè*, dum scilicet scientiam mediam astruerent eaque vterentur, vt ipsi putant in concilianda diuinorum decretorum efficacia cum arbitrij libertate. Ita enim loquentem audiuimus Doctorem Salmanticensem. Et P. Ioannes à S. Thomâ clarè distinguit abusum erroneum scientiæ mediæ ab alijs effectibus, ad quos ea vtebantur Semipelagiani, quorum vnus erat conciliare arbitrij libertatem cum

Cap. 17. Et cap. 19 *Nouerant*, inquit, Antiqui tractatores diuinorum eloquiorum, *prædestinatiorē, quam per Apostolos prædicatam contra nouos hæreticos operosius diligentiusque defendimus.*

Dispt. 20. quæst. 41. art. 3. p. 636.

efficacia diuinorum decretorum, qua distinctione satis significat, posteriorem hunc vsum non fuisse erroneum; apponο illius verba, quæ sic habent. Ergo non est dubitandum fuisse sancto Augustino propositam scientiam mediam non solum cum eo abusu & errore, quo Massilienses illam admittebant. Vnus autem ex effectibus, ad quos illam admittebant, erat, vt hoc modo conciliarent libertatẽ nostram cum diuina voluntate & prædestinatione seu electione Dei. Deindè verò &c. Similẽ distinctionẽ abusus erronei à non erroneo repetit deindè, ac modum illum seruandæ libertatis ponit sub non erroneo. Vndè patet approbari ab his Auctoribus syllogismi proximè positi conclusionem. Quâ resumptâ sic iterum argumentor. Modus seruandi libertatem arbitrij, quo negatur absoluta efficacia diuinorum decretorum independens à scientia media, nec violat fidem nec erroneus esse potest, vt iam ostensum est: Modus quo vtebantur Semipelagiani, & quem impugnat Augustinus & violat fidem & est erroneus, vt etiam demonstratum est ex Prospero & Augustino: Ergo modus seruandi libertatem arbitrij, quo negatur diuinorum decretorum efficacia illa, nec est ille quo vtebantur Semipelagiani, nec ille quem S. Augustinus impugnat. Restat ergo, vt errauerint tantum & ab Augustino impugnati sint, quia non solùm efficaciam illam negabant, sed absolutè decretum omne gratuitum antecedens, quo diuinum auxilium ad bonam voluntatem necessarium præparetur.

Ib. pag. 644.

Admissa gratia necessitate sequitur & initium fidei & perseuerantiã esse dona Dei & gratiam non dari secundum merita, quod August.no tantum sufficit.

XCII. Quintò Probatur Quia prædestinatio pro qua pugnat Augustinus contra Massilienses, & consequenter quam contendit esse conciliandam cum nostrâ libertate, non est alia quàm quæ infertur necessariò ex eo quod initium fidei & perseuerantia vsque in finem sit donum Dei, & quod gratia non detur secundùm merita. Atqui prædestinatio quæ exinde necessariò infertur, non est efficax illa & independens à directione scientiæ mediæ: Ergo prædestinatio pro qua pugnat Augustinus contra Massilienses, & quam contendit esse conciliandam cum libertate nostra, non est illa quæ fingitur efficax & inde-

pendens à ſcientia media. Ergo hæc controuerſia in eo minimè ſita eſt, quod negetur aut affirmetur illa efficacia & independentia. Vtraque conſequentia clara eſt. Minor patet. Qui enim negant prædeſtinationem eſſe aliter efficacem, quàm quia ſupponit ſcientiam mediam, adhuc fatentur & donum Dei eſſe initium fidei, & ſpecialem gratiam eſſe ad perſeuerandum neceſſariam, & gratiam non dari ſecundùm merita noſtra. Et ideo Aduerſarij concedunt non eſſe erroneam doctrinam illam, cùm ſentiant erroneam hanc, quæ docet horum aliquid, nempe dari gratiam ſecundùm merita, initium fidei ex nobis eſſe, nullum eſſe perſeuerantiæ donum. Vndè ſequitur non eſſe neceſſariam conſequentiam, ex eo quod negetur gratia dari ſecundùm merita, vel fidem aut perſeuerantiam ex nobis eſſe, ad affirmandum illum prædeſtinationis modum: aut viceuerſa ex eo quod ille prædeſtinationis modus negetur, ad affirmandum aliquid horum. Supereſt ergo vt maior ex Auguſtino probetur: nempe neceſſariam eſſe conſequentiam illius prædeſtinationis pro qua pugnat, & quam contendit eſſe cum libertate conciliandam, ex eo quòd negetur gratia dari ſecundùm merita, vel initium fidei aut perſeuerantiam ex nobis eſſe: neque relinqui aliquid medium, in quo ita poſſit ſtare, qui ab vno recedit, vt non incidat in aliud. Sunt autem luculentiſſima huiuſce rei teſtimonia in libro de bono perſeu. Nam cap. 16. ita loquitur Auguſtinus. Aut ſic „ prædeſtinatio prædicanda eſt, quemadmodum ſancta „ ſcriptura euidenter loquitur, vt in prædeſtinatis ſine pœ- „ nitentia ſint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei ſecun- „ dùm noſtra dari merita confitendum, quod ſapiunt „ Pelagiani. En vt immediatè opponit *gratiam Dei dari ſe-* „ *cundùm merita* prædeſtinationis modo pro quo pugnat.

Idem cap. ſequenti dum impugnat, quod dicebant Cap. 17. Maſſilienſes, ſuppoſito ſemel initio fidei, quod à nobis eſt, neceſſariam eſſe gratiam ad cætera. Cur ad ipſa cæ- „ tera, *inquit*, exhortationem eorum cæterorumque præ- „ dicationem definitione prædeſtinationis non metuunt „ impediri? An forte nec ipſa dicuntur prædeſtinata? Ergo „

„ nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit. Quòd
„ si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit; profectò
„ prædestinauit. *Et Paulò post*, Videant, *inquit*, ... impe-
„ diri potiùs atque subuerti hac prædestinationis definitio-
„ ne illum tantummodo errorem, quo dicitur gratia Dei
„ secundum merita nostra dari, vt qui gloriatur non in
„ Domino, sed in seipso glorietur. En vt pro illa solùm
prædestinatione pugnat, quæ illum tantummodo errorem impedit, quò gratia dicitur dari secundùm merita
„ nostra. Idem cap. 20. sub finem. Quid autem coegit loca
„ scripturarum quibus prædestinatio commendata est, co-
„ piosiùs & enucleatiùs isto nostro labore defendi, nisi
„ quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita
„ nostra dari? Ad hoc igitur tantùm adstruitur prædestinatio, vt gratia non detur secundùm merita.

„ Idem cap. 21. Si autem vtrumque Dei donum est, *initium fidei, & perseuerantia*, & hæc Deus dona sua, (quod
„ negare quis potest?) daturum se esse præsciuit, præde-
„ stinatio prædicanda est, vt possit vera Dei gratia, hoc est,
„ quæ non secundùm merita nostra datur, insuperabili
„ monitione defendi.

„ Et cap. 23. sub finem. Quæ bona si semper orauit, sem-
„ per ea Dei dona esse vtique credidit; nec ab illo semper
„ cognita vnquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædesti-
„ nationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos nouâ
„ sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi
„ non habuit.

„ Et cap. 24. Et illum ergo, *Dominum Iesum*, & nos
„ prædestinauit; quia in illo vt esset caput nostrum, & in
„ nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita no-
„ stra: sed opera sua futura præsciuit.

„ Huc facit quod habet Prosper in epistola ad Augusti-
„ num, Massilienses sibi persuasisse negandam gratiam ad
„ initium fidei &c. Quia, *inquit*, si profiteantur ab ea om-
„ nia bona merita præueniri, & ab ipsa vt possint esse do-
„ nari, necessitate concederent, Deum secundùm propo-
„ situm ac consilium voluntatis suæ aliud vas condere in
„ honorem, aliud in contumeliam, quia nemo nisi per gra-

tiam iustificetur, & nemo nisi in præuaricatione nasca- „
tur. Sed refugiunt istud fateri, diuinoque adscribere „
operi sanctorum merita formidant. *Subdit verò huius dein-* „
de formidinis causam, ne superflua sit industriæ ac laboris „
indictio, cuius studium cessante electione frustrandum „
sit. Nempe hoc in illo Dei *proposito* illis tantùm displicet, non quod sit ante vel post scientiam conditionatam futuri consensus, sed quòd falsò putent *electionem* voluntatis *cessare, si operi diuino ascribenda sit*, hoc est, si sit dependens à gratuita Dei voluntate. Ergo volunt independentem omnino esse hanc *electionem* à diuino proposito: & in tantùm negandam gratiæ necessitatem, in quantùm vident eâ concessâ necessariam esse consequentiam ad hoc *propositum*. Atque ita nec aliud *propositum* timent, quam illud, ad quod affirmandum est necessaria consequentia ex confessione gratiæ: nec aliâ de causâ illud timent, quàm quod putent, electionem nostram, vt sit libera, debere esse ab illo independentem: Ergò neque Augustinus aliud propositum defenderit quàm illud, quod est necessariò connexum cum gratiæ necessitate.

Ex quibus omnibus manifestissimum est, non pro aliâ prædestinatione Augustinum pugnare, quàm pro ea, quâ excludatur error ille, quo dicitur Dei gratia secundùm merita dari: & initium fidei ac perseuerantiam ex nobis esse: adeò vt sit mutua & necessaria sequela ab vnius istorum positione ad destructionem alterius, & quod inde consequens est, ipsum, non pro modo efficaciæ, sed pro necessitate diuinæ gratiæ cum libertate arbitrij conciliandâ disputasse contra Massilienses, quod erat probandum.

XCIII. Nec refert, quod Augustinus in hac disputatione interdum designat infallibilitatem diuinæ gratiæ in eliciendo consensu voluntatis. Aliud enim est, insinuare aliquid ex occasione, & aliud de eo ex professo disputare cum Aduersario, id quod ego nego fecisse Augustinum. Quemadmodum etiam nihil refert, quòd Massilienses interdum videantur illam infallibilitatem timere, quia ex dictis satis constat, non alia de causa timuisse, quàm quia

Massilienses libertati metuebant ab infallibilitate gratiæ atque ab omni decreto antecedenti quocumq;

tandem modo explicarentur.

crederent perdi libertatem nisi voluntas nostra prior atque independenter ab omni præuio decreto eligeret inter bonum & malum. Quasi dicerem,, cùm fieri non possit, quin gratia, quâ rectè viuitur & aliquod meritum comparatur, quodammodo sit & infallibilis & efficax; Massilienses nunquam disputasse cum Augustino, neque Augustinum cum Massiliensibus de modo infallibilitatis illius & efficaciæ; sed tantùm de necessitate: quod illi dicerent destrui libertatem, si voluntas non eligeret ipsa sola, sed egeret antecedente gratiâ, & consequenter supponeret antecedens decretum, quocunque tandem modo illud esset & efficax & infallibile. Et hoc dico iam satis probatum esse.

Nulli semipelagianorum admittebant internũ gratiæ auxiliũ ad initium fidei: & si qui admitterēt iam non Semipelagiani.

XCIV. Dices, Semipelagianos maximam partem admisisse internam atque indebitam gratiam ad initium fidei necessariam: Ergo cum illis non fuisse disputandum de gratiæ necessitate, sed de efficacia. Antecedens patet ex Epistola Prosperi, dùm dicit, „Quidam vero horum in „tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cùm ad „confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat „merita humana cogantur, ne si meritis redditur, frustra „gratia nominetur, ad conditionem hanc velint vniuscuiusque „hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, „quia nec existentem, liberi arbitrij & rationalis „gratia creatoris instituat. Significat enim Prosper, his verbis complures ex Massiliensibus non fuisse contentos gratiâ creationis, cùm dicat *quosdam* tantùm ad eam confugisse: Ergo complures illi, qui non erant gratiâ creationis contenti, admiserint indebitam aliam atque internam gratiam ad initium fidei necessariam. Ergo cum illis disputandum fuerit de efficacia gratiæ, non de necessitate, quippe quam non negarent. ℞. Prosperum nihil aliud velle, quam Massiliensium aliquos adeò non recessisse à semitis Pelagianorum, vt eorum loquendi modum imitarentur, & eodem quo illi æquiuoco luderent. Cùm enim ex vsu Scripturæ & Ecclesiasticorum Scriptorum gratia contra naturam distinguatur, dum vrgeretur Pelagius, gratiam admittere se dicebat, non eo sensu, quo illa

illa contra naturam distinguitur, sed eo, quo etiam ad naturalia beneficia extendi potest: vnde fiebat tandem, vt perstaret in sententia illa sua praua, nullam esse gratiam naturæ superadditam, & ad salutem necessariam. Cùm ergo istorum Massiliensium aliqui, eodem vterentur æquiuoco, eademque fraude eis illuderent, qui elicere conabantur confessionem gratiæ ad initium fidei & omnem bonam voluntatem necessariæ: fuit cur Prosper diceret illos in tantùm non recessisse à semitis Pelagianis: vt ostenderet alios sinceriùs loquutos, qui absolutè faterentur desiderium gratiæ, non esse ex gratia, quemadmodum desiderium sanitatis non est ex medico, aut pharmaco sanante, vt ex eorum sententiâ Hilarius refert. Quod si contendas fuisse aliquos, aut etiam complures, qui necessitatem admitterent interni atque indebiti auxilij, etiam ad primam credendi voluntatem (quod minimè sequitur ex allatis Prosperi verbis) contendo ego illos ex eo præcisè capite nullo modo fuisse Pelagianos, atque adeo nec Semipelagianos; sed quoad hoc *Catholicos* & *Catholicè* loquutos, atque hoc esse prædicandum *sine aliquo scrupulo* vt monet Augustinus, Qui propterea minimè censendus est cum illis disputasse de concordia liberi arbitrij cum illa eorum sententia, quòd constet ex omnibus duorum librorum paginis, quos hac de controuersia scripsit, impugnare illum tantùm eam sententiam, quæ meritum præcedens gratiam, & humanam voluntatem diuinâ priorem admittit, & Prosper ipse, vt vidimus, eò redegit, quidquid in sententia istorum Massiliensium improbabat.

§. V.

Quinta Propositio.

XCV. Semipelagiani nunquam adhibuerunt doctrinam de scientiâ mediâ in vsum conciliandi efficaciam diuinarum prædefinitionum cum libertate actionum prædefinitarum. Hæc propositio probatur tribus argumentis.

Primum est. Quia qui laborat vt inueniat rationem, quâ Dei prædefinitio concilietur cùm libertate arbitrij, eo ipso supponit esse talem prædefinitionem: Atqui Massilienses numquam supposuerunt esse Dei prædefinitionem respectu actuum, de quorum libertate solliciti erant: Ergo Massilienses numquam laborarunt, vt cum illa conciliarent libertatem arbitrij, respectu actuum huiusmodi: Ergo neque in eum finem adhibuerunt vnquam doctrinam de Scientiâ Mediâ. Maior patet. Manifestum enim est consilium illud componendi prædefinitionem, quæ non est, cum libertate arbitrij, esse vt loquuntur de subiecto non supponente; atque ideò esse ridiculum, non secus ac esset ridiculum studium, quo aliquis putaret ineundam amicitiam cum homine, qui neque natus neque nasciturus est vnquam. Et in omni disceptatione quæri primum solet de eo de quo disputatur, an sit, vt eo supposito deinde inquiratur, qualiter se habeat. Neque vel ille ferendus esset, qui cùm negaret esse hominem in foro, contenderet tamen aulœdum esse potiùs quam citharœdum: vel ille sapienter facere censendus, qui cum adeò absurdo capite disputaret. Non igitur laborauerunt Massilienses, vt prædefinitiones, quas esse negabant, ostenderent, quomodo essent cum libertate conciliandæ. Neque Augustinus cum illis eâ de re contenderit, quippe cùm potius crederent illis negatis saluam esse libertatem, quæ est minor propositi syllogismi. Nempe, Massilienses nunquam supposuisse huiusmodi prædefinitiones dari, præsertim respectu voluntatis credendi & perseuerendi, de cuius libertate potissimùm erant solliciti. Id quod est clarum ex iam dictis, quibus constat nec gratiam illos, nec gratuitum propositum admisisse, quod esset præuium illi voluntati, sed potius è contrario voluntatem præposuisse, tum gratiæ illi, tum proposito, vti mox amplius explicabitur.

Semipelagiani gratuitam incuntis fidei prædefinitionẽ nullam agnouerunt.

Ex Philosopho cap. 5. l. 1. poster.

XCVI. Secundum argumentum est, Quia duo sunt genera liberatum operationum, cum quibus fingere possumus conciliandas fuisse à Massiliensibus prædefinitiones diuinas. Vnum continet eas actiones, quibus sanctifican-

tur iusti, exercitium videlicet continentiæ, sapientiæ, &c. Et iam audiuimus ex Augustino, quod attinet ad hoc genus inculpatam esse illorum doctrinam, nec esse locum vlli contentioni: vndè si concedant Aduersarij per scientiam mediam saluasse illos harum operationum libertatem; consequenter concedent idoneam esse atque ad mentem Augustini rationem illam libertatis tuendæ, quod tamen ipsi magnopere refugiunt.

Superest ergo genus alterum, quod continet primos voluntatis conatus ad salutem quærendam, cuiusmodi esse potest aliquis timor damnationis, aliquod desiderium salutis, credendi voluntas &c. quarum ego libertatem nego conciliatam esse vnquam à Semipelagianis cum prædefinitione per vsum scientiæ mediæ. Designo enim vnam v. g. voluntatem credendi, & interrogo Aduersarios, an velint Massilienses confessos gratiam ad huiusmodi voluntatem necessariam nec-ne? si renuant, cùm negata gratia stare non possit gratuita prædefinitio, consequens est, vt qui gratiam negauere, negauerint etiam gratuitam prædefinitionem, tantùm abest, vt illam cum prædicta voluntate conciliare voluerint: si annuant; nimis sunt propitij Massiliensibus; & Augustinum cum Prospero atque Hilario accusatorem iniquum mendacemque faciunt. Probatur sequela. Quia qui docet liberum arbitrium non habere aliquid nisi eleuatum à gratiâ & adiutum, docet non habere illud à se, nec sine Deo gratis adiuuante: & consequenter docet, non posse præsciri habiturum illud à se, sed præcipuè etiam à Deo ita eleuante atque adiuuante: sed per te Massilienses docebant liberum arbitrium non habere voluntatem credendi nisi eleuatum & adiutum à gratiâ indebitâ & internâ, de illa enim loquimur: Ergò docebant liberum arbitrium non habere illam voluntatem à se, nec sine Deo ita eleuante atque adiuuante: Et consequenter nec præsciri habiturum illam à se, sed præcipuè etiam à Deo: Ergò si quis eis contrarium exprobrauerit, calumnia fuit. Atqui contrarium exprobrauit Augustinus: Ergò si non falluntur Aduersarij, calumniosè ille disputauit cum Massi-

Si Massilienses admisissent gratuitam prædefinitionem fidei incipientis admisissent & gratiam ad eandem fidem necessariam: & essent falsò accusati à Prospero & Hilario.

Cap. 18.

liensibus. Probo subsumptum. Ex libro de prædest. SS. vbi Augustinus inducit Semipelagianos loquentes, ac seipsos à Pelagianis distinguentes. Ipsi enim putant, *inquit*, acceptis præceptis iam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu eius in charitate; quod futurum Deus quoniam præsciuit, inquiunt; ideò nos antè mundi constitutionem elegit..... Nos autem dicimus nostrum Deum non præscisse nisi fidem, quâ credere incipimus & ideò nos elegisse antè mundi constitutionem, ac prædestinasse, vt iam sancti gratiâ atque opere eius essemus. Vbi vides apertè, ita se Massilienses à Pelagianis discernere apud Augustinum, quod Massilienses de sola fide incipiente id dicerent, quod Pelagiani etiam ad sanctitatem extendebant, nempe illam præsciri esse à nobis, aliâ nullâ gratiâ præsuppositâ, quàm *propositione præceptorum*, seu doctrinæ credendæ. Et eodem spectat, quod dicit in libro de corrept. & gratiâ. De filijs promissionis. *Neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præsciuit à seipsis bonos futuros.* Quæ nimirum erat doctrina Semipelagianismi tunc nascentis in Affrica, qui postea Massiliæ finitimisque in locis adoleuit. Item in libro de bono perseu. Quid autem verius, quàm præscisse Christum, qui & quando, & quibus in locis in eum fuerant credituri, sed vtrum prædicato sibi Christo, à seipsis habituri essent fidem, *quod dicunt Semipelagiani* an Deo donante sumpturi, *vt orthodoxa doctrina fert*, hoc est, vtrum tantummodo eos præscierit, an prædestinauerit Deus, quærere ac disserere tunc necessarium non putaui. Idem apertè significat Prosper cum refert eos docentes *præscisse Deum fidem*, quæ deinceps sit iuuanda *per gratiam*; hoc enim est gratiam apud illos & fide, & fidei præscientiâ fuisse posteriorem. Et ideo dicit, *voluisse illos gratiam esse humanorum meritorum præmium.* Item & Hilarius, dum refert Semipelagianos approbantes illud, quod olim dixerat Augustinus re ista nondum bene discussâ, *Deum non eligere in præscientia opera, quæ ipse donaturus est, sed fidem eligere in præscientia*, nempe quia, vt illi quidem putabant, Deus non erat donaturus

fidem ſicuti erat donaturus opera: vnde ſubdit poſteà *de hac fide* iuxta doctrinam illam non poſſe dici, quid habes quod non accepiſti. Ex quibus omnibus & pleriſque alijs, quæ retulimus ſupra in probatione ſecundæ propoſitionis, euidenter conſtat, exprobratum fuiſſe Maſſilienſibus, quòd dicerent præſcientiam inchoatæ fidei, quâ abutebantur, eſſe præſcientiam fidei à diuina gratia independentis, & à libero arbitrio ſolo, ac Deo ſpecialiter non adiuuante, productæ. Quæ, vt dixi, exprobratio falſa, atque adeò iniqua fuiſſe negari non poteſt, ab eo qui fatetur exiſtimaſſe illos præſcitam fidem, vt eliciendam Deo eleuante ac iuuante liberum arbitrium interno atque indebito auxilio.

XCVII. Confirmatur, quià conſtat Semipelagianos erraſſe potiſſimùm circa duo iſta, nempe circa fidei principium & circa illius, atque etiam totius ſanctitatis & gratiæ perſeuerantiam: hoc enim patet, non ſolùm ex Proſpero & Hilario, ſed ex omnibus paginis duorum librorum Auguſtini de prædeſtinatione SS. & de bono perſeu. quibus etiam illi duo errores argumentum ſuppeditarunt. Atqui ſi de fidei principio ita ſunt Philoſophati, quemadmodum placet Aduerſarijs, non fuerit erronea doctrina. Ea enim ſententia, quæ docet, præſcire Deum, ſi talis gratia tali homini detur illum crediturum, & ex illa præſcientia prædefinire illius fidem illæſa libertate, errore vacat, ipſis etiam conſentientibus, vt paulò antè oſtenſum eſt. Quis ergò fuerit, quoad hoc præcisè Maſſilienſium error? Credebant, inquis, in illa fide ita præſcita eſſe meritum gratiæ ac prædefinitionis ad ipſum neceſſariæ. Atqui & Proſper & Hilarius & Auguſtinus contrarium potiùs ſignificant, quando perpetuò dicunt, Semipelagianos in fide præſcitâ ſtatuiſſe meritum gratiæ, ad ea quæ conſequuntur, neceſſariæ, nempe ad augmentum eiuſdem fidei, & ad exercitia ſanctitatis: & ideò ſemper vocant meritum hoc inchoatæ fidei, meritum *præcedens* gratiam, & meritum, quod eiuſdem gratiæ reſpectu dicitur *præteritum*: contra quod diſtinguunt meritum ſub conditione futurum, quod vocant, *futurum quod*

Eſſent etiam iniuſtè damnati.

non est futurum, vt antea vidimus. Futurum autem istud meritum inchoatæ fidei sic eos finxisse retrogradum, vt dicerent, merito fidei ex hypothesi futuræ dari gratiam, vel concipi prædefinitionem gratuitam, quam eadem fides necessariò supponit, commentitium est: nec vlla vsquam syllaba reperietur apud Augustinum aliosue Auctores, ex qua id colligatur. Vnde iterum peto, quis ergo fuit eorum error circa initium fidei? Dicebant, inquis, præsciri fidem conditionatè futuram independenter à gratia, & ex illa præscientia concipi prædefinitionem eiusdem fidei. Verum hoc quoque chimæricum est, nec vllum vsquam extat huiusmodi doctrinæ vestigium: quin potiùs Prosper significat nullam eos prædefinitionem agnouisse, præter eam, quâ decernitur, vt nemo nisi be-
„ neficio baptismi saluetur. Eius verba sunt. Propositum
„ autem vocantis gratiæ in hoc omninò definiunt, quod
„ Deus constituerit, nullum in regnum suum, nisi per sa-
„ cramentum regenerationis assumere, ad hoc salutis do-
„ num omnes homines vniuersaliter, siuè per naturalem,
„ siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædica-
„ tionem vocari..... Quia iustitia Dei, in eo sit, vt qui non
„ crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, si nemi-
„ nem repellat à vita, sed indifferenter vniuersos velit saluos fieri. Ecce totam illorum prædefinitionem. Ex quibus intelligas Aduersarios, dum scientiam mediam incautiùs insectantur, & Semipelagianos absoluere à magna sui erroris parte, & Prosperum & Hilarium, atque ipsum demum Augustinum accusare.

Semipelagiani duos tantum casus scientiā mediam adhibuere in quibus nullo modo agebatur de concordia libertatis cū Dei prædefinitionibus.

XCVIII. Tertium argumentum. Duo tantùm casus sunt, in quibus Semipelagiani coacti sunt recurrere ad scientiam conditionatam. Nempe vt rationem inuenirent, cur ex paruulis alter sine baptismo, alter suscepto baptismo statim moriatur. Item, vt etiam rationem inuenirent, cur res ita disposuerit Deus, vt vno tempore vnoque loco potius quàm alio Euangelium promulgetur. Hi casus, si non fuissent propositi, nesciremus an scientia illis siue conditionata siue media cognita vnquam fuisset. Vnde, si eâ vnquam eguerint ad tuendam libertatem, in

his casibus eguerint. Sed in his casibus nulla est occasio conciliandi cum hominum libertate Dei prædefinitionem: Ergo nec vsi fuerint Semipelagiani Scientia Media ad concordiam illam. Maior patet ex antea dictis. Minor etiam perspicua est. Nam quod ad paruulos attinet, nulla est eorum libertas, dum alter sine baptismo, alter moritur cum baptismo. Ergo cum eiusce discretionis tantum rationem peterent Semipelagiani ex scientia futurorum, si viuerent, meritorum; non petebant ex illâ rationem illæsæ in paruulis libertatis. Quasi dicerem, vsus Scientiæ Mediæ confert tantum ad saluandam libertatem eius operationis, quæ ex illius directione prædefinitur: atqui ex directione Scientiæ Mediæ, qua præsciuntur futura paruulorum merita, nulla eorum operatio prædefinitur: sed tantum prædefinitur mors antè vel post baptismum, quæ non est aliqua eorum operatio: Ergo nec ex illo vsu vlla eorum libertas saluatur.

Idem dici potest de adultis illis, quibus occurrere aut non occurrere dicitur Euangelij prædicatio ex directione Scientiæ Mediæ, quâ præscitur futura eorum credulitas vel incredulitas: Idem, inquam, dici potest, quia ex directione Scientiæ Mediæ non dicebant Semipelagiani prædefiniri aliquam eorum operationem; sed tantum discerni, vt his & non illis Euangelium promulgetur, quæ non est aliqua ipsorum sed Dei tantum operatio. Constat hoc ex verbis Prosperi; „ Præuisos, inquiunt *Semipelagiani*, à „ Domino credituros: & ad vnamquamque gentem ita „ dispensata tempora ac ministeria Magistrorum, vt exo- „ ritura erat bonarum credulitas voluntatum. „ Vide quomodo non dicant, ita prædefinitam fidem, vt præsciebatur exoritura ex libero arbitrio: sed, *ita dispensata tempora & ministeria magistrorum*, hoc est, ita decretum, vt Magistri fidei ac Doctores mitterentur. Et Hilarius, Cum autem dicitur illis, „ quare aliis vel alicubi prædicetur vel non prædicetur..... „ Dicunt id præscientiæ esse „ diuinæ, vt eo tempore & ibi & illis veritas annuntiaretur „ vel annuntietur, quando & vbi prænuntiabatur esse cre- „ denda. Vide hîc etiam ad quid adhibeatur præscientia

illa diuina seu Scientia Media; non vt sit fidei prædefinitio; sed vt *alicubi prædicetur aut non prædicetur* Euangelium. Nec aliò pertinet, quod obiiciebant Augustino in responsione ad quæstiones Paganorum. Neque enim quærebatur vllo modo, quomodo staret aut non staret arbitrij libertas cum fidei prædefinitione: nulla, inquam, erat eiusce rei vel cogitatio, vel cura. Hoc tantùm petebatur *quare Saluator, qui dictus est, sese tot sæculis subduxisset.* Et *si Christus via ad salutem..... quid egerunt tot sæculorum homines antè Christum?* Et *quid actum de tam innumeris animis?* Quid quæso ad has quæstiones læsa vel illæsa libertas fidei prædefinitæ? Cum ergo respondet Augustinus tunc Christum voluisse hominibus apparere, quando sciebat & vbi sciebat esse, qui erant in illum credituri; Quis non videt eo minimè spectare, vt salua sit fidei libertas; sed tantùm vt Deus non videatur acceptator personarum.

XCIX. Nimirum ad hoc tantùm vsi sunt hac scientia Semipelagiani, vt tuerentur suum illud, Deum omnibus indifferenter obtulisse salutem, esseque in hominum voluntate positum vt eam acceptent; cuius voluntatis pretium sit gratia deinceps necessaria; si secus fiat, esse Deum personarum acceptatorem. Et cùm statim obiicerentur paruuli, atque illi quibus Euangelium non annuntiatur; ex Scientia Media futurorum conditionatè meritorum rationem petebant. Neque ita petebant, vt dicerent fidem præscitam conditionatè, esse causam cur Euangelium proponeretur credituris, nisi causam, quæ vocatur remouens prohibens. Supponebant enim Deum sponte sua inductum, vt vellet, quantum id homines paterentur, saluare omnes, & consequenter innotescere omnibus salutis doctrinam, vt constat ex Prospero & Hilario: hanc ergo bonam Dei voluntatem, quæ apud illos respondebat Augustini *proposito*, causam esse prædicationis apud omnes, qui scirentur fructum eius non impedituri: Qui verò scirentur impedituri, eo ipso causam suppeditare seu rationem, cur nollet apud eos Christus frustra spargi diuini verbi semina. Hæc erat Augustini tunc, vt quidem

quidem Massilienses putabant, germana & ab ipsis approbata sententia, quæ nihil omninò facit ad concordiam diuinarum prædefinitionum cum libertate humanarum actionum.

C. Id quod ampliùs explicatur & confirmatur. Quia quoties per Scientiam Mediam conciliatur diuina prædefinitio cum libertate humanæ operationis, Id quod dicitur præscitum, est hoc ipsum, quod est deindè prædefinitum. E. C. Præscit Deus hominem liberè conterendum, si talis ei cogitatio tali tempore ac loco inspiretur: dicitur ergo posse tunc prædefinire liberum illum contritionis actum, ac facere sua prædefinitione vt qui erat conditionatè ac liberè futurus, fiat absolutè atque liberè futurus, beneficio illius inspirationis. Atqui apud Semipelagianos aliud est præscitum conditionatè, aliud autem prædefinitum seu decretum. Nam in paruulis conditionatè præscita sunt merita bona & mala: prædefinita verò collatio & subtractio baptismi. In adultis præscita est futura conditionatè credulitas & incredulitas; prædefinita verò propositio & non propositio Euangelij: Eodemque modo semper philosophantur de præscientia ista conditionata, quo de absoluta: quam non adhibent ad dirigendam prædefinitionem eius rei, quæ præscita est, sed dicunt v. g. fidem absolutè præscitam, esse causam cur decernatur gratia comparandæ sanctitati deinceps necessaria: Et perseuerantiam similiter præscitam, esse causam cur decernatur gloria: & ita nunquam inuenientur dixisse prædefinita eadem esse, quæ præscita conditionatè fuerant: quod tamen necessarium est, vt beneficio talis præscientiæ censeantur conciliasse prædefinitionum efficaciam, cum libertate actionum prædefinitarum.

Semipelagiani alia omnino dicebant esse conditionatè præscita, alia verò prædefinita.

CI. Nam quòd dicit Prosper in ea quæstione, quam Augustino proponit, quasi ea esset sententia Semipelagianorum, *an ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita*, clarum est eo sensu dictum, non quòd Semipelagiani proposita quædam dicerent postquam essent conditionatè præscita: sed quòd ea, quæ Augustinus &

Catholici contendebant esse proposita in præparatione gratiæ, & eatenus tantùm præscita absolutè; Semipelagiani dicerent esse absolutè præscita independenter à gratia, non autem proposita: cuiusmodi sunt initium fidei, & vsque in finem perseuerantia, vti antea ostensum est.

CII. Atque hæc eò fuere paulò fusius edisserenda, quod Aduersarij hoc tanquam necessario fundamento nitantur, vt doctrinam de Scientia Media, deque illius vsu in concilianda diuinarum prædefinitionum efficacia cum libertate actuum prædefinitorum sicuti propriam Semipelagianorum & Augustino contrariam traducant: sed spero persuasum iri erudito Lectori, vt scire velit, ecquid illi respondeant superioribus argumentis, quibus contrarium conuincitur, & qua etiam ratione, id, quod ipsi assumunt, probent; distinguantque inter præscientiam absolutam, & scientiam conditionatam. Quia, quàm certum est illos per præscientiam absolutam exposuisse, quomodo nobis esset libera tum gratia iustificationis, tum ipsa gloria; cum dicerent gratiam iustificationis impetrari præscita voluntate credendi, & desiderio sanctitatis à gratia independenti: & gloriam decerni intuitu perseuerantiæ similiter præscitæ atque independentis à gratia; tam est certum, nunquam vsos scientia conditionata operationis alicuius liberæ, vt cum eiusdem libertate prædefinitionem componerent: neque id Aduersarij vel probauere hactenus, vel deinceps vnquam probaturi sunt.

CIII. Et verò Collegij Salmanticensis Theologus nullam eiusce rei probationem vsquam dat: sed cùm supposuisset Semipelagianos minimè abusos absoluta præscientia futurorum meritorum, quotiescunque deindè apud eos, qui vel referunt, vel refutant eorum sententiam præscientiæ nomen legit, conditionatam ita interpretatur, quasi ea res aut concessa iam esset, aut minimè dubitabilis. Atque ex hoc principio mirum est, quas & quantas deindè ratiocinationes deducat.

1. p. quæst. 14. disp. 20. art. CIV. P. Ioannes à S. Thoma conatur quidem id probare, » sed vide quam efficaciter. Quod ergo, *inquit*, Massilien-

ses per scientiam mediam conciliarent nostram liberta- „ tem cum voluntate diuina & decreto ac prædestinatione, „ constat, tum quia tollebant omnem infallibilitatem per „ modum causalitatis à diuino decreto erga perseueran- „ tiam nostram, & erga numerum electorum & alios effe- „ ctus gratiæ, & solùm concedebant infallibilitatem præ- „ scientiæ: tum quia, &c. En tibi primum argumentum, „ quod in hanc formam reduci potest. Qui tollit infallibilitatem per modum causalitatis à diuino decreto erga perseuerantiam nostram & alios effectus gratiæ, & solùm concedit infallibilitatem præscientiæ, ille per scientiam mediam conciliat libertatem nostram cum diuina voluntate. Sed Massilienses tollunt, &c. Ergo Massilienses per scientiam mediam conciliant libertatem nostram cum diuina voluntate. Vbi vides maiorem esse ipsa conclusione obscuriorem, & magis ambiguam. Quæ insuper implicat. Quia qui conciliat libertatem nostram cum diuina voluntate per scientiam mediam, relinquit in illa diuina voluntate infallibilitatem siue infallibilem causalitatem respectu consensus nostri vt absolutè futuri, pendentem ex præscientia illius vt futuri conditionatè. Ergò qui omnem huiusmodi infallibilitatem tollit, tollit rationem conciliandi voluntatem diuinam cum libertate nostra. Ergò qui ita conciliat, non conciliat. Est etiam ille terminus in maiori æquiuocus, *præscientiæ*, cùm accipi possit vel de absolutâ vel de conditionatâ.

3. pag. 636.

Argumentum inuolutum & captiosum.

Iam in minori quod dicit, Massilienses sustulisse infallibilem causalitatem diuinæ voluntatis respectu perseuerantiæ & aliorum effectuum gratiæ, captiosum est. Videtur enim velle, illos quidem admisisse causalitatem, sed non infallibilem; & gratiam similiter, sed non efficacem illam: Cùm tamen constet ex dictis negasse illos tum gratiam, tum gratuitam omnem voluntatem antecedentem respectu perseuerantiæ, & aliorum effectum, qui sunt apud nos effectus gratiæ, cuiusmodi est initium fidei. Hoc volebant cum dicerent, remoueri omnem industriam *si diuina constitutio humanas præueniat voluntates*. Vnde quod additur admisisse illos infallibilem præscientiam,

de absolutâ maximè intelligendum est; qua dicebant præsciri fidem inchoatam, & exinde gratiam decerni ad ea quæ debent consequi: præsciri etiam perseuerantiam, & exinde decerni gloriam, vt antea ostensum est. Vnde patet hoc argumentum ipsâ Massiliensium gratiâ inefficacius esse.

Supra §. 1.

CV. Secundum argumentum paulò distinctius est, cum „ dicit Tum quia dicebant, remoueri nostram industriam „ ac libertatem, si diuina constitutio seu decretum Dei, „ nostras præueniat voluntates; posse verò admitti præde- „ stinationem & decretum secundùm præscientiam. Quasi diceret; Qui putat tolli libertatem, si diuina constitutio nostram præueniat voluntatem; non tolli verò si constitutio illa sit secundum præscientiam, ille conciliat Dei voluntatem cum nostra libertate per scientiam mediam: sed Massilienses hoc putant. Ergo: Sed distinguo maioris partem illam, *Qui putat non tolli, si diuina constitutio sit secundùm præscientiam*: vel enim constitutio illa tendit in actionem nostram; vel in aliquid aliud ex actione consequens: si tendat in actionem nostram ita vt eadem sit actio constituta, quæ supponitur præscita; ille, inquam, qui sic philosophatur conciliat diuinam voluntatem cum libertate per scientiam mediam, concedo: si tendat in aliquid aliud ex actione nostra consequens, ita vt præscientia sit de vnâ re, & constitutio de alia; tunc qui sic philosophatur, conciliat diuinam voluntatem cum libertate nostra per scientiam mediam, nego. Sed Massilienses hoc putant, id est, putant diuinam constitutionem ita esse secundum præscientiam, vt eadem actio nostra dicatur constituta, quæ supponitur præscita, nego: Ita vt præscientia sit de vnâ re v. g. de nostra actione; constitutio vero de aliquo alio ex actione nostra consequente, vt est præmium, concedo. Dicunt enim præscientiam esse de fide nostra inchoata, constitutionem verò de gratia danda deinceps ad sanctitatem quæ sequi debet; Item dicunt præscientiam esse de perseuerantia: constitutionem verò de gloria: & ideo nego consequentiam; nec quicquam affert P. Ioannes à Sancto Thoma, quo ea distinctio

Iam ostensũ est Massilienses alterius rei scientiam conditionatam: alterius verò prædefinitionem seu diuinam constitutionem admittere.

impugnetur. Habet verò quo confirmetur etiam euidenter. Expendantur enim verba illa, quæ hoc loco recitat ex Prospero. Qui autem credituri sunt, quique in ea fide „ quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda permansuri; „ præscijsse ante mundi constitutionem Deum, & eos præ- „ destinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos „ futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse „ præuiderit. Vide an non alterius rei præscientiam ponat, „ & alterius prædestinationem? An dicat prædestinatam esse vel illam fidem, quæ præscita erat, vel illam perseuerantiam? An vllam omninò prædestinationem ponat circa alterutram? Atqui erat ita faciendum, vt repræsentaret Massilienses per scientiam mediam conciliantes diuinam constitutionem circa fidem vel circa perseuerantiam cum earum libertate.

CVI. Et ideo quod subdit iste Auctor recitatis illis Prosperi verbis quibus dicit ex sententia Semipelagianorum gratiam vocantis operari secundum præscientiam de humanis meritis. *Ecce operatio vocationis posita iuxta præscientiam nostri consensus*, nihil est, nihilque demonstrat, nisi frustra ipsum argumentari. Merita enim illa ideo vocat *humana* Prosper, quia putabantur à Massiliensibus non esse à gratuito Dei auxilio dependentia, & Massilienses dicebant *gratiam vocantis operari secundùm præscientiam illorum meritorum*, non quod prædefinirentur actiones meritoriæ, quæ fuerant præscitæ, hoc enim nullo vnquam loco indicatur: & merita ita prædefinita essent, & non essent humana; sed quia intuitu meritorum ita præscitorum decerneretur vlteriùs quidpiam aliud, vt sæpe dictum est: vel quia ex defectu talis præscientiæ sequeretur etiam subtractio gratiæ, vt in nationibus, quæ in præteritis sæculis dimissæ essent ingredi vias suas; vt Prosper loquitur. Nam quod ex sententia Massiliensium ijs nationibus, quarum credulitas erat conditionatè præscita, si Euangelium eis proponeretur, daretur internum Dei adiutorium ad credendum, & fides ipsa prædefiniretur ex tali præscientia, vt iste Auctor supponere videtur; nos è contrario & nusquam probatum, & ex contraria proba-

Secundum præscientiã fidei censent Massilienses gratiam vocantis operari sãctitatem, & secundum præscientiã perseuerãtiæ decerni pariter gloriam.

tione falsum esse supponimus. Quin etiam contendimus præscientiam conditionatam futuræ credulitatis minimè adductam esse, vt defenderetur fidei libertas; sed vt ostenderetur, quomodo ita credituri non impedissent externam Euangelij propositionem, quam impedierant alij, quibus ideò dicebant non promulgatum, quia nec fuerat acceptandum: itáque conabantur Semipelagiani, non conciliare libertatem cum prædestinatione, sed obiectionem repellere acceptationis personarum.

Et intelligunt præscientiam absolutam.

CVII. Atque ita concidit tandem, quod proponit vltimo loco, dum probat Massilienses *admisisse decretum Dei innixum præscientiæ illi quam ipsi ponebant*, ex his Prosperi „ verbis. Penè omnium par inuenitur & vna sententia, quâ „ propositum & prædestinationem Dei secundùm præ„ scientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris, „ alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præ„ uiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset „ voluntate & actione præscierit. Quibus verbis hunc adhibet commentarium P. Ioannes à Sancto Thomâ. „ Supponendo ergò præscientiam illam consensus seu vo„ luntatis humanæ ante decretum, quæ vtique est scientia „ media, admittebant ipsi propositum & prædestinationem „ Dei, quam dicebant tollere libertatem, si præueniret, „ humanas voluntates. Sentiebant ergò quod si non præ„ ueniret, sed præsupponeret præsciendo quid faceret vo„ luntas, & sic decerneret; quod non tollebatur libertas. „ Conciliabat ergò libertatem nostram cum decreto Dei „ mediâ illâ præscientiâ. Sed deberes probare, mi Pater, *præscientiam* illam de quâ loquitur Prosper esse conditionatam, ego enim contendo esse absolutam, vti ostensum est anteà primis duabus propositionibus. Et similiter erat probandum illud *propositum*, esse propositum fidei vel perseuerantiæ, cum tamen Prosper significet esse propositum gloriæ, cui comitetur damnationis decretum, quo aliqui fiunt vasa in contumeliam. Nam si esset propositum fidei, vel liberæ perseuerantiæ, non posset ab aliâ scientiâ dirigi, quàm conditionatâ & mediâ: & ita benè sequeretur tum illius fidei, tum illius perseuerantiæ

libertatem beneficio ſcientiæ mediæ cum tali propoſito compoſitam fuiſſe; quâ de re nulla fuit vnquam, quod ſciamus, Maſſilienſium cogitatio. Sed cùm dicatur eſſe tum propoſitum gloriæ, tum decretum damnationis, quis non videt, præſcientiam, quam vtrumque præſupponit exitus finalis, eſſe abſolutam; cuius beneficio ideo ſtet vtriuſque libertas, quia hoc aut illo modo è vitâ diſcedere ſupponitur eſſe liberum? Gratuita igitur eſt & commentitia interpretatio, quâ dicitur, *præſcientiam conſenſus humani*, de qua loquitur Proſper, *quod ſit antè decretum*, eſſe ſcientiam mediam: quia quàm certum eſt præſcientiam conſenſus humani, quæ eſt antè decretum ipſius conſenſus, vel gratiæ ad illum neceſſariæ, vel etiam communis concurſus, eſſe ſcientiam mediam, tam eſt falſum non eſſe abſolutam, ſi dirigat decretum præmij, vt dirigit decretum pœnæ tali conſenſui reſpondentis.

CVIII. Et ideo, quod ſubdit hic Auctor, *ſentiebant ergo quòd ſi* propoſitum & prædeſtinatio *non præueniret* præſcientiam, *ſed præſupponeret, præſciendo quid faceret voluntas, & ſic decerneret; quod non tollebatur libertas*, Omnino ita eſt; ſentiebant ſi propoſitum, quo aliqui fiunt vaſa in honorem, alij vaſa in contumeliam, non præueniret ſed ſupponeret abſolutam humanæ voluntatis in exitu finali præſcientiam, nec ipſius voluntatis immediatam libertatem, neque præmij aut pœnæ mediatam tolli. *Conciliabant ergò*, inquit, *libertatem noſtram cum decreto Dei media illa præſcientiâ*, quæ non erat media ſed abſoluta; concedo. Atque hinc ſequitur vſum ſcientiæ mediæ in ſeruanda humani arbitrij libertate nunquam fuiſſe à Sancto Auguſtino, dum contra Semipelagianos diſputat, reiectum: ſiquidem ille non aliud reiecit, quàm quod erat à Proſpero & Hilario propoſitum.

CAPVT V.

An ex effectibus Augustinianæ doctrinæ sequatur Augustinum fuisse scientiæ mediæ contrarium.

CIX.  Heologus Collegij Salmanticensis postquam intuitus est Augustini *faciem*, vt in ea legeret condemnationem scientiæ mediæ, illius quoque vestigia explorat, dum ab effectibus argumentatur; ne cui dubium esse possit, quin eum habuerit probè cognitum, nempe totum, & vt dici solet, à capite ad calcem perspectum. Hoc autem argumentum fusè prosequitur dubio 34. disp. 10. maiore verborum copia & cogitationum repetitione, quàm deceat scholæ limam & contractam dialecticorum manum; sed inquirendus nobis est tractandusque rationis neruus.

§. I.

Reijciuntur duo modi quibus Aduersarius intentum probare nititur.

DVobus ergò modis concludit ex effectibus Augustinianæ doctrinæ colligi, & quidem *cum magna certitudine*; iuxta ipsius Augustini mentem reijciendam esse scientiam conditionatam, quæ sit antè decretum efficax & conditionatum diuinæ voluntatis. Primò suppositis ijs
num. 60. quæ dicimus ipsi, beneficio scientiæ mediæ facilem esse concordiam diuinorum decretorum cum humani arbitrij libertate; seclusâ verò huiusmodi scientiâ esse admodum difficilem. Secundò idipsum per se ipse concludit, non habitâ ratione eorum quæ ipsi damus.

CX.

CX. Priori modo sic argumentatur. Incredibile est doctrinam, quæ mirum quantum fauet libero arbitrio, dare ansam desperationis, quasi conclamatâ iam libertate: sed doctrina per quam traditur Scientia Media, mirum quantum fauet libero arbitrio, vt ipsi fatemur: Ergo incredibile est doctrinam per quam traditur Scientia Media, dare cuiquam ansam desperationis, quasi ea destrueretur libertas. Sed Augustini doctrina dat talem occasionem Massiliensibus, ex Prospero & Hilario; ergo Augustini doctrina, non est doctrina per quam traditur Scientia Media. Hoc est primum argumentum, quo putat Aduersarius produci *magnam certitudinem.* Num. 61.

Sed imprimis accipio id quod ipse paulò antè concessit: Massilienses Augustini doctrinâ *immeritò* turbatos, vnde Respondeo, Distinguo maiorem. Incredibile est doctrinam mirum quantum fauentem libero arbitrio dare cuiquam ansam desperationis, *meritò*, concedo; *immeritò*, nego: sed doctrina nostra de Scientia Media mirum quantum fauet libero arbitrio; concedo minorem: Ergo illa non dederit ansam cuiquam turbationis, *meritò*, concedo; *immeritò* nego. Et cùm subsumitur. Sed Augustini doctrina dedit talem occasionem Massiliensibus, similiter distinguo, meritò nego; immeritò, concedo. Ergò non est doctrina per quam traditur Scientia Media, nego consequentiam. Suaris doctrina de prædestinatione *ante præuisa*, tota nititur Scientia Media: & tamen Vasquez, Lessius, Becanus, & alij, qui malunt prædestinationem fieri *post præuisa*, putant illam minus consentaneam esse hominum libertati, & ingenerare desperationem aliquam si publicè proponatur. Adeóne videtur insanus istorum timor, vt in Massilienses cadere non potuerit? Sine causa turbati sunt Massilienses Augustini doctrinâ.

CXI. Secundo Respondeo. Distingo iterum maiorem. Incredibile est eam doctrinam quæ cum magna perspicuitate saluat arbitrij libertatem, esse cuiquam desperandi occasionem, habenti rectam de conceptu libertatis sententiam, concedo: non habenti, nego. Et concessa minore; respondeo cum eâdem distinctione ad consequentiam. Et cùm subsumitur, doctrinam Augustini fuis- Et ex falsa libertatis imagine.

se occasionem desperandi Massiliensibus, distinguo, habentibus rectam de conceptu libertatis sententiam; nego: non habentibus, concedo: vnde nego consequentiam. Iam vidimus idem fuisse Massiliensibus arbitrium esse liberum, & non indigere vllo gratiæ adiutorio ad inchoandum salutis negotium, aliquo saltem desiderio & conatu credendi: cùm ergo crederent ipsâ præcisè gratiæ necessitate libertatem tolli, quæcunque tandem esset eius efficacia; consequens est vt eâ tantum ratione sperarent integram esse libertatem, quâ tolleretur gratiæ necessitas. Ergò cùm Scientia Media nullo modo tollat necessitatem illam, sed potiùs supponat; consequenter, non putauerint persuasione Scientiæ Mediæ intelligi posse concordiam liberi arbitrij, cum prouidentiâ Dei qualem Augustinus proponebat.

Supra.

CXII. Tertio Respondeo. Transeat maior, distinguo minorem, Doctrina per quam traditur Scientia Media mirum quantum fauet libero arbitrio, redacta in vsum intelligendæ concordiæ libertatis cum diuinis decretis, concedo: non redacta, nego. Ergò incredibile est doctrinam illam fuisse occasionem desperationis Massiliensibus, redactam in eum vsum, quem dixi, concedo: non redactam, nego. Sed Augustini Doctrina fuit talis occasio. Esto. Ergò non fuit illa per quam traditur Scientia Media, in eum vsum quem dixi redacta, concedo; non redacta; nego. An non hoc ipsum est, quod Molina concedit, quodque tanquam ab eo superbè dictum exaggerari consueuit ab Aduersariis, rationem hanc tuendæ libertatis non fuisse *datam & explanatam* ab Augustino contra Pelagianos disputante? Nonne hîc ipse Auctor fatetur. „Quamuis coaceruatis viribus contendamus Augustinianam esse doctrinam de Scientia Media, nullum tamen „adhuc inuentum inter nos, qui planè assereret Augustinum cum Pelagianis eorumque reliquis disputantem, „vsum fuisse Scientia Media vt libertatem cum gratiâ conciliaret? Cùm ea scientia in tantum prosit intelligendæ concordiæ libertatis cum gratiâ, in quantum reducitur in illum vsum; contra negantes fuisse ab Augustino re-

Scientia Media non erat olim, vt nunc est, redacta in vsum explicandæ ac defendendæ libertatis.

Num. 63 loco cit.

dactam, quid concludit argumentum ex eo petitum, quod Augustini doctrina non ademerit hæreticis timorem perdendæ libertatis?

CXIII. Sed quare, inquit, non est eâ vsus Augustinus? Quia modus ille quamuis prodesse multum possit, non sufficiebat tamen reducendis hæreticis; qui cùm dicerent destrui libertatem si necessaria esset gratia, neque homo posset per se ipse saltem inchoare, atque in beneficiis perceptis perseuerare; Scientia Media, quæ necessitatem hanc nullo modo tollit, consequenter nec sustulisset metum amittendæ libertatis: profuisset tamen persuaso quodam efficaciæ modo, vnde minus esset timendum. Secundò. Non est eâ vsus Augustinus, quia intentus fuit in id quod maximè intererat. Plurimùm autem referebat ad laudem gloriæ gratiæ Dei, ne illius necessitas prætextu libertatis tuendæ negaretur. Ergo cùm à Massiliensibus partim saltem negaretur; in eius probationem Augustinus totus incubuit duobus libris de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ. In hisce verò controuersiis hoc potissimùm spectatur, vt persuadeatur id esse quod credendum est, quia deinceps submittendum est iudicium, in obsequium fidei, quamuis nesciatur, quo id tandem modo fiat. Ergò probata certissimis argumentis gratiæ necessitate, & consequenter eius cum libertate concordiâ; non magis laborandum fuit Augustino, vt concordiæ illius modum explicaret, quàm nobis laborandum modò sit probatâ corporis Christi in sacramento Eucharistiæ præsentiâ, vt persuadeamus hæreticis qui eam negant, sitne illa definitiua, an vt aliqui Nominales voluere, circumscriptiua. Tertiò, Si Theologicam cogitationem nullam Deus reliquam fecit quam sæculis succedentibus suggereret Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, sed omnes infudit Augustino; quare non hæremus in eadem quâ ille dubitatione circa septiduum creationis Mundi: circa propagationem animarum ex traduce: circa naturam & simplicitatem Angelorum; aliasque id genus quæstiones, quarum apud omnes modò indubitata ferè solutio est? Absit vt ego Augustino præ-

Neque ad hoc sufficere poterat supposito Massiliensium errore.

Erat tamen & cognita ipsa, & aliquis eius vsus.

ponendum aliquem putem eorum qui successerunt, sed ne æquandum quidem: at multùm interest, vtrum dicas collata in eum esse scientiæ dona longè plura quam cæteris, an omnia: item, vtrum successuris omnibus citra comparationem pauciora seruata esse, an nulla; vt crimen sit, quod alij radium quendam videre se putant, ex Augustini sole non emissum. Sed ne hoc quidem putant, qui huius concordiæ modum defendunt: nam & Scientiam Mediam non obscurè probant ex Augustino: & iuxta illam apud eundem legunt efficaciter vocatos, *quos Deus ita vocat quomodo scit congruere, vt vocantem non respuant.* Exinde autem non difficilè colligitur Deum huiusmodi congruæ vocationis conscium prædefinire posse consensum illæsa libertate. Vnde fit, vt qui ea collectione vtitur ad intelligendam prædefinitionis concordiam cum libertate, dum negat ita expressam esse apud Augustinum eius formam, nihilo se illi magis præferat, quàm se præferret Maroni, qui diceret, ex quibusdam eius dictionibus se versum composuisse, qui apud illum non extaret; vel Tullio, qui compilatis ex illo phrasibus periodum recitaret nusquam ab eo dictam. Præcipitis ergo iudicij est, & charitatis illâ minoris quæ sanctos decet, arroganter dictum interpretari, quod huius formam solutionis, quâ libertas actionum prædefinitarum beneficio Scientiæ Mediæ iam defenditur, negent aliqui vsurpatam ab Augustino: dum non negant vsurpatam esse aliam, quæ magis erat necessaria magisque apta refellendo errori qui tunc erat; & quo non tantùm vnus quidam efficaciæ modus, sed ipsa omnino gratiæ diuinæ necessitas negabatur. Quartò, Est hoc etiam aduertendum, methodum scholasticam, quæ post Augustini tempora cœpit, obtinuitque Academias omnes, dum aliam formam dat iis difficultatibus quæ contra receptam Ecclesiæ doctrinam proponuntur, coegisse Catholicos disputatores alios quoque modos inuenire solutionum. Quam inuentionem qui putant iniuriosam esse Augustino, idem mihi facere videntur, quod illi, qui sine Scipionum & Cæsarum iniuriâ dici posse negarent, esse iam

Alio iam modo proponuntur in scholis difficultates ad concordiam libertatis cum proui-dentia spectantes: Et ideo alij quoq; fue-

aliam instruendæ aciei rationem, quàm fuit tempore fundarum & ballistarum. Dicant nobis Aduersarij vbinam legantur Massiliensium termini illi, notionesque ac syllogismi, quibus modò conficitur non posse stare libertatem cum diuinis prædefinitionibus: & tunc videbimus quo-nam potiùs soluendi modo fuerit vsus Augustinus, an ipsorum, an nostro.

re quærendi solutionum modi.

CXIV. Secundum argumentum primo implexum cum eo vnum faciebat: sed distinctionis gratiâ proponam illud seiunctum ab alio, exutisque inutilium verborum impedimentis. Ita igitur habet. Doctrina, quæ præ se fert libertatis præiudicium saltem apparens, eique opponitur quæ facilem exhibet optatæ concordiæ rationem, illa est quæ turbauit Massilienses: Sed quæ negat scientiam mediam, ponitque decreta ex se efficacia antè præuisionem cuiuslibet consensus creati, præ se fert libertatis præiudicium saltem apparens, eique opponitur, quæ facilem exhibet optatæ concordiæ rationem, vt ipsi quidem putamus: Ergo doctrina quæ negat scientiam mediam, ponitque decreta ex se efficacia ante præuisionem cuiuslibet consensus creati, ea est quæ turbauit Massilienses. Sed doctrina quâ illi turbati sunt erat Augustini: Ergo doctrina Augustini tollit scientiam mediam, ponitque &c. Dicitque auctor esse *id euidenter credibile*. Sed si Maior propositio sit vniuersalis, & isti æquiualeat. Omnis doctrina, quæ &c. falsa erit; si sit particularis, nihil concludit argumentum, cùm sit in primâ figurâ. Estque difficile ita componere hanc ratiocinationem, vt non habeat euidentem aliquem vel materiæ vel formæ defectum. Nam si concludas in hunc modum. Credibile est non aliâ doctrinâ turbatos Massilienses, quàm apparenter difficili & noxiâ libertati: Sed quæ negat scientiam mediam ponitque decreta antecedenter efficacia, est apparenter difficilis & noxia libertati: Ergò credibile est illâ turbatos esse; Debet minori addi particula exclusiua, & dici. *Sed illa tantùm* &c. quo modo est falsa. Quia, vt iam dixi, illa quæ ponit antecedentia decreta ex directione scientiæ mediæ, est apparenter difficilis & parum propi-

ibid. num. 61.

Inutile argumentum atque informe. Ne scientia quidem media tollit apparentia libertatis detrimenta.

tia libertati, eorum omnium iudicio qui docent prædestinationem post præuisa. Præterquam quod in Maiori debet subintelligi distinctio illa, si sunt meritò turbati Massilienses, concedo. Si sunt immeritò turbati, nego. Quod si velis ita etiam argumentari, Propositâ dublici ratione tuendæ libertatis alterâ facili apparenter, alterâ apparenter difficili, credibile est turbatos fuisse Massilienses apparenter difficili potiùs quàm apparenter facili. Et illa Maior vera est. Minor autem quid assumet? Sed proposita est duplex ratio Massiliensibus, altera quidem facilis apparenter, per vsum scientiæ mediæ; altera dificilis apparenter per negationem talis scientiæ: hoc verò falsum est; quia vt supra dixi, nunquam illi cogitarunt de præ-definitione liberæ actionis consequentis conditionatam, hoc est, mediam eiusdem præscientiam.

Commentitium periculum Augustini

CXV. Addit Aduersarius num. 63. confirmationem, seu potiùs superioris argumentationis repetitionem, in quâ dicit Augustinum non leue adiisse vitæ periculum, eo nomine quod eriperet hominibus libertatem. Sed nescio quibus ex monumentis periculum hoc iste Auctor eruerit. Satis enim ampla erat Augustinum inter & Massilienses fossa, mare scilicet mediterraneum. In Africa verò qui rumoribus suis, Massiliensibus præluserant, nihil immane, quod sciamus, contra illum tentarunt. Nisi forte cum Semipelagianis Donatistæ confunduntur.

Est & quædam insania clarorum virorum. Supra c. 3. §. 1.

CXVI. Et quod ibidem inculcat *egregios & claros* viros fuisse qui turbati sunt Augustini doctrina; nec nisi *insanos ac stultos* turbari potuisse illâ, quæ per scientiam mediam libertatem defendit, iam dixi, non *insanum* modò, sed *insanissimum* dici ab Augustino, quod isti *clari* dicebant de vi meritorum conditionatè futurorum. Item hoc etiam dixi ex hoc capite videri posse non esse Lessio, Becano, Cornelio à Lapide insaniores, qui turbantur etiam prædestinatione *antè præuisa*; quantumuis ea sequatur scientiam mediam. Atque ita si volumus eorum insaniam accusare, non deerit Augustini auctoritas; si malumus defendere sapientiam, præstò est eorum exemplum, qui hoc nomen egregie sustinent. Sed hoc etiam semper re-

gerendum, Augustinum neque vsum scientiâ mediâ in conciliandâ libertate cum decretis Dei, neque doctrinâ illi contrariâ. Sed eâ, quæ Massiliensium errori directè opponebatur, & gratiæ necessitatem ac decretorum, sine quibus gratia nec præparari nec dari potest, probabat; quicunque tandem esset efficaciæ modus, quod illi contenderent voluntatem, vt esset libera, esse debere independentem.

CXVII. Secundum argumentum, quod nobis est Tertium in idem ferè recidit & sic habet. Duo effectus sequuti sunt ex Augustini doctrinâ, turbatio illa & querelæ clarorum virorum; & studium congerendi testimonia tum ex alijs tum ex Augustino contra ipsum Augustinum: At ijdem effectus sequuti sunt ex doctrina denegante scientiam mediam, & ab adstruente decretorũ efficaciam ab illa independentium tempore Molinæ. Ergo signum est doctrinam denegantem scientiam mediam assertâ diuinorum decretorum ab illâ independentium efficacia, conformen esse doctrinæ Augustini. *Consequentia* inquit, *videtur cùm credibilitate & certitudine sequi ex duabus præmissis.* Quibus verbis perspicuè fatetur nullam esse huius argumentationis formam; quippe cùm eâ stante de consequentia nemo debeat esse sollicitus. Et verò tota hæc ratiocinatio reducitur ad argumentum hoc. Ex Augustini doctrina sequuntur effectus recensiti: Ex doctrinâ negante scientiam mediam ijdem consequuntur: Ergò Augustini doctrina eadem est, cum doctrina negante scientiam mediam. Cuius argumenti conclusio tantâ *credibilitate & certitudine* sequitur ex præmissis; quanta sequi potest ex præmissis affirmatiuis in secunda figura. Erit verò forma legitima hoc assumpto principio, sed falso: Non potest non eadem esse doctrina ex qua sequuntur ijdem effectus; sed ex doctrinâ Augustini, & illa quæ negat scientiam mediam, sequuntur ijdem effectus: Ergo non potest non esse eadem doctrina & quæ est Augustini, & quæ negat scientiam mediam. Similia nonnunquam peccata contra summulas alibi etiam occurrunt quibus colligas Complutenses non semper adstitisse Salmanticensibus. Moneo

num. 64.

Hoc quoque argumẽtum informe.

tantùm Caluinum eodem modo argumentaturum contra Patres Tridentinos ac dicturum. *Ex nostra, nouorum Apostolorum, doctrina sequuta est eadem turbatio quæ olim ex doctrina Augustini circa liberum arbitrium: signum igitur est valde credibile nostram & Augustini doctrinam eandem esse.*

CXVIII. Posteriore modo, & nulla ratione habita eorum quæ ipsi vltrò concedimus, probat Aduersarius *ex effectibus doctrinæ Augustini & ex alijs signis satis colligi ipsum absolutè & simpliciter loquendo contra scientiam mediam stare.* Et erit nobis argumentum hoc ordine Quartum: si tamen numerum facere potest, quod nihil continet ab alijs diuersum. Præclari, inquit, viri illi, vt ex Prospero constat, turbati sunt ea doctrina, qua dicebatur diuina constitutio præuenire humanas voluntates, quæque ob eam causam sub nomine prædestinationis videbatur inducere fatalem necessitatem. Ergò doctrina illa, quæ Augustini erat, & ex qua huius turbationis occasionem illi sumpserant, admittebat decreta ex se efficacia ante consensum voluntatis humanæ, atque adeò scientiæ mediæ repugnabat. ℟. Concesso antecedente nego consequentiam. Et dico, voluntatem quæ præparat gratiam ad benè agendum necessariam ex misericordia Dei & non secundùm merita recipientium; esse illam constitutionem diuinam qua Massilienses nolebant humanam præueniri voluntatem, ne fatalis induceretur necessitas, vt latè ostendi ad tertiam propositionem. Illa verò constitutio nullo modo destruit scientiam mediam. Ergo constitutio, quam illi fatalem putabant non destruit scientiam mediam.

Quæcumque gratuita constitutio diuinæ voluntatis Massiliensibus est fatalis visa.

CXIX. Et cum instatur. Si Dei constitutio dirigeretur à scientia media, itáque supponeret consensum conditionatè futurum, neque dicenda esset præuenire voluntatem, nec habere quidquam fatale. ℟. negando primam partem, & distinguendo secundam. Constitutio enim illa & antecedit consensum vt absolutè futurum, & supponit gratiam eidem præsuppositam, etiam vt est conditionatè futurus; quod sufficit vt improbetur ab ijs qui non putant voluntatem esse liberam in eo in quo dependet à gratia:

Prædefinitio libri actus est illo prior vt absolutè futuro etiã si non sit prior vt futuro conditionatè.

gratiâ: nec vllam esse debere gratuitam constitutionem nisi post absolutam alicuius meriti præscientiam. Nam quod dicitur constitutionem illam non continere quidquam fatale, reipsâ & si benè intelligatur eius attemperatio ex directione Scientiæ Mediæ, concedo: In speciem, & attemperatione illâ nec propositâ nec intellectâ, nego. Iam autem visum est modum illum concordiæ nec esse intellectum à Massiliensibus, nec propositum ab Augustino, intento refutationi magis necessariæ, tuendæque diuinæ gratiæ necessitati.

CXX. Sequitur argumentum ordine Quintum petitum ex auctoritate triginta Doctorum illorum, qui iussu Clementis VIII. conuenerunt ad ferendam super hac controuersiâ sententiam, tandémque conclusere Scientiam Mediam Augustino repugnare vno aut altero excepto. Huius autem sententiæ circumstantias omnes expendit multis magnisque ponderationibus Aduersarius, vt obtineat standum esse iudicio *virorum adeò grauissimorum*. Sed quia narratio hæc sequenti disputatione accuratiùs est examinanda, interea hoc tantùm dicam, nimis exaggeratam esse istorum Doctorum laudem, dum dicuntur *adeò grauissimi*, quia sine dubio viderentur sibi satis laudati, si tantùm dicerentur *adeo graues*. Deinde peto quonam abierit ille Augustinus, qui tunc erat, & cuius linguæ centum oráque centum ita distinctè Scientiam Mediam insectabantur, vt triginta iudicum senatus vnanimi ferè consensu ex eius suffragio contra illam pronuntiarit? Exesa-ne sunt paucorum annorum vetustate testimonia tam perspicua tamque diserta, vt non liceat modò eandem ex illis Scientiæ Mediæ eruere condemnationem? Quid igitur causæ fuit, vt cùm efficaciora quæreret iste Auctor, quo-cum disputamus, eamque ob causam in faciem Augustini diligentiùs intueretur; duo tantum protulerit, quorum alterum nullo nostro labore, sed ipsorum, qui contra Scientiam Mediam coniurauere, interpretatione confutatur; alterum solutionem habet adeò manifestam, vt aduersariorum candor sperare faciat ingenuam inefficaciæ illius confessionem? Quod si

De iudicio Triginta Censorum Romanorum.

Quod hodie non potest ex Augustino probari, nec probari potuit tempore Clementis 8.

Supra. cap. 3. §. 1. & 2.

ea quæ propofuit iſte Auctor aptiſſima ſunt omnium quæ illis Doctoribus occurrere; quis non meritò timere poſſit, ne pro triginta qui Scientiam Mediam condemnauerunt, reperiantur facilè ſexaginta, qui abſoluant? Viuit nimirum adhuc Auguſtinus, idemque ſpirat ſemper in ſuis libris: nec fieri poteſt, vt aut dixerit tum aliquid quod non dicat modò, aut quod dicit modò, tunc non dixerit. Quærimus ergo, vbinam illud habeatur, quo vno continetur Scientiæ Mediæ damnatio, *Sollicitum eſſe Deum circa futura, quæ non ſunt futura, præſentique decreto decernere, non vt homines aliquid faciant, ſed vt facerent in tempore quod non erit, ne malis quidem operibus exceptis*: hoc ſi modò non inuenitur apud Auguſtinum, neque inuentum fuerit à triginta viris illis; inueniri autem; vt probent Aduerſarij, adhuc expectatur.

§. II.

De Non-Antiquitate Scientiæ Mediæ.

CXXI. DIſputatione decima citatâ, dubio ſexto, ſeptimo, & octauo, fusè probat Aduerſarius hæc. 1. Non eſſe verum quod dicit Suarez, ſententiam, quæ Scientiam Mediam tuetur, Auctoritate Antiquorum Scholaſticorum ita eſſe munitam vt contrariam ſuperet. 2. Nec item eſſe verum, quod dicit Herice, latuiſſe illam Scholaſticos antiquos, & à noſtris aſſidua Sanctorum Patrum lectione in lucem productam. 3. Neque Molinam audiendum, quando dicit & nouam & neceſſariam eſſe Scientiæ Mediæ cognitionem. 4. Cognitam reuera fuiſſe Scientiam Mediam, tum à Patribus, tum ab antiquis Scholaſticis, ſed à cunctis reprobatam, attentis omnibus, vt poſſit dici *ſcientia reprobationis*. Vnde ſequitur. 5. Sententiam, quæ illam negat, affirmanti præferendam. Num. 120.

CXXII. Vtitur autem in iſtorum probatione quatuor potiſſimùm argumentis. Auctoritate Thomiſtarum, Auctoritate aliorum Scholaſticorum, Auctoritate Concilij

Tridentini, atque etiam Romani Pontificis.

Auctoritate Thomistarum contra Suarem sic vtitur. Quia si verum esset, quod ille dicit, sequeretur Dominicanos Theologos *in amentiam & fatuitatem incidisse*, quando accusarunt apud Iudices Molinæ doctrinam, si ea iam à tempore Augustini perenniter fluxerat, eratque vulgò in scholis nota. Consequens autem est absurdum. Ergò & antecedens. Num. 95. DeThomistarum auctoritate in hac controuersia.

℞. 1. Argumentari hoc modo esse periculosum: seruandumque hoc loco prudentiæ militaris præceptum illud, ne vnquam hostem in eas angustias coniectum velis, in quibus experiri cogatur, quid possit desperatio; quo fugiat, pontem illi semper esse relinquendum vel argenteum. Et spero, non esse illum ab Aduersario denegan- quippe cùm ipsi etiam necessarius sit.

℞. 2. & retorqueo argumentum. Quia si verum est Scientiam Mediam probè cognitam fuisse Scholasticis antiquis, & *à cunctis reprobatam*, sequitur Patres Societatis, qui eam defendendam suscepere, reos esse insignis temeritatis, proiectæque audaciæ, dum amplectuntur doctrinam, *à cunctis scholasticis* reprobatam, dicique posse quodammodo datos in *reprobum sensum* qui *scientiam reprobationis* tanta contentione propugnant, stultos insuper atque ad fatuitatem vsque superbos, dum vetera scholarum omnium eiectamenta, veluti nouas industriæ suæ ingenijque merces afferunt ad has nundinas Theologorum. Consequens autem videtur absurdum. Ergo & antecedens. Hic ego, mi Pater, abs te peto, quâ fugere velis; eodem enim ponte Suarez elabetur.

℞. 3. Neque multos fuisse Thomistas, neque cæterorum omnium sapientissimos, qui litem hanc nostris intentarunt: sed vt euenire solet in castris, vt paucorum lixarum iurgia exercitum in partes scindant, atque adeò ductores ipsos: dum inexplorato rixantium iure signa tantum intuentur, æquitatem causæ præiudicantes ex colore vexillorum; ita factum hoc in negotio, vt priuata vnius Collegij disputatio duorum ordinum causa fieret, superuenientibus hinc indè subsidiis: dum nec alij patiuntur

in offensos esse Aduersarios, nec illi abire volunt indefensi. Nobis verò in hac causa fauorabile illud est, quod Aduersarij se Aggressores fuisse confitentur, quia & Accusatores. Et ideò hic Doctor Salmanticensis Collegij eo nomine putat minus esse nostris credendum quàm Thomistis, quòd nostri sint necessitate compulsi ad muniendam Scientiam Mediam, quæ nulla fuit in Thomistis ad impugnandam. Sed non aduertit, dum nostris attribuit necessitatem defensionis, iubere ipsum præstare Thomistas vexationis æquitatem: vt omittam, illa cogitatio quàm absurda sit, ipsorum tantùm nominum præiudicio minus credendum esse reo, quam accusatori; quod aliqua illum cogat negandi necessitas, nulla verò istum, accusandi.

Num. 92. & 133.

CXXIII. Sed neque illud è memoria perdendum, quod idem Auctor professus est, quamuis hæretici Scientiam Mediam tuerentur, non tamen *hæreticè*. Et quod addit P. à S. Thoma, quamuis non esset bonus illius vsus, quem habuere nobiscum communem, non fuisse tamen *erroneum*: Nempe Augustinus quoque Catholicum Disputatorem vocat illum, qui Scientiam Mediam & agnoscebat & ad suauem prouidentiæ modum intelligendum adhibebat. Accusati ergo sunt Nostri ob eam doctrinam, quam constabat *nec hæreticam esse, nec erroneam, neque nouam*. Et vt verbo dicam, capitale illis fuit, quod cum negare non possent scientiam conditionatam, non admiserint talia quædam in Deo decreta circa liberos hominum actus, *Volo si Euangelizaretur Tyrus, vt conuerteretur. Volo si ducerent Iudæi alienigenas, vt ab illis seducerentur*, &c. Negare has in Deo Voluntates Inquisitorum cognitione res digna fuit? Et nullus Scholasticorum veterum illas non admisit? Vnde

Pag. 613. dicit expurgatam à nostris Scientiam Mediam ab illa priori parte, quæ erat erronea.
Sunt igitur excitatæ turbæ contra doctrinam Aduersariorũ confessione & antiquã, & non erroneam.
Aug. de bono perseu. cap 10.

℞. 4. Ex his constare non quidem *amentiam aut fatuitatem* fuisse vllam in primis Scientiæ Mediæ Accusatoribus, absit vt eiusmodi probris inquinatos velim homines, quos potiùs & professionis & eruditionis nomine singulari honore prosequor; sed quod humanum est & interdum adhæret sanctis, festinationem aliquam fuisse maio

rem, quàm Nationis grauitatem maturitatemque deceat. Quod si res ea modò integra foret, nullus dubito quin essent lentiùs processuri, & defendendæ Scientiæ Mediæ copiam facturi liberrimam.

Et ne arrogantiam interpretentur, quòd vel Fonseca vel Molina dicatur aliquid vidisse apud Patres & Antiquiores Scholasticos, quod ipsi non viderunt.

℞. 5. In Epistola, quæ legitur in festo D. Thomæ, *infinitum* dici *thesaurum* sapientiæ, quem & ille versauit, & versant quotquot eius vestigiis insistunt; non potest igitur exhauriri humani vllius ingenij facultate, quæ omnis finita est, & infinitum finita detractione non absumitur. Ergo quantumcunque aliquis exindè trahat, remanet tamen quod extrahere alius quoque possit: nec vllius propria est illa gloria, quâ putetur ipse nihil reliquum fecisse, quod cæteri sumerent. Superbia igitur sit, non si quod ipse inueneris, neges inuentum ab aliis priùs; sed quod inani iactatione prædices aut maiorem cæterorum portionetuam esse, aut etiam parem. Hoc autem non dicunt, qui se in Antiquis Patribus & Scholasticis Scientiam Mediam eiusque aliquem vsum inuenisse dicunt, quem Thomistæ non inuenerant, dummodo illis aliorum etiam plurimum inuentionem concedant.

Non fieri antiquioribus iniuriam, dum dicuntur recentiores vidisse aliquid quod illi non viderant.

Denique, Id quod Suarez dicit, sententiam Scientiæ Mediæ assertiuam Antiquorum Scholasticorum Auctoritate niti præ contrariâ; eum tantùm habet sensum, vt credatur ea doctrina vel expressa ab Antiquioribus Scholasticis, vel supposita passim, vel cum eorum principiis ita connexa, vt eam minimè negaturi fuerint, si distinctè proponeretur. Id quod Aduersarij si dolent se non vidisse, ea se cogitatione consolari possunt; quod non sit, vt iam dixi, qui cuncta viderit.

CXXIV. Superiori ratiocinationi subnectit Aduersarius confirmationem petitam ex Auctoritate Scholasticorum etiam Societatis nostræ. Item Triginta Doctorum illorum de quibus suprà. Item etiam Clementis Summi Pontificis. Nostros enim Fonsecam, Molinam, Herice, Granadum atque alios fateri Scientiam Mediam latuisse anti-

Quomodo extare vel non extare dicatur apud Antiquos Scien-

quos Scholasticos; idipsum colligi ex iudicio triginta Doctorum; atque etiam Clementis Pontificis, qui accusationem accepit Molinæ, quum deberet potiùs Dominicanos repellere tanquam accusatores iniustos eius doctrinæ quæ communis esset. Sed nec ab aliis quidem fuisse ferendos hoc in iudicio persequendo, si res ita haberet, vt Suarez putauit.

... Media ... scientia.

Respondeo Suarem non putasse ita expositum esse hunc thesaurum apud Antiquiores Theologos, vt fodiendo non sit opus: non censet videlicet vllam hac de re, vti de cæteris, institutam disputationem. Locus igitur fuit examinandæ operarum industriæ in eruendo atque in apertum producendo quod occultum erat: neque illi statim reiiciendi, qui eam non probarent. Si diceret Suarez Magistrum sententiarum habere certas hoc de argumento distinctiones; si Diuum Thomam quatuor disputationes benè longas de illius possibilitate, quemadmodum Aduersarius quatuor distinxit de illius impossibilitate; si Diuum Bonauenturam quæstiones aliquot, si aliquot etiam Scotum, Gabrielem, Gregorium, &c. valeret ea, quæ nobis obiicitur coniectura: & magnæ insipientiæ fuisset, nouitatem accusare eiusce rei quæ passim apud Antiquos occurreret. Sed nihil tale Suarez asserit, nec aliter intendit apud plerosque Theologos antiquos Scientiam Mediam extare, quàm quomodo qui cœperunt de immaculata B. Virginis Conceptione seorsim disputare, contendunt eiusce controuersiæ definitionem ex Patribus colligi: & Augustinus ipse doctrinam de necessitate gratiæ apud Ecclesiasticos disputatores, vt ipse dicit, reperiri: & qui olim de vnitate personæ aut Voluntatum in Christo contra Nestorianos, Eutychianos & Monotelitas disputarunt, ex Auctoritate præcedentium scriptorum probari. Sicut ergò nec ideò insipientiæ damnantur, qui pugnant contra perpetuam B. Virginis sanctitatem: nec Augustinus ipse ideo stultus fuisse dicendus, quo tempore nondum intellexerat necessariam esse Dei gratiam ad initium fidei: nec illi hæretici amentes, quandiu contra Ecclesiæ, quæ tunc erat,

communem ſenſum obſtinata eorum pertinacia non reſtitit; ita neque ex eo quod Suarez affirmat, probatam eſſe Theologis antiquis ſcientiam mediam, ſequitur vlla ſpecies amentiæ, vel vt loquitur Aduerſarius *impudentiæ*, in ea ſollicitudine quæ mouit Thomiſtas, vt ſcire vellent, ecquid periculi afferret hæc doctrina: quod non putaretur ab illis, vt nec modò putatur, Auctoritate antiquiorum Theologorum eſſe vallata.

Atque ob eam cauſam ſummæ ſapientiæ fuit Summum Pontificem non repellere ſtatim accuſatores Scientiæ Mediæ; quod eſſet hoc ipſum explorandum, an ſcilicet erueretur hæc doctrina ex ſcriptis Patrum & Doctorum Eccleſiæ, vti dicebatur.

CXXV. Sed quid tandem ſibi vult iſthæc ratiocinatio, & quomodo illâ conficitur potiùs non poſſe verè aſſeri, quod dixit Suarez, quam idipſum non poſſe verè negari? Si verum eſt, inquis, debuit Pontifex abigere Thomiſtas, nec eorum accuſationem accipere. Et ſi falſum, non debuit abigere Ieſuitas, nec eorum admittere defenſionem? Quare meliùs ſequitur ex eo quod aliquid dicatur eſſe olim communiter aſſertum, impudentes eſſe qui nouitatem accuſant; quàm ex eo quod aliquid dicatur eſſe olim communiter *reprobatum*, impudentes eſſe, qui defendunt antiquitatem; Piget me argumentis adeò inutilibus confutandis immorari, quæ aliud nihil quam meliorum penuriam oſtendunt.

CXXVI. Suare debellato impugnatur Herice, dum dicit, *Scientiam Mediam latuiſſe Scholaſticos & à Noſtris à tenebris, in quibus iacebat, erutam diligenti Patrum aſſiduaque lectione.* Hoc autem impugnat duobus argumentis. Num. 102. & ſeq.
Primum petitur ex Auctoritate Scholaſticorum illorum, quibus Herice incognitam fuiſſe dicit Scientiam Mediam, quorum Catalogum texit ex Bellarmino, conſignatis quibus illi vixere temporibus ac locis: cumque numero illo comprehendantur S. Thomas. S. Bonau. & alij principes viri earum Scholarum, quæ ſuum hodieque nomen ſuſtinent; concludit, ſi quidem verum eſt reconditum fuiſſe Scientiæ Mediæ theſaurum apud Pa-

tres, *ita esse incredibile, vt dubitari nequeat*, quin ille fuerit inuentus à Theologis Scholasticis, præsertim à principibus illis, itáque perenniter fluxerit ad hæc vsque tempora. Quam ratiocinationem versat quatuor integris Columnis. Sed facilè conspicis, Optime Lector, quo tandem huius argumenti pondus vergat. Nempe ad hoc principium veniendum est. D. Thomas. D. Bonauentura. Scotus & alij nihil prorsus reliquerunt in thesauro. SS. PP. Augustini & aliorum, quod non eruerint ipsi: Sed in illo thesauro erat Scientia Media, vt Herice supponit: Ergo illam eruerint. Rursus nihil ipsi eruerunt, quod non communicauerint suis posteris, & quasi per manus illis tradiderint: Sed inuenerunt Scientiam Mediam, vt argumento confectum est: Ergo illam posteris per manus tradiderint. Quod tamen eos non fecisse constat.

Et ex dictis patet, vtramque ratiocinationem assumere aliquid quod minimè necessarium est. Non enim est necessarium hoc, post. D. Thomæ. D. Bonauenturæ, Scoti atque aliorum diligentiam, nihil superesse amplius, quod quisquam possit in thesauro Sanctorum Patrum inuenire. Quanquam de D. Th. dicam postea. Sed ita illum hoc in agro messuisse, nullam vt spicam reliquerit, vereor ne assentationi potiùs quàm veræ prædicationi sit tribuendum. Alterum etiam non est necessarium, nempe, si D. Thomas thesaurum illum inuenit, vt eundem explicitè, vt dicunt, posteris tradiderit; posset enim facta esse translatio de thesauro in thesaurum similiter absconditum; atque apud D. Thomam. D. Bonauenturam & alios latere, quod latet apud S. Augustinum & Patres cæteros.

Scriptores Antiqui sine assentatione.

CXXVII. At inquies hoc saltem necessarium est ad eorum gloriam, vt quod ipsi perinde quæsierunt, ac nuperi Theologi, dicantur potiùs inuenisse. Quæsiere autem rationem conciliandi prouidentiam cum arbitrij libertate: Ergo illam inuenerint: Ergo si ad hoc est necessaria scientia media minimè illos latuerit. ℞. Neque hoc

ipsum

ipsum esse necessarium ad gloriam S. Thomæ atque aliorum, vt dicantur illi potiùs inuenisse quod quærebatur, nisi hoc fortè sensu, nempe, quia inquisitionis huius laborem ita promouerunt vt ipsis potissimùm debeatur id quod alij reperere. Nam vt in auri-fodinis non maxima est illius gloria, qui venam tandiu quæsitam nactus est; sed eorum potiùs, qui adeò laborem produxere, vt propè abessent: ita in hoc sapientiæ thesauro fodiendo, qui boni aliquid nanciscuntur, tribuere debent eorum quibus successere diligentiæ potiùs quam suæ: quippe qui in laborem alienum introeuntes, indeque incipientes vbi desierant illi; perficere potuere, quod forte ne inchoassent quidem per se ipsi. Hoc si diffitetur Aduersarius, sententiam dicit in omnes, qui quocunque in genere studiorum literarumque publicos esse volunt laborum suorum fructus: licebitque dubitare, an fuerit necessarium ad complementum vniuersi, quod Complutense Collegium gloriosè perfecit in philosophicis; vel quod fæliciter cœpit in Theologicis Salmanticense.

CXXVIII. In secundo argumento quod tractatur à numero 110. inculcatur eadem prorsus incredibilitas, vt inuenire potuerint Iesuitæ in thesauro SS. Patrum quod Antiquiores Theologos fugerat. Additur verò Auctoritas Tridentini, quæ quia fuerat etiam obiecta priùs, ei satisfaciendum hoc loco est. Objicit igitur hic Auctor, scientiam mediam non esse approbatam à Tridentino, Num. 99. sed potiùs *virtualiter reiectam*. Hoc probat; quia Concilium non vsum est hac scientiâ in exponenda libertatis concordia cum diuinis prædefinitionibus: Ergo *signum est valdè vrgens*, quod eam non admisit, ergo & quod eam *saltem virtualiter reprobauit*. Prima consequentia patet, quia quotquot eam admittunt, eâ vtuntur ad prædictam concordiam quæ maximè quærebatur à Tridentino: vnde ex eo quod eam non admiserit, signum est virtualiter saltem eam reiecisse.

Imprimis amabo te Lector, istas deductiones attende. Auctoritas Tridentini adducitur. Patres Concilij Tridentini non admiserunt scientiam

frustra & retorqueretur.

mediam, ergò virtualiter reiecerunt. Quid? Nullum inter illa duo medium est? Nullum etiam inter hæc alia duo, Non *vsi* sunt: Ergo non admiserunt? Ego verò argumentum ita retorqueo, & probo Tridentinos Patres *virtualiter* reiecisse concordiæ modum illum, quo vtuntur Thomistæ, atque ipsi etiam Salmaticenses, petitum ex efficacia diuinæ voluntatis ratione insuperabili atque *infrustrabili* hominum actiones ita prædefinientis, vt ipsis *quoque* modum præscribat vel necessitatis vel libertatis. Sic enim argumentor. Tridentini Patres non sunt vsi modo illo: Ergo virtualiter saltem reiecerunt. Consequentiam Aduersarius concedit. Antecedens patet. Quia si quo loco Tridentini traditus sit ille concordiæ modus, mixime Sess. 6. Vbi ea quæstio pertractatur: Atqui in ea sessione modus ille non traditur, nisi fortè cap, 5. vbi dicitur *homo inspirationem Dei abijcere posse*, & can. 4. *dissentire posse Deo excitanti & vocanti*. Sunt enim hæc admodum affinia, Deus antecedenter ad omnem vsum libertatis, & insuperabiliter decernit, vt voluntas inspirationem non abijciat, Et, voluntas abijcere illam potest: item Eodem modo decernit vt voluntas non dissentiat excitationi ac vocationi suæ: &, voluntas dissentire potest. quorum alterum Aduersarius, alterum asserit Tridentinum. Vereor ne consultius fuerit ipsos in hisce disputationibus diuertere oculos à Tridentino, nisi quantum necessitas cogit respondendi argumentis, quæ suggerunt eius decreta.

Non in dīguere Tridentini Patres explicata scientiæ mediæ assertione.

CXXIX. Ergo ad argumentum propositum, Respondeo. Concilium Tridentinum nec cogitasse quidquam expresśè de scientiâ mediâ, nec cogitare debuisse; supposuisse illam, quatenus potest esse necessaria tuendæ eorum quæ definiebat veritati: de cætero expeditiorem habuisse rationem quâ libertatem contra hæreticos defenderet, sublatâ videlicet causâ, quâ eam illi destruebant. Dicebant Lutherus & Caluinus præscientiam esse in Deo liberorum actuum & prædefinitionem antecedentem, quâ positâ voluntas nec abijcere posset diui-

nam vocationem, nec ab ea dissentire; Vnde concludebant, Ergo voluntas non est libera. Concilium non iudicauit negandam esse consequentiam, ne cum distinctione quidem sensus compositi & diuisi; sed contrarium posuit antecedens & dixit, nullam esse præscientiam, nullam prædefinitionem antecedentem in Deo, quâ positâ voluntas non possit abijcere diuinam inspirationem, & ab eâ dissentire. Vnde sequitur etiam contrarium consequens. Ergo voluntas est libera. Quid erat opus disputare præterea de scientia media? Diceret Concilium, si Theologis videtur, non posse aliter stare veritatem eorum quæ definio, admittant illam; sin secus, relinquant. Quid credendum ac defendendum sit, præscribere meum est; defendendi modum illis permitto: quorum erit amplecti eum, qui videbitur opportunior. Et si nullus occurrat; fidem impero rerum credendarum, etiamsi obscurus sit modus, quo eârum veritas ita exponatur, vt ad intelligendum facilis sit. Recolendum videlicet est, quid olim scripserit Agatho Papa, cum legatos mitteret ad Concilium Constantinopolitanum generale sextum, se legatos mittere, non vt contendant de incertis, sed vt certa & immutabilia compendiosa definitione proferant.

Concilia de substantia credendorum pronuntiant non de modo quo illa exponi vel intelligi possunt.

CXXX. Quid, num postulabimus à Niceno Concilio, vt componat omnes Theologorum rixas circa mysterium Trinitatis? Num ab Ephesino & Calcedonensi, vt incarnationis modum explicent qualis sit, distincta-ne vnio, an relatio quædam, an nihil ab extremis diuersum? Num à Tridentino quale sit corpus Christi, quod vi verborum sub speciebus panis ponitur, an compositum ex formis partialibus & materia, an materia sola, certa ratione organizata & disposita? Num à Laterensi quis sit libertatis modus in illa Dei voluntate, quâ condita est in tempore creatura spiritalis & corporea, cælestis & mundana? Et tamen horum aliquid esse debet. Sed quàm certum est atque credendum, aliquid horum esse, tam non est necessarium, vt distinctè statuatur ecquid sit. Multum sci-

licet interesse debet, inter priuatas Theologorum scholas, & scholam Christi: quam non decet fluctuare in incerto disputationum, sed in obsequio fidei captiuare homines, certos se sub tali Magistro falli non posse; nec ideo non esse credendorum rationem ac modum, quia nescitur.

Num. 114. CXXXI. Atque ex his euaporatur argumenti tota vis, quo ab Aduersario Herice refutatur, cùm sic obijcit. *Vel PP. isti Concilij Tridentini Thesaurum istum scientiæ mediæ in Augustino & Patribus inuenere, vel non*: probat autem neque dici posse non inuenisse; neque si inuenere, non fuisse cognitum cæteris scholasticis, qui circa illa tempora floruere. Atqui iam ostensum est, Tridentinos thesaurum hunc, vti rem minimè ipsis necessariam, ne quæsijsse quidem. Et ita illud etiam tenues in auras abit, in quo Aduersarius oratoriam quoque facultatem sibi non deesse monstrauit; si modo argumentum nanciscere-
Nu. 116. „ retur idoneum, dum dicit; Esse difficillimum creditu,
„ vt eo tempore, quo Patres erant in Concilio Tridentino
„ congregati ab Spiritu Sancto, præcipuè inter alia ad
„ conciliandam contra Lutherum libertatem arbitrij crea-
„ ti cum diuinis actibus, denegaret illi veram intelligen-
„ tiam Augustini & Patrum.... Et quod eisdem Patribus
„ Concilij relictis, vbi tanta instabat necessitas, vbi cælestis
„ lux adeò enixè exposcebatur, vbi tota Ecclesiæ causa
„ communiter agebatur, vbi Spiritus Sanctus se adfuturum
„ pollicitus est, tunc idem spiritus ad Collegium Conim-
„ bricense vel Eborense Patrum Societatis, vt sic dicamus,
„ euolaret: & ibi peculiari cuidam Theologo ex illis, quam-
„ uis alias doctissimo, veram & ita reconditam intelligen-
„ tiam, vt ipsi loquuntur, quoad hoc patefaceret, & the-
„ saurum istum in eis absconditum & à nemine post prædi-
„ ctum tempus inuentum eis reuelaret. Sanè hoc difficil-
„ limum creditu est, & extra communem cursum & mo-
„ dum diuinæ prouidentiæ vt ex se constat. Oratoria, in-
„ quam, amplificatio & elegans cui ego ex barbarie Logicorum reponam illud tantum, esse totam *de subiecto non supponente*.

CXXXII. Et primò tempora malè computat, cùm dicit *Fonsecam testari inuentam à se hanc scientiam apud SS. PP. anno* 1560. triennio antequam absolueretur Concilium Tridentinum, narrat enim potius inuentam à se hanc scientiam apud SS. Patres triennio post. Fonsecæ verba sunt hæc. Ante annos Triginta quàm hæc scriberemus „ (scribimus autem anno Domini nonagesimo sexto supra „ millesimum & quingentesimum) cùm materiam de pro- „ uidentiâ diuinâ & prædestinatione in publicis lectionibus „ essemus ingressi, multæque ac graues difficultates quæ „ in ea occurrunt, se nobis obijcerent, nulla faciliori via „ & ratione putabamus explicari omnes posse, quàm con- „ stituenda ea distinctione, quàm paulò ante fecimus, du- „ plicis status eorum contingentium quæ reuera futura „ sunt, absoluti scilicet & conditionati. Ex quibus constat „ cœpisse Fonsecam adhibere scientiam mediam in vsum conciliandæ libertatis arbitrij cum diuina prædestinatione anno Christi 1566. absoluto tribus antè annis Concilio. Ergo si bona est deductio Doctoris Salmanticensis, Spiritus Sanctus triennio Conimbricam Tridento *auolauerit*. Hoc autem volare an repere est? Sed est adhuc enormior parachronismus. Anni enim computandi sunt, non ab eo tempore quo solutum est Tridentinum, sed ab eo, quo res eas tractabat, de quibus modò disputamus; tractabat autem illas ineunte anno 1547. quo tempore celebrata est sessio sexta, in qua sola hæ quæstiones agitatæ sunt. Atqui ab ineunte anno quadragesimo septimo ad sexagesimum sextum, quo ita philosophabatur Fonseca, numerantur anni vnde-viginti: tamdiu ergo fuerit Spiritus Sanctus in itinere Tridento Conimbricam. Vide, mi Pater, ecquas ei alas compingas. Vlla-ne vnquam testudo fuerit, non perniciori sta columba?

Deinde neque hoc damus, defectu scientiæ mediæ impeditum fuisse Concilium quo minùs Lutherum frænaret. Suppetebat abundè ratio qua falsissimum esse intelligeret id quo ille destruebat hominum libertatem, fatale scilicet decretum: quo sublato, quis sit deinde

Iii iij

Marginal notes: In Num. 16 — Theologus Collegij Salmanticensis errat in amorum cõputo. — 7. Metaph. c. 2. quæst. 4. sect. 8. — Computus non nihil mendosum parumque fauorabile velocitati Spiritus Sancti. — Tridentinũ non indiguit sciẽtia media ad damnandas hæresis.

magis idoneus humano arbitrio prouidentiæ modus, viderint Theologi. Aliud erit tempus si necessitas postulet illud definiendi: & tunc quoque non deerit Spiritus Sanctus.

Cæterum quæ dixi ad defendendum Herice pronunciatum, nemo sic accipiat, quasi velim Scholasticos omnes, qui post Augustinum aliósque Patres claruerunt, nesciuisse Deum cognoscere actus hominum conditionatè futuros: & nullas esse conditionatas huiusmodi actuum prædefinitiones. Hoc enim falsum est: nec eo sensu fuerit Herice loquutus; sed alio tantùm, quo videtur nobis id eos latuisse, quod non seposuerunt ad discutiendum, seu de quo non instituerunt *disputationem* vllam, non *distinctionem*, non *quæstionem* aliquam, non *Articulum*, non *Quodlibetum*, non denique vllum *Ientaculum*.

Num 117. De Molinæ iactantia. CXXXIII. Iam verò contra Molinam nectit Aduersarius *corollarium notatu dignum*, quod dixerit in suâ primitiua concordia, & necessariam esse scientiam mediam ad concordiam libertatis creatæ cum Dei prouidentia: & eam à se adinuentam, cum fuisset incognita Patribus. Inde siquidem sequi Ecclesiam antea nesciuisse quod tamdiu quæsierat: & hæreticos qui pro vel contra libertatem pugnauere, sin minùs potentia, ratione saltem superiores fuisse: itáque *humiliatam* iacuisse Ecclesiam coram hæreticis, & *verecundè* confusam: effectu caruisse quod Christus promiserat, *dabitur vobis in illa hora quid loquamini*, & illud etiam, *portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: Neque pati posse suauem diuinæ prouidentiæ dispositionem, vt quod tamdiu toti Ecclesiæ occultauerat, censeatur postea voluisse reuelare Iesuitis. Hæc & alia id genus voluit Aduersariùs in Corollario iam citato.

Publica est & communis confessio difficultatis conciliandi liberum arbi- Sed Respondeo I. Debuisse illum conuertere impetum istum feruentis eloquentiæ in Thomistas. Appellet Caietanum, qui quamuis non nesciret quænam esset Ecclesiæ doctrina super hac controuersia; fatetur tamen se nescire coniungere duo hæc extrema, non posse falli Dei

prædestinationem, &, hominem esse liberum. Appellet Bannesium, qui laborantes in hac concordia remittit ad mysterium Trinitatis, cuius rationem ab Ecclesia postulandam nemo censet. Appellet Didacum Aluarez, qui captiuandum hoc loco intellectum docet, quemadmodum in rebus incomprehensis. Appellet Dominicum Soto, qui angustias ingenij sui hac occasione confitetur. Appellet Ledesnam qui nodi huius difficultatem perpetuò prædicat *atque inter omnes difficillimas Scholasticas disputationes præcipuum ac penè principem locum tenere dicit.* Et ne videamur solos Thomistas impedire voluisse; Appellet Andream à Vega, qui sibi ne ab Augustino quidem satisfactum esse significat. Appellet Cardinalem Sadoletum, qui difficillimam omnium quæstionem vocat & inexplicabilem. Appellet denique Augustinum ipsum, cuius querelas super hac re antea retulimus. Et quid peccauit Molina quod difficultatem illam notauit, cuius & ante illum, & postea tantus fuit sensus & tam manifestus?

trium cum Dei prouidentia.

Supra disp. 1. c. 2. §. 2.

Pag. 1. de Auxilijs.

Nam quod additur de Ecclesiæ confusione atque erubescentia, quasi pugnauerit cum hæreticis, qui vi argumentorum superiores erant, quàm est inane! Quæ sunt enim argumenta illa quibus Ecclesia cum hæreticis pugnat? An quæ petuntur ex naturali discursu & ratione? Est ergo cur erubescat, quòd eo modo superare non possit qui Dei liberos actus, qui Trinitatem personarum in vnâ naturâ, qui distinctionem naturarum in vnâ personâ, principijs Aristotelicis impugnant. Scripturam habet & traditam à principio germanam illius intelligentiam, cum præiudicio inconcussæ atque infallibilis auctoritatis. His vinculis constringit hæreticos, fidemque præcipit inexplicabilium quoque sententiarum. Quòd si rerum credendarum rationem deinde Doctores quærant, facile est alium ab alio superari, multos etiam ab vno in re aliquâ, Ecclesiam à nullo.

Qua ratione Ecclesia vincere soleat hæreticos.

CXXXIV. Neque tamen in eo se Molina cæteris præfert: neque vnquam negauit fuisse superiores qui æ-

reticis restiterunt; quippe cùm producat numerosam eorum seriem, qui cùm negent dari absolutas liberorum actuum prædefinitiones, præscientiam dixere consequenter non esse rerum præscitarum causam; sed è contrario, ideo præscire Deum futura quia futura sunt. Quo pacto qui libertatis concordiam tradidere, neque nuperi sunt, neque pauci numero, neque plebeij, nec ab hæreticis impediendi. Sed ad id ipsum quod & dictum est semper, & quæsitæ concordiæ rationem continet; lucis afferri aliquid posse Molina putauit, ex distinctâ scientiæ mediæ declaratione atque vsu: quod ne Aduersarij quidem negare possunt. qui mihi videntur in eo mirabiles, quòd ea quæ confitentur ipsi, damnent.

Quæ iactat Molina confitentur aduersarij. Siquidem tota hæc Molinæ iactatio quam accusant, tribus hisce captibus constat. 1. Quod significauerit laboratum esse superioribus temporibus in exponendâ liberi arbitrij concordiâ cum Dei præscientiâ & prædestinatione. Et iam monstrauimus ipsos potissimùm Aduersarios istius laboris sensum præ se ferre. 2. Quod crediderit faciliorem esse modum quem proponit ipse. Atqui Auctor operis de Libertate Dei & creaturæ, *miram* etiam esse dicit eius *facilitatem*: nec aliò spectat quòd alij passim eius *popularitatem* despiciunt: & quod indicat Didacus Aluarez, eius euidentiam & claritatem esse debere suspectam. Vt quod dixit Catharinus in Epistolam ad Ephesios, meliori fortasse iure possumus hic vsurpare. Audi rem sanè admirabilem, & quantùm potest antiqua consuetudo atque persuasio. Cùm hæc sententia reddat materiam facilem, difficultatesque penitus omnes à piis mentibus remoueat: & suauiter atque æquissimè à domino cuncta esse disposita demonstret; reperiuntur tamen nonnulli, qui ob hanc ipsam causam illam respuant, vt pote quos ea scire delectat quæ sciri non possunt: & ea dicere deque ijs disserere, quæ obscuritatibus vndique obsita nec ipsimet intelligunt, nec qui talia agunt.

Lib. 1 cap. vltimo n. 2.

Disp. 118. & 121.

3. Quod dixerit Molina se primum hunc modum concordiæ publicum fecisse (neque enim negat à Fonsecâ etiam,

etiam, priuatim & excogitatum & propositum priùs? Atqui hoc adeò non negant Aduersarij, vt de nouitate ipsâ crimen faciant. Est-ne aliquod præterea. Molinæ facinus, vel audax propositio? Quodnam ergo criminationis genus istud est, & accusare quod quis dixerit: & accusando confiteri iure dictum esse, quia verè dictum sit?

CXXXV. Sed quid facient ij quorum meminit Eugenius Philadelphus in appendice ad Camerarium, qui & probabilissimam omnium & nouam esse prædicant eam concordiæ rationem quam proponunt: eáque vna vitari odiosiores quasdam offensiunculas. & scrupulos aliunde iniectos excuti: euolui & explicari quod inuolutum & implicitum delitescebat in scriptis Patrum? Quid facient *hesterni* approbatores *damnatarum* sententiarum, qui nascentem à sepulchro Phosphorum mundo dederunt ab Augustini temporibus tenebris merso? Accusare in vno quod in alio laudes, cuius quæso virtutis est?

Eadem illa iniectatio plerisque Aduersariorum familiaris etiam Ianseniamis.

Finio rationem hanc, & Aduersarium moneo, interesse Collegij Complutensis & Salmanticensis, quæ cœpere iam Philosophorum & Theologorum diuitias suis augere commentariis; vt nemo superbam esse reputet spem illam, quâ quis putat suis faculis crescere posse hominum eruditorum diem: exuletque à Christianis pectoribus liuida illa & tumens admiratio, cùm dicitur, *A Nazareth potest aliquid boni esse?*

CXXXVI. Quartò probat Aduersarius doctrinam de Scientia Media & cognitam fuisse Patribus & Scholasticis antiquis, & à cunctis ferè *reprobatam*. Horum primum damus, & negamus secundum. Quod vt probet, easdem semper reuoluit coniecturas, fuisse nimirum hac scientia vsuros in concilianda libertate, quod non fecere tamen. Quæ deductio iam reiecta est. Item, Quia statim atque innotuit displicuit Thomistis, quod non accidisset nisi esset illa communiter reprobata: quæ coniectatio diluta etiam antea est. Item, Quia Bannezij commentaria, quibus impugnat Scientiam Mediam, prodiere quinquennio antequam prodiret Molinæ concordia.

Num. 119. An olim reprobata fuerit Scientia Media.

Et hoc quidem verum est, sed prodiere etiam annis circiter decem & octo postquam Scientia Media & vsus illius exponi cœperant in Scholis à Fonseca. Et tamen, inquit, commentaria illa Bannezij nec à Molina nec ab alio Patre Societatis tanquam nouam nedum periculosam doctrinam continentia notata fuere: multominus ad iudices fidei delata. Concedo id etiam, quia ostendit fuisse Patres societatis pacis amantiores minusque in damnando præcipites. Ergo, inquit, hoc quinquennale silentium, signum est doctrinæ non nouæ, sed perenniter decurrentis, & in omnibus Christianis Academiis receptæ. Sed duodennium est, cum prodiit Salmanticensium cursus, quo tempore nemo illos accusauit: Ergo signum est quidquid illi docent receptum esse in omnibus Christianis Academiis? Nego consequentiam: & dico absurdam esse præscriptionis legem illam, & terminum quinquennalem contra errorum Censores; miniméque ista connecti, *non impugnatur aliquid quinquennio*, editis scilicet libris: &, *communiter recipitur in omnibus Christianis Academiis*. Thomistæ omnes, inquit, hæc commentaria probarunt communi calculo sicuti verè Thomistica. An sit verum nescio, quia vidi ego, audiui, & legi qui hodieque non probant: sed tamen, esto, quid tum postea? Ergo non continebant nouam doctrinam, eorum opinione concedo; reipsa, nego. Quæ agendi ratio ista est, vt duorum disputantium alter alterum auctoritate sua premat? Ex quo in arenam hanc descendimus, quis non videt nos alieno iudicio submitti, non inuicem nostro?

Quinquennali silentio præscribere vult Aduersarius Theologorum opiniones.

Num. 124. CXXXVII. Sed, inquit, *Quænam alia doctrina quàm Bannesij apud Theologos tam Dominicanos quam alios, antecedenter ad illum annum* 1584. *vsui habita est?* ℞. Illa quæ negat absolutas liberorum actuum prædefinitiones, quæ sunt vsi Nominales post Damascenum & Antiquos Patres: Illa quæ negat ideo futurum aliquid esse quia Deus præscit; sed ideo præscire quia futurum est, quam ostendimus antea, quàm sit antiqua & communis: Illa quæ

Antiqua ratio liberi arbitrij defendendi.

præſcientiam meritorum à gratia dependentium priorem eſſe dicit prædeſtinatione, quam Dominicus Sotus, qui computari debet inter Principes Thomiſtas, dicit *nihil deuiare à veritate*, & quam alij paſſim concedunt, excepto Auguſtino, fuiſſe à pluribus Patribus traditam: Illâ quæ negat præcedere aliquid ex parte Dei quo inferatur in liberam voluntatem agendi neceſſitas, quâ nihil vnquam fuit tritius apud Scholaſticos Antiquos & Sanctos Patres. In cap. 8. Ep. ad Ro.

Sed quis eſt hic argumentandi modus, quid-ve probat aliud quàm eſſe improbabile quod Aduerſarius intendit? Nimirum cùm monſtrandum ſuſcepiſſet Scientiam Mediam ante Molinam fuiſſe *ab omnibus reprobatam*; nihil erat opus extrinſecis vti coniecturis; ſed cùm ſint ad manus eorum libri quos laudamus, producenda erant aliquorum ſaltem teſtimonia, quibus ea condemnatio contineretur. Hic Auctor ne vnum quidem produxit, præter quam Scoti, in cuius verbis de futuris conditionatis nulla prorſus mentio eſt. Ac proinde longè cautior fuit P. Ioannes à S. Thoma, qui cùm recentiores Theologos Scientiæ Mediæ oppugnatores retuliſſet, ſubdit, Omitto „ Antiquos Doctores quorum licet plures afferant Villegas, Aluarez, & Theologi Carmelitani; tamen quia non „ ita ex profeſſo controuerſiam hanc de Scientiâ Mediâ „ diſputarunt, illos omittimus. Atque hoc modo facilè „ eſt reſpondere ad inanem nomenclaturam quam deducit Aduerſarius dubio ſequenti, vt oſtendat in hac controuerſiâ, ſi auctoritate res agitur, ſuperiorem eſſe partem negantem affirmante. Nimirum facile eſt dictionarium texere; ſed teſtimonia poſtulamus. Et vide Lector, quàm benignè agam cum Aduerſarijs, ſufficit mihi ſi vel vnum propoſuerint ex vniuersâ antiquitate Doctorem qui hoc dixerit aut formaliter, aut æquiualenter, aut per ſequelam neceſſariam & minimè diſputabilem, ex quo tota pendet huius cauſæ deciſio, *habere Deum præſentes circa ea quæ neque fecerunt homines, neque faciunt aut facturi ſunt vnquam; ſed quæ facerent, prædefinitiones*. Vnum

Non eſſe in Antiquis ſcriptoribus quo Scientia Media reiiciatur.

Diſp. 20. ar. 6. p. 691.

Num. 162.

ſi dederint, multos fuiſſe concedam. Quam multi verò ſint quibuſcum id genus decreta conuenire non poſſunt, facilè probarem, ſi ferre hoc poſſet neceſſariæ tantùm defenſionis ſuſceptum munus. In promptu eſt Didacus Ruiz, qui ſuam in hac parte diligentiam, ingeniumque atque eruditionem probauit.

Sed iamdiu eſt cum in Collegio Salmanticenſi verſamur: ad diſputandum nos inuitat, quæ illi eſt ſchola vicinior: in qua id etiam perſoluemus quod reſtare videbatur, de ſententia D. Thomæ, deque rationibus, quæ diſputatione vndecimâ ediſſeruntur ad oſtendendam Scientiæ Mediæ impoſſibilitatem.





DISPVTATIO QVARTA.

P. IOANNES A SANCTO THOMA.

I. CVRSVS Theologici Tomus primus, quem P. Ioannes à Sancto Thoma Lisboniensis in Academia Complutensi professor, ex ordine S. Dominici, ante quinquennium ediderat, ab aliquot mensibus in Galliam delatus est cuius quia vltima disputatio quæ vigesima est scientiam mediam *omnino iugulat* vt ipse aliquoties loquitur, tentandum est, si quâ ratione innoxio gutturi succurri possit, feralisque mucronis ictus aliquâ declinatione vitari. In primis verò in hoc Auctore hoc mihi maximè probatur, quòd in hac disputatione seponendam putat verborum acrimoniam & aculeorum amaritudinem, nec recordandum si qui scorpiatum, aliquid, & aculeatum iactauerint: Angelorum linguis optare se loqui: amputanda dicteria omnia, scommata, irrisiones, quorum aliqua ne referenda quidem sint, sed potius ferenda: ne sit fellea disputatio; sed pacifica vt decet sanctos, vt decet graues & doctos viros, in re seriosissimâ, in disputatione plena Iudicij & Authoritatis. Dignissima omnino Religioso viro monita, præ-

De Religiosâ moderatione in his disputationibus retinendâ.

Art. 3. p. 614.

Art. 6. p. 685.

ſertim ſi congrua tam præclaris verbis exempla comitentur. Sed dum ipſe Auctor *tubam* nobis attribuit, & *Inanes ſonitus, inaneſque triumphos, in verborum pompa: dum* de-
Ar. 1. p 607. Ib. 611 616. notat *faſtum* & *inceſſum in mirabilibus* dum attentiores fa-
Ar. 6. p. 687 cit *rumori & famæ, quàm ſinceræ veritati*; dum *lucem Molinicam* ironicè ſugillat, aliaque perſequitur vſque ad oratorias inuectiuas; videri poſſit hominum quidem linguis eſſe loquutus, ſed non vti optauerat, *Angelorum.* Hæc tamen quando ipſe ita cupit, obliuiſcamur, ſitque deinceps Religioſa contentio, & quæ ſanctos minimè dedeceat: quippe quos oportet Cantorum in morem confligere ad numeros, ex regulis charitatis; vt temperatis affectibus, concentu gratiſſimo litemus diuinis auribus, harmonia ſcilicet animorum. Hoc enim poſtulat illa, cuius ſinu continemur, eius ſponſa, quæ licet in hoc ſtatu belli expers eſſe omnino non poſſit; obtinuit ſaltem vt aduerſa quæ in ea extruuntur *caſtra*, *chori* vocarentur.

CAPVT PRIMVM.

Iudicium Romanorum Cenſorum de Scientia media.

Dub. 3. §. 2 Num. 67. II.  Istvlimvs in hunc locum examen narrationis quæ apud Salmanticenſes extat, diſputatione decima, quæ ſic habet, Molinam in Hiſpania iuridicè accuſatum apud Inquiſitores fidei, poſt editam Concordiam: euocatam exinde cauſam ad Clementem VIII. ab eo delectos Cenſores facile triginta, viros grauiſſimos, Cardinales, Epiſcopos, Regulares, vt omnes hi, eodem Summo Pontifice pro Tribunali ſedente, tanquam Conſiliarij & teſtes aſſiſterent: cùm negotium tractaretur, iuſſiſſe Pontificem vt miſſis rationibus quæ naturales ſcientiæ naturali lumine ſubminiſtrant, ſolis D. Augu-

Salmanticenſium narratio de diſputationibus Romæ habitis

ſtini & D. Thomæ teſtimonijs res ageretur: tunc Patres Num. 68.
Societatis deſtitutos rationibus naturalibus, coactos in id vnum incumbere, vt teſtimonia D. Auguſtini & D. Thomæ congererent: idque ſummo ſtudio præſtitiſſe, plurimaque id genus teſtimonia coram Summo Pontifice & triginta grauiſſimis viris pro Scientiâ Mediâ protuliſſe nempe non vnicum fuiſſe actorem in hac ſcenâ, ſed adſtitiſſe Gregorio de Valentia, Arrubalem, Vaſtidam, Salas, inſignes Theologos, & aliunde inſuper miſſos tum manuſcriptos tum typis cuſos codices, ab eminentibus eâ ætate Societatis Theologis: adiutos ſimiliter qui ex aduerſo ſtabant P.P. Dominicanos, Thomam Lemos, Franſciſcum de Auila, Ioannem Gonzales, tum Num. 69.
viua voce eorum qui tunc Romæ morabantur, tum miſſis aliundè, præſertim verò ex Hiſpaniâ doctiſſimis manuſcriptis: Conteſtatâ in hunc modum lite longo tempore multiſque ſeſſionibus, ſub Clemente VIII. & Paulo V. omnes illos triginta viros vno vel altero excepto, hanc ſententiam protuliſſe, „Nec Auguſtinum, nec Doctorem Angelicum, vlla ratione docuiſſe Scientiam Mediam, ſeu conditionatam, per quam Deus prouideat conſenſum v. g. voluntatis humanæ vt infallibiliter futurum, antequam actu habeat decretum efficax de illius futuritione: ſed potiùs vtrumque Doctorem ſanctum prædictæ ſcientiæ refragari: & abſolutas prædefinitiones Dei independenter à prædicta ſcientia, & ſalua libertate creatâ, docuiſſe: hæc non eſſe proprio marte adinuenta, ſed accepta à viris grauiſſimis omni exceptione maioribus: & cùm ſparſus eſſet rumor oppoſitus, adhibitam in Romana curia peculiarem diligentiam, in perueſtiganda huius huius hiſtoriæ veritate, compertumque ita omnino rem habere: teſtatum id eſſe inſignem quendam Theologum, qui omnibus congregationibus attentiſſimè interfuit, & cuncta in iis acta diligenter notauit, & ſcriptis fideliter commiſit: nec ſapientia modo, ſed & ſanctitate fuiſſe illum adeò inſignem, vt plura etiam poſt obitum ediderit miracula. Et vt eius teſtimonium, *inquiunt*, adhuc firmius „& omni exceptione maius maneat, Teſtamur virum iſtum „

„ grauissimum octo diebus ante suum obitum, & antequam
„ in morbum quo vitam finiuit incidisset; ac proinde dum
„ in sacra Theologia & sanctitate maximè vigebat, ea quæ
„ diximus ingenue fassum esse. Hæc est eorum summa quæ narrant Salmanticenses loco citato.

III. Quæ cum ego primùm legerem, existimabam eodem in prædicamento reponenda cum peregrinatione Pythagoræ ad Montem Carmeli, ex quo Philosophiam deduxisse creditur: tantumque fidei mereri, quantum deberi potest innominato testi atque incognito. Durior nimirum est schola, & difficiliora Scholasticorum ingenia, quàm vt se premi sentiant, dum narrantur confusè quædam miracula, & obijcitur quidam sanctus, cuius nomen non sit alibi scriptum quàm in libro vitæ. Nam quod testantur Salmanticenses, id eum dixisse octo ante mortem diebus, cùm esset adhuc integra valetudine; facit quidem vt credamus non diuturno illum morbo confectum esse, neque delirij suspectam fuisse tunc eius orationem; de cætero dabunt veniam, si hac in lite vt iudices esse inuicem non debemus, ita nec testes esse velimus, neutrum enim partibus iure licet. Et quia videntur habere voluisse quod reponerent Scriptori vitæ Bellarmini, dum loquitur tum de illius sub mortem sententia, tum de testimonio Cardinalis de Monte; aduertere debuerant, non fuisse nos contentos domesticâ quadam traditione ac fide nostrorum: sed publicis ea tabulis consignata vulgataque, vt eorum quæ inibi referuntur firma atque inconcussa veritas haberetur.

Ar 6.p.688. IV. Vidit hunc hiatum P. Ioannes à Sancto Thoma, ideoque operam dedit vt probationi tam infirmæ robur adderetur. Quare quæsitus est huius narrationis Auctor & productus Franciscus de Penna Rotæ Decanus: qui fuisse dicitur vnus è triginta viris illis. Quæsitum quoque illius testimonium: & in eius diario repertum excerptumque inde manu publici Notarij, adhibitis testibus fide dignis, & Pennæ familiaribus, qui iurant ipsissimam esse hanc eius scripturam ex qua transumptum est testimonium quod sic habet. Die Iouis septima Iunij 1601. apud

Confirmatio superioris narrationis à Sancto Thomâ.

Reueren-

Reuerendissimum Dominum Sanctæ Agathæ, habita „ fuit congregatio, ad quam conuenerunt omnes consultores super examinanda censura alias facta in 14. propositionem Molinæ: & post longam & exquisitam disceptationem, exceptis Regente Carmelitarum & Procuratore „ Generali S. Augustini, in censura persistentes, affirmauerunt, & propositionem fuisse à Molina assertam; & „ inuentum de scientia media à Massiliensibus excogitatum, „ ad extenuandam gratiam effectricem bonæ voluntatis.

Hoc testimonium quod subscriptione Notarij descriptum fuisse constat 9. Iunij an. 1636. visum est non esse satis idoneum ad id quod quærebatur confirmandum: & ideo Romam iteratò mittendum fuit, vt testimonium aliud haberetur, quod P. Ioannes à S. Thoma subscriptum dicit ab eodem Notatio 10. Ianuarij 1637. additque à se oculatim visum: illud tamen non producit, dixisse contentus, Consultores illos seu Censores in congregationibus habitis coram Summo Pontifice perstitisse in sententiá de neganda scientia media, eodem Penna referente, ex quibus ita concludit, Et sic ea quæ in cursu „ Theologico Carmelitano citato loco sapientissimi Patres dixerunt, firmum ac stabile reputari debet, nec aliquid est vnde possit infringi, nisi forte quia non ita in „ particulari ea retulerunt, quæ hic ex testimonijs allatis, vt res ista non sub caligine perpetuo iaceret, declarauimus. „ 16. p. 690.

V. Ego verò ex hoc secundo testimonio nihil colligi posse puto, quo narratio Salmanticensium confirmetur, quamdiu manebit occultum: quin potiùs suspicor in eo contineri aliquid quo infirmetur, alioqui cur post tantam in eo quærendo diligentiam suppressum esset, priore producto?

VI. Ex priore igitur præclarè colligitur narrationem illam esse mendosam multis capitibus. Et primò de numero illo triginta Censorum seu Consultorum, vides nullam esse mentionem in verbis Pennæ. Sed & in congregationibus, quæ habitæ sunt deinde coram Summo Pontifice (non enim intererat Pontifex prioribus illis vt *Salmanticensiû narratio ex eius confirmatione mendosa esse conuincitur ex duo-*

decim capitibus. mox constabit) censores seu consultores numerantur tantùm quindecim à P. Ioanne à S. Thoma totidemque ferè recenseantur à Quæstionario Tolosano thesi 7. Alij etiam ex alijs relationibus pauciores recensent vt P. Petrus à Sancto Ioseph in sua Concordia. ib. p. 690

Secundò falluntur circa eorundem censorum qualitatem, dum eo numero *Cardinales* comprehendunt, cùm sit satis manifestum ex cærimoniali Romano, Cardinales non fuisse congregandos *apud illustrißimum Dominum S. Agathæ*, qui tantùm erat Episcopus, & Ioannes à Sancto Thoma Censores seu Consultores à Cardinalibus distinguat. Disp. 4. a. 4. pag. 531.

Tertiò falluntur, dum huiusmodi Iudices censuisse dicunt nec *D. Augustinum, nec Doctorem Angelicum, vlla ratione docuisse scientiam mediam*, quia vt patet, nulla prorsus fit mentio nec Augustini, nec Doctoris Angelici, in illo quod Penna refert Censorum suffragio; & si dicas esse illud interpretandum iuxta præscriptam à Pontifice disputandi rationem, qui iusserat vt solis D. Augustini & D. Thomæ testimonijs Partes vterentur.

Ar. 1. pag. 607. Iam apparet quartus error. Nam P. à S. Thoma præscriptum hoc dicit fuisse missum die 15. Iulij 1604. Sequenti tenore. An sit sententia D. Augustini, quod ante decretum absolutum diuinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causa libera, qualem Molina per scientiam mediam tribuit. Clemens Papa 8. pro prima congregatione. Censorum vero iudicium illud, multò est anterius, nempe 7. Iunij 1602. vt omittam hic etiam nullam esse vsquam mentionem D. Thomæ.

Quintò falluntur in ea quam pingunt ambarum partium diligentiâ in conquirendis D. Augustini & D. Thomæ testimonijs, ipsa etiam Hispania suum symbolum conferente: quo factum sit, vt plenè ab vtrisque informati iudices pronuntiarint. Quia hoc non potest esse verum de illo Censorum iudicio, cùm nondum processisset decretum Pontificis, eos qui disputabant Augustino addicentis.

VII. Sextò falluntur, dum fingunt nostros illa Pontificis obligatione ad disputandum ex Augustino, quòd sentirent se destitutos esse rationibus philosophicis, *se conuertisse* ad quærenda S. Augustini & S. Thomæ testimonia; quasi verò vel antea solis vterentur rationibus naturalibus, vel tum demum de conciliando sibi Augustino & Angelico Doctore cœperint esse solliciti. Legant quæso Vasquezium qui diu ante disputationem hanc, anno scilicet 1595. primum tomum in 1. partem absoluerat, in quo primam scientiæ mediæ probationem ex Scriptura & Patribus præsertim verò ex Augustino persequitur, quem dicit, *disertis verbis*, doctrinam hanc expressisse. Legant Fonsecam qui vno post Vasquesium anno cùm scriberet, vt ipsemet dicit, & Augustini nominatim loca pleraque citasset, ita loquitur, „ infinita penè sunt loca in quibus vtramque præscientiam conditionatam de liberis „ actibus futuris, NON SOLVM AVGVSTINVS; sed etiam „ alij Patres asserunt, quæ non est opus, hoc loco referre; „ vsque adeò res in tota antiquitate perspicua erat; magisque comperta nunc fuisset, si Doctores Scholastici eorum dicta attentiùs perpendissent, & ad propositam quæstionem expressiùs applicassent. Legant Suarem, qui aliquot etiam annis ante hanc disputationem edidit opuscula sua, in quibus postquam scientiam mediam ex scriptura probauit, ita eiusdem probationem orditur ex Patribus, „ Si varios loquendi modos in sanctis Patribus accuratè obseruemus, non obscure vt opinor, constabit, eos „ non minùs certos fuisse de hac scientia Dei, quàm de absoluta scientia futurorum contingentium, ac subinde catenam nectit SS. Patrum; inter quos S. Augustinus non vnum annulum facit. Legant etiam Molinam, superbum illum, qui de ignorantia totius antiquitatis insolenter triumphat: & videant quàm sit parum id quod ille sibi arrogat, cùm colligit ex allatis à se Patrum testimonijs, scientiam mediam ipsos, *si non nostris verbis, re tamen ipsa affirmare*; dum se illam testimonijs scripturarum ac SS. Patrum (inter quos numerandus etiam Augustinus) imò & Scholasticorum corroborasse dicit, dum fatetur

disp. 67. c. 21.

6 Metaphis c. 2. q 4 S 9.

l. 2. de scientia condicionata c. 2.

1. p. q. 4 ar 13 d. 18, m. 2.

„ ingenuè se in labores aliorum ingressum, totque con-
„ certationibus & egregijs aliorum dictis atque inuentis il-
„ lustratum, vt dilucidius aliquantulum radicem attinge-
„ ret vnde hæc omnia consentirent, & difficultates omnes
„ facile enodarentur. Qui fieri potuit vt qui tandiu antè, scientiam mediam munierant auctoritate Patrum, & præsertim Augustini, se comprehensos crediderint, cùm est intellectum sepositis rationibus philosophicis ex Augustino esse disputandum: cœperintque tunc primùm necessitate *coacti se conuertere* ad voluendos Augustini tractatus, vt pote alijs munitionibus iam pulsi? Vide quàm congrua sit, & quàm probabilis narratio, tum missos Romam ad disputantes, non solùm manuscriptos, sed editos etiam libros ab Eminentibus Theologis Societatis; nempe quia iuuare poterant ad intelligendam Augustini sententiam. Adeò ne verò ignari erant atque inexperti Gregorius de Valentia, quem Salmanticenses *eruditissimum* vocant, *& in SS. Patrum lectione valde versatum*, & tres alij quos etiam fatentur *eximios Theologos*, vt in hanc arenam descenderent ijs auxilijs destituti quæ parata iam erant editis à Societate libris? Non intellexerunt scientiam mediam à nostris esse Augustini auctoritate vallatam, extareque in luce publica editos super argumento illo libros? Et fuit adhibenda cursorum diligentia vt libri huiusmodi ex Hispania portarentur, qui vsui esse possent instanti discrimini? Quis non videt narrationem hanc haud satis fuisse meditatam.

VIII. Septimò falluntur in referendo Censorum iudicio, dum scientiam mediam ab illis negatam ita descri-
„ bunt vt sit, Scientia conditionata per quam Deus pro-
„ uideat consensum V. g. voluntatis humanæ vt infallibi-
„ liter futurum antequam actu habeat decretum efficax
„ de illius futuritione, quod perspicuum sit in tali iudicio pro vt refertur à P. Ioanne à S. Thomâ, nihil simile contineri: nisi forte volunt nos eorum interpretationem eodem loco habere quo Iudicum ipsorum sententiam. Et quis scit an iudices illi non prætulerint opinionem eam, quæ tum decreta conditionalia negat, tum scien-

tiam quoque, seu præuiam, seu subsequam?

Octauo falluntur, dum eosdem Censores dicentes referunt *vtrumque Doctorum absolutas prædefinitiones Dei independenter à prædicta scientia & salua libertate creata docuisse* Vide Lector, an sit vlla eiusce rei vmbra in ea censuræ formâ quæ descripta est à P. Ioanne à S. Thoma? Hoc vero est, non tam aliorum opiniones referre, quàm componere: nec eorum recitare sententiam, sed dictare: ac facere potiùs vt dixerint illi quod volumus, quam quod illi voluerunt, cum candore ac fide renuntiare.

Falluntur 9. dum *Longum tempus multasque sessiones* dicunt esse consumptas in hac lite *contestanda*; quod constet ex ipso tenore censuræ vnam tantùm sessionem in eâ disceptatione consumptam esse. Sed & coram Summo Pontifice, cum tres tantùm ea de re fuerint sessiones, negat P. Ioannes à S. Thoma difficultatem esse tractatam præterquam in vltimâ, verba illius sunt. De hoc autem dubio incepit tractari & disputari coram San- ,,
ctissimo, aliquot Cardinalibus & Censoribus deputatis ,, Ar. 1. p. 608.
27. Octob. eiusdem anni 1604. & fuit congregatio 33. ,,
in ordine, durauitque disputatio per tres congregatio- ,,
nes, tum dat rationem cur tres consessus hæc causa tenuerit, quòd scilicet P. Bastida suscepisset probandum in primo, *in Deo dari scientiam conditionatorum*; in secundo *certam esse scientiam hanc*: in tertio *scientiam hanc esse independentem à decreto*, quod vnum erat controuersum. Innuitque propterea importunum fuisse Bastidam inutili hac partitione: atque ita vnicâ sessione id quod erat controuersum tractatum est coram Summo Pontifice.

Decimò falluntur, dum constanter dicunt triginta viros illos & causam discussisse, & suam sententiam contra scientiam mediam protulisse coram Summo Pontifice. Quia sententia illa prolata dicitur 7. Iunij anno 1601. & tunc nondum cœperat Pontifex interesse huiusmodi congregationibus, vt constat ex Ioanne à S. Thoma, dum dicit vtramque familiam (*S. Dominici & nostram*) ,, Ar. 6. p. 189.
solùm præbuisse Magistros virosque doctissimos qui co- ,,
ram Summo Pontifice in illis 47. Congregationibus dis- ,,

„ putarent, ab anno 1602. in tertia septimana quadrage-
„ simæ, in qua incepit prima congregatio coram Summo
„ Pontifice Clemente 8. vsque ad annum 1606. die 22. Fe-
„ bruarij, quo est habita vltima congregatio coram Paulò 5. Vbi vides primam congregationem coram Summo Pontifice habitam fuisse an. 1602. & ex dictis paulò ante constat, primam de scientia conditionata quæ fuit ordine 33. fuisse habitam anno 1604. Iudicium autem 30. virorum relatum à Magistro Penna ponitur in anno 1601. mense Iunio, Manifestum igitur est pertinere iudicium illud ad eas congregationes, quibus non intererat Pon-
ib. p. 688. tifex, quarum meminit idem P. Ioannes à S. Thoma, aitque fuisse pariter numero 47. & ex eo conuincitur etiam, quòd dicatur ille conuentus apud Illustrissimum D. S. Agathæ congregatus. Quis enim ferat vt eò conuenisse dicatur Summus Pontifex?

IX. Ex quibus intelligitur falli vndecimò, dum dicunt illam sententiam pronuntiatam, *post longam litis contestationem vtraque parte hinc inde pro se allegante & diuersa D. Augustini & Angelici Doctoris testimonia in sui fauorem proferente.* Quia iam vidimus ex Ioan. à S. Tho. prolatam sententiam an. 1601. & disputationes tantùm cœptas anno 1602. & quæ erat de scientiâ mediâ anno 1604. Ergo sententia illa prolata est tribus circiter annis ante *litis contestationem* illam in quâ vtraque pars audita est: & non post.

X. Vnde colligas eosdem Salmanticenses falli, Duodecimò quando dicunt *etiam Summos Pontifices Clementem* 8. *nec non & Paulum* 5. VT PECVLIARES DOCTORES SVBSCRIPSISSE IVDICIO XXX, VIRORVM ILLORVM. Audax omnino pronuntiatum, quod in re maximi momenti probatione carere non debuit, vt fidem faceret. Vbi enim est illa subscriptio? Quem habet Auctorem? Quemue testem? Quod si putant id ex eo colligi debere, quod interfuerint Iudicio triginta illorum Theologorum; iam vidimus neutrum interfuisse primo Iudicio, quod solum est à P. Ioanne à S. Thoma repræsentatum: secundum verò nescimus adhuc quale sit, & quando, &

quomodo conceptum. Hoc tantùm ſcimus, non fuiſſe ibi 30. Cenſores, ſed ne 20. quidem: cùm etiam Ioan. à S. Th. pauciores numeret. Item ſcimus eodem à S. Th. referente, quando res illa diſceptata eſt, Paulum quintum nondum fuiſſe Pontificem; niſi fortè *ampliatione* vtuntur atque intelligunt illum, qui futurus erat deinde Pontifex, ſubſcripſiſſe condemnationi ſcientiæ mediæ. Sed vt verum eſſet quod dicunt de iudicio illo, vnde ſibi hoc aſſumunt, vt idem ſit audire condemnantes, & eorum ſubſcribere condemnationi? Et cum Cenſores illi Conſultores tantùm fuerint; vnde habent idem eſſe Conſultorum audire Iudicia, & eadem approbare, vt inferant dato & non conceſſo, quod Conſultores illi ſcientiam mediam condemnauerint, Pontificem qui ſuffragia eorum excipiebat ſubſcribere debuiſſe? Expectamus omnino huiuſce pronuntiati aliquam probationem: & dum ea differtur, exiſtimamus licere nobis profiteri palam, Salmaticenſes hac in parte, ſcripſiſſe quod cuperent, non quod ſcirent.

XI. Denique non eſt omittendum, nec in eo ſatis eſſe ſinceram Salmanticenſium narrationem, quod in exceptione illa quam ſæpius repetunt, duos præclariſſimos viros & qui multorum inſtar eſſe poſſint, ad modum indiuidui vagi incerta diſiunctione confundunt, dum dicunt conſtanter excipiendos *vnum aut alterum*, cùm conſtet ex P. Ioanne à S. Thoma, excipiendos illos eſſe *vnum & alterum* nimirum *Procuratorem Generalem S. Auguſtini*, & *Regentem Carmelitarum*, quos nemo iure negauerit pro ſuâ dignitate auctoritateque, complures alios ex vtroque ordine illo celeberrimo repræſentaſſe. Superior narratio minùs ſincera.

XII. Sequebatur iam vt diceremus aliquid de miraculis D. de Penna poſt mortem editis, déque illius ſanctitate ſi tamen is ille eſt quem Salmanticenſes indigitant in S. D. noſtris Sed ad miracula quod attinet, erunt illa nobis idonea credibilitatis motiua, quando fuerint legitimè probata iuxta præſcriptum Vrbani 8. De ſanctitate verò ego libentiſſimè credo id quod etiam magnopere cupio, mortuum eſſe illum vt Chriſtianum decet, De D. Penna.

in pace Ecclesiæ, suorumque peccatorum pœnitentem, cum solitis Sacramentorum præsidijs, vt credi possit agere modò inter Sanctos vitæ Beatæ participes, optiméque illi cum S. Ignatio conuenire, cuius honorem in terris animo non satis æquo tulisse dicitur: & tamen est ille sanctus, & eâdem certitudine Sanctus, quâ & Sancta Teresia.

Ar. 6. pag. 658. XIII. Atque ex his tandem intelligitur quantopere sit deceptus P. Ioannes à S. Thoma, cum sperauit se Salmanticensium narrationem, quam fatetur aliquibus fuisse suspectam & *habitam pro re indictâ*, confirmaturum producto iudicio illo Censorum anni 1601. Cùm constet nullâ re aliâ magis esse impugnabilem, tantâ exinde temporum & circumstantiarum emergente contrarietate, vt videatur ipsemet fructum perdidisse illius præscriptionis, quâ putauit firmam esse allegationem hanc, quòd spatio sex annorum nemo contradixisset. „Sex anni „sunt, *inquit*, ex quo liber est publicatus, vt posset ab „Aduersarijs tale testimonium & historia infringi, vel „redargui. Sed factum non est, & ita factum tenet. Atqui, mi Pater, expectandi erant commentarij tui, vt esset illius narrationis carpendæ copia maior. Nam post excerpta ex diario D. Pennæ, atque attestationem Ioannis Merer Auctoritate Apostolicâ Notarij, quæ sunt a te producta; tot in ea historiâ difficultates apparuerunt; vt probabile sit, paucos illos iulios, quibus steterunt hæ impensæ, nobis potiùs vtiles fuisse, vt omittam, quod antea etiam simili quadam occasione significatum est, si sufficiat spatium illud sex annorum ad præscribendum, approbanda fore mendacia quamplurima. Niteretur aliqua ratione illa præsumptio: si eo temporis spatio scripsissent aliqui de hoc argumento, dissimulata Salmanticensium historiâ, *hoc autem factum non est, & ita, factum non tenet.*

P. Petrus à S. Ioseph disp. 4 S. 4. num. 3. in sua concordia. XIV. Sed neque illa negligenda est eruditissimi ac sapientissimi Viri cunctatio, qui aduertit, Didacum Aluares qui dicitur interfuisse disputationi de auxilijs, tot libris quot deinde edidit, tum de physica prædetermi-

natione,

natione, tum circa ſcientiam mediam, quibus conſtat maximâ illum diligentiâ quæſijſſe quidquid quacumque ratione prodeſſe poterat ſuæ cauſæ; nihil vnquam inuniſſe de hoc triginta Virorum Iudicio, à duobus Summis Pontificibus approbato, quo nihil eſſe poterat efficacius ad probandum id quod intendebat. Adde interfuiſſe quoque Ioannem Gonzales illum qui deinde ſuis in primam partem commentarijs eaſdem controuerſias pertractauit, eodemque ſilentio texit euentum illum: vt omittam Nazarium & alios è Thomiſtis qui ab eo tempore ſcripſerunt hoc de argumento quàm diligentiſſimè. Quis ſibi perſuadeat notiſſimæ ſapientiæ doctrinæque viros, vel tam infælici memoria fuiſſe, vt ſuæ victoriæ non meminiſſent; vel iudicio tam ſupino, vt non intelligerent eam illis eſſe obijciendam, qui bellum adhuc trahere vellent; vel gratiâ & auctoritate tam exigua, vt illo è numero Cenſorum nullum inuenirent qui rei geſtæ faceret fidem?

Aliud argumentum contra narrationem illam ex ſilentio Thomiſtarum.

XV. Hæc verò ſuſpicio magnopere augetur ex coniecturâ P. Ioannis à S. Thoma, dum infert ex noſtro ſilentio Cenſores nequaquam ſtetiſſe pro nobis. Sane, *inquit*, ſi Aduerſarij ſenſiſſent, pro eorum parte qualitercunque ſtare, nullatenus negligerent manifeſtare omnibus rem ſuæ opinioni ita fauorabilem. Quare autem, mi Pater, maiorem à noſtris diligentiam requiris quam à tuis; qui triginta vel quadraginta annis victoriam ſuam abſconderunt? Veſtra verò magis intererat vt hoc manifeſtaretur; quòd nobis ſufficere videatur ad opinionem victoriæ, talem fuiſſe diſputationum euentum, vt ea doctrina quàm continuâ ſex ſeptem ve annorum inſtantiâ curaueratis proſcribendam, donaretur iure Scholæ, ademptâ facultate illam impunè inſectandi notandique, dum aliud decernatur. Cùm enim in hac cauſa defenſores tantùm eſſemus impugnatæ doctrinæ; quis non intelligit nos eo nomine potuiſſe videri ſuperiores, quòd irritum atque innocentem reddidiſſemus impetum Aggreſſorum? Sed cùm inde coniectare homines poſſent, aggreſſionem fuiſſe non modo violentam, ſed & iniquam;

„ Diſp. 10. art. 6 p. 690.

Superius argumentum confirmatur.

Mmm

quis non videt necessariam fuisse illius iudicij manifestationem, vt eius æquitas salua esset? Et tamen sepultum illud fuit triginta circiter annis, quod spatium nemo est qui neget esse longè maius eo quod est necessarium ad præscribendum contra obtentæ huiusmodi causæ fidem. Est enim hoc commune publicorum certaminum, quorum est exitus indubitatus, vt nusquam sit clarior eiusce quæ incidit fortunæ fama, quàm circa tempora illa quibus pugnatum est. Quia tunc & hominum expectatio in rei euentum intentorum; & victæ partis dolor ac funera: & victricis triumphi, ouationes, & trophæa, latere non patiuntur in obscuro vtriuslibet partis sortem. Hîc autem post annos plures quem triginta, en tibi recentem veteris facti nuntium, qui hominibus pugnæ propemodum oblitis, repente insonat, vicimus, vicimus. Ecquo in prælio? Nempe in eo quod commissum est anno 1601. vel 1604. Victoria verò vbi tandiu delituit? Erat, inquit, inuoluta in scrinio D.Pennæ; sed eo mortuo prodiit in apertum, volitatque modo per ora virûm, vna cum miraculis ab eo editis. Gazetarij si hac ratione noua sua venditarent, quis obolo redemerit?

Aliud argumentum contra eandem narrationem ex actis authenticis disputationum.

XVI. Addo & aliam iustæ suspicionis causam. Quia P. Ioannes à S. Thoma dum hæc disputaret habebat penes se librum Congregationum habitarum coram Summo Pontifice, cuius meminit art. 6. pag. 688. quemque sæpius citat, & ex quo verba ipsa disputantium integrasque etiam orationes ac dialogos inter P. Lemos & P. Bastidam refert. Vnde constat deputatos fuisse publicos amanuenses & Secretarios à quibus ea scriberentur quæ gerebantur in singulis Congregationibus. Quod si colligebantur in illis Censorum vota, & numerabantur; quis non videt, fuisse hoc maximè notandum? Et si hoc notatum est: quis non videt inde potius referendum esse quæ pars esset potior, quàm ex diario Magistri Pennæ quem constat in omnibus illis seu Congregationibus seu Disputationibus neque visum vnquam neque auditum fuisse: ac proinde, cuius notæ contra publicam Secretariorum fidem valere nihil possunt?

XVII. Sed vide, Lector, an non satis intelligatur nequaquam collecta numeratave fuisse suffragia Consultorum coram Summo Pontifice; ex eo quod refert P. Ioannes à S. Thoma, qui finem Congregationis 35. in qua sola propriè disputatum est de Scientia Media, vt constat ex dictis: & consequenter in qua sola colligi debuerunt suffragia Consultorum circa difficultatem hanc, ita narrat: Et cùm permisisset Pontifex Bastidam breuiter dicere, » nec aliquid afferret quod esset magni momenti, & Lemos » se ad dicta remitteret: & in summa repeteret ea quæ di- » xerat iuxta mandatum Pontificis, soluta fuit Congrega- » tio, & ibi fuerunt finitæ disputationes de Scientia Media. » Soluta fuit Congregatio, desiitque vna cum responsione Bastidæ; nec deinceps de Scientia Media disputatum est; quænam est igitur illa Congregatio, in qua recensita sunt Censorum suffragia, vt dici potuerint omnes, vno aut altero excepto, Scientiam Mediam condemnasse?

Nusquam collecta numeratave Consultorum suffragia colligitur etiã ex literis Cardinalis Peronij infra. Art. 6. p. 690.

XVIII. Denique in istarum Congregationum relatione videtur hoc esse dignum aliqua discussione quod iam dicam. P. Ioannes à S. Thoma fuisse dicit Congregationes 47. coram duobus Pontificibus Clemente & Paulo, quarum prima incidit in tertiam septimanam quadragesimæ an. 1602. vltima in diem 22. Februarij an. 1606. tres istarum, hoc est 33. 34. & 35. occupatas fuisse in excipienda disputatione de Scientia Media, ita tamen vt punctum difficultatis in sola 35. tactum fuerit: seque earum omnium acta vidisse, atque habuisse, non semel significat. Rursus dicit antequam istæ Congregationes inciperent, in quibus disputabatur à designatis ab vtraque parte Theologis, præcessisse alias Congregationes, in quibus non disputabatur, sed Censores constituti examinabant ipsi per sese Molinæ doctrinam: & hæ, vt ipse se audiuisse dicit, fuerunt etiam numero 47. sed non potuisse earum *acta videre ad longum*. Licuit tamen videre transumptum illud D. Pennæ de quo antea: & transumptum illud est censura facta in 33. Congregatione, circa Scientiam Mediam. Vnde constat seriem vnam Congregationum, alteri correspon-

Aliud suspicionis fundamentum ex P. Ioan. à S. Th. de duplici serie Congregationum.

Ar. 6. p. 688

disse, primò quoad numerum; secundò quoad argumenta sessionum; postquam id quod erat tractatum in 33. sessione primæ seriei, agitatum etiam est in 33. Congregatione seriei secundæ: aliunde verò videtur hoc esse parum probabile.

Primò quia Summus Pontifex præscribebat interdum argumenta disputaturis, vnde, quod relatum est antea
Ar. 1 p. 607. scriptum per Secretarios Congregationis missum, *An sit sententia S. Augustini quod ante decretum, &c.* Pro prima Congregatione quæ incidit in diem 27. Oct. dicit P. Ioannes à S. Thoma fuisse, *scriptum vndecimum*: atque ita iam vndecies præscripserat Pontifex qua de re disputari vellet, quando facta est 33. disputatio. Cum ergo interdum præscriberet argumentum disputaturis, interdum non præscriberet; difficile est vt ita sibi inuicem responderint Congregationes istæ, vt quod erat agitatum in 33. primæ seriei, agitaretur idipsum in 33. secundæ. Et confirmatur hoc secundò, quia disputantes ipsi ita interdum partiebantur propositas quæstiones, vt earum numerum producerent, vt contigisse refert P. Ioannes à S. Thoma in hac ipsa 33. Congregatione, in qua P. Bastida importuna vt ipsi videtur distributione tres distinxit disputationes de Scientia Media, cum quæreretur id tantùm quod est tractatum in vltima. Quomodo ergo potuerit esse consensus ille vnius ordinis Congregationum cum alio, ita vt hinc essent 47. & illinc quoque: Et in illarum 33. tractaretur Scientia Media similiter etiam in 33. istarum? Non dico esse illud impossibile. Sed est casus eiusmodi, qui vereri faciat ne in illa Congregationum relatione, ac distinctione perturbatum aliquid fuerit; vt sit futurum operæ pretium si elucidetur. Et cùm dederimus ita sibi inuicem respondisse illas vtriusque ordinis Congregationes, inquiremus vlterius qui factum sit, vt post 35. dicatur esse lata sententia contra Scientiam Mediam, cuius propria difficultas agitata est tantùm in 35. vt refert P. Ioannes à S. Th. Censores illos, an Prophetas dicemus, qui causæ disceptationem iudicio præuenerint suo, diremptores litium futurarum?

XIX. Atque hæc quæ huc vsque allata sunt, colliguntur ex sola collatione narrationis Salmanticensium & confirmationis P. Ioannis à S. Thoma, quos minimè dubium est selegisse ex illis relationibus quidquid iuuare poterat eam causam quam suscepere propugnandam, omisisse verò quod nocuisset. Vnde facilis est coniectura, longè plura posse adduci ad eleuandam censuræ illius quæ nobis obiicitur aut vim aut fidem; si nos eadem quæ mouit Aduersarios sollicitudo impulisset, eademque iuuisset fortuna in exquirendis inueniendisque huiusmodi Congregationum actis. Sed hæc illi occupauere diligentia sua, qua nos vinci facilè patimur, nihil admodum moliturі, nisi cùm nos eorum impetus excitauerit.

XX. Verùm demus liberaliter Aduersariis, id quod minimè debitum est, & excepta semper subscriptione illa Summorum Pontificum de qua iam Scriptorem appellaui, non nutet superiorum relationum fides, Censorumque illorum qui conuenere ad ferendum de hoc argumento iudicium, pars maxima Scientiam Mediam repudiarit vt minime Augustinianam minimeque fauorabilem diuinæ gratiæ; succurrunt tamen adhuc quatuor quibus illud iudicium Societatis doctrinæ reddatur innoxium.

Quamuis esset vera narratio, sua tamen staret auctoritas Scientiæ Mediæ.

Primum est id quod refert Eminentissimus Cardinalis Perronius, literis ad Henricum IV. Romæ scriptis eo tempore quo hæc gerebantur, quoque ipse disputationibus intererat; significat enim concurrisse politicas rationes cùm Theologicis quæstionibus, & nocuisse Iesuitis apud Censorum plerosque, quod vulgò iam intelligeretur, & quo in illos Henricus IV. & quo illi vicissim in Henricum IV. animo essent. Perronij verba refero.

Cardinalis Perronis testimoniũ. Tom.4 qui de legationibus inscribitur.

Constituit me Papa tribus in Congregationibus, &
„ earùm duæ sunt quarum vti rationem reddam M. V.
„ officij mei esse duxi: altera est De Auxiliis, in qua con-
„ trouersia Patrum Iesuitarum cum Dominicanis tracta-
„ tur: qua de re præter id quod ad commune bonum
„ Religionis spectat; V. M. poterit ex iis quas accipiet

Le Pape m'a colloqué en trois Congregations, de deux desquelles i'ay estimé estre

„ de rebus Hispaniæ relationibus iudicare NVM SVBSIT „ ALIQVA RATIO STATVS, quæ causa sit cur inde negotium contra Iesuitas tam vehementer vrgeatur. 7. „ Feb. 1605. Romæ.

de mon deuoir de rẽdre cõpte à V. M. l'vne est celle *De Auxiliis*, en laquelle se traite la dispute d'entre les Peres Iesuites & les Iacobins, sur quoy outre l'interest du different de la Religion, Vostre Majesté pourra iuger par les aduis qu'elle aura d'Espagne, S'IL N'Y AVRA POINT QVELQVE RAISON D'ESTAT, qui fasse qu'on sollicite de delà si viuement contre lesdits Peres Iesuites 7. Feb. 1605.

Alteris vero literis quænam esset illa ratio status sic ex„ plicat. De quæstione quæ inter Patres Dominicanos & „ Iesuitas intercedit, nihil dubitet V. M. quin statim at„ que Papa decisionem aliquam fecerit certiorem illam „ sim redditurus. Hispani palam patrocinium Domini„ canorum suscepere : idque vt mihi quidem videtur, „ ODIO AMORIS ILLIVS, QVEM ET P. GENERALIS „ IESVITARVM & ILLIVS ORDINIS FERE OMNES PRÆ „ SE FERVNT ERGA MAIESTATEM VESTRAM. Vt vi„ deatur Religionis controuersia in quæstionem status „ degenerare. Scitè interea discernet Pontifex, & ve„ ritatem adiudicabit legitimo possessori. 23. Ian. 1606. „ Romæ.

Et pour le regard de la dispute des Peres Iacobins & Iesuites, i'asseure Vostre Majesté que si-tost que le Pape en aura fait quelque decision ie ne failliray luy en donner cõpte. Les Espagnols font profession ouuerte de proteger les Iacobins, EN HAYNE COMME IE CROIS DE L'AFFECTION QVE LE P. GENERAL DES IESVITES, ET PRESQVE TOVS CEVX DE SON ORDRE (excepté ceux qui dependent du P. Mendoze, & Personius, comme particulierement les Iesuites Anglois) ont montrée de porter à V. M. & semble que d'vne dispute de Religion ils en veulent faire vne querelle d'Estat. mais sa Saincteté sçaura bien discerner l'vn interest d'auec l'autre, & adiuger la verité à qui elle appartiendra. 23. Ianuier an. 1606.

Vnde inferat, prudens Lector, id quod etiam aliunde constat, Perronium in hac controuersia Iesuitarum doctrinam contrariæ prætulisse : quòd probabile non sit illum vel adeo peruersè interpretatum esse Hispanorum consilia, vel adeò parum fauisse propriæ sententiæ, vt rationem status & iniqua odia suspicaretur in ea causa protegenda, quam ipse solo veritatis amore protectione sua dignam censeret.

Secundum est, si tanta erat, quantam Aduersarij passim supponunt in Summo Pontifice propensio ad profligandam Scientiam Mediam: nec aliud expectabat quam vt videri posset id fecisse cum ea maturitate prudentiaque

quam id genus negotia requirunt ; cùm conspirarent Consultores ferè omnes vt dicunt : & præcessisset diuturna multorum annorum meditatio disceptatioque : nec aliud restaret quod humana prudentia meritò requireret ad ferendam sententiam ; quòd ea non sit sequuta, sed potius Scientiæ Mediæ assertio eadem qua illius contradictoria libertate donata sit, dum vltimum iudicium expectatur ; non posse attribui alteri causæ, quàm occultæ atque infallibili directioni Spiritus veritatis, qui & Ecclesiam & Ecclesiæ caput nunquam deserit, ex immobili Dei promissione.

Tertium est, Iudicia Censorum quæ nobis opponuntur, præsertim illa quæ ad annum 1601. spectant, præter quam quòd sunt iudicia inferioris subsellij, à quo iusta possit esse appellatio, ad maiorem numerum æqualium in eruditione ac dignitate ; fuisse concepta ante integram causæ tractationem. Referuntur enim ad 33. Congregationem, cùm superessent adhuc duodecim. Sententiæ autem istæ quæ dicuntur interloquutoriæ, non sufficiunt ad definitiuam de causæ totius æquitate cognitionem. Magnam verò gratiam Aduersarij à nobis iniissent, si vt erant instructi Congregationum actis, dicere voluissent, ecquis fuerit vltimarum sessionum exitus sub Paulo V. Erat enim non obscura tunc fama, quæ ferebat efficacissimè pugnatum à nostris. Dicant ergo amabo quænam fuerit tunc Censorum seu Consultorum motus, quive sensus Pontificis ? Nec refert quòd esset antea disputatum de Scientia Media sub Clemente. Satis enim connexæ sunt istæ materiæ vt posteriorum notitia conferat ad pleniorem certioremque priorum cognitionem.

Quartò præter successum hunc disputationum, scimus insuper motum fuisse Summum Pontificem Academiarum quarumdam ac Præsulum, atque etiam Principum intercessione, quâ certò constitit Censores illos qui seorsum à Pontifice, vel qui coram Pontifice contra Scientiam Mediam stetisse dicuntur, nequaquam repræsentare potuisse quis esset communior Christianismi sensus.

Scientia Media non satis fideliter explicata Summo Pontifici Clementi VIII.

Disp. 4. concordiæ. S. 4. n. 4.

XXI. Ad propensionem Summi Pontificis quod attinet; cadit ea suspicio in Clementem VIII. tantùm. Nam de Paulo V. contraria potiùs est coniectura, vt mox dicam. Præter ea verò quæ dicuntur in vitâ Bellarmini non est omittendum id quod refert P. Petrus à S. Ioseph Scientiam Mediam ita illi fuisse depictam, vt actus bonus qui dicebatur ex hypothesi futurus, non diceretur futurus ex hypothesi gratiæ, sed ex vi naturæ solius. Hoc enim patuit dum P. Carmelitanum qui defensionem Scientiæ Mediæ susceperat interrogauit Pontifex, quid præsciret Deus per scientiam conditionatam? Quo respondente *præscire bonum vsum liberi arbitrij*; Subiecit Pontifex iterum interrogando, ***Aut quem gratia, aut quem natura erat factura?*** Addiditque, ***si primum, est contra Molinam; si secundum, est secundùm Cassianum.*** Vnde constat iustissimam fuisse eius alienationem à Scientiâ Mediâ, sed ex informatione parum sincera natam; ex illa inquam suggestione quâ intelligeretur esse contra Molinam, si diceretur Deus præscire bonum vsum liberi arbitrij ex hypothesi gratiæ tanquam causæ ipsum eleuantis & adiuuantis futurum. Quod tantùm ab est vt sit contra Molinam, vt potiùs dicenda sit, esse ipsissima Molinæ sententia. Hæc autem scripta esse dicit P. Petrus à S. Ioseph, in relatione eorum quæ gesta sunt Romæ in hisce disputationibus, quam scripsit propriâ manu vnus è Consultoribus, qui *aperte*, inquit, ***fauebat Dominicanis.***

Idem refert Quæstionarius Tolosanus Thesi 13.

Lib. 3. legationum.

De Pauli V. propensione.

XXII. Paulum V. minimè commotum fuisse vllo Censorum iudicio inclinatum ve in contrariam partem satis ostendit id quod narrat Cardinalis Perronius, in Epistolâ ad Henricum IV. scriptâ vndecimo Iulij 1606. ***Duobus ante illam diem mensibus***, & consequenter vno aut altero mense post vltimam disputationem, quæ incidit vt refert P. Ioannes à S. Thoma, in diem 22. Feb. » eiusdem anni Pontificem iussisse vt acta omnia Concilij » Tridentini, processusque; ac narrationes omnes, quæ » ad illud spectarent, ex Castello Sancti Angeli in quo » seruabantur extracta, ipsi traderentur; vt videret quid» quid ad eas quæstiones quæ tunc disputabantur, pertinebat:

Pour le regard de la dispute qui est entre les Peres Iaco-

nebat: ſibi non licuiſſe per calores & conſilia medico- „ rum ab ſtudiorum contentione dehortantium euoluere „ illa omnia ſcripta: ſperare ſe cum primum perfeciſſet, „ repetendam huiuſce cauſæ diſceptationem: quo tem- „ pore facturum ſe ſatis deſiderio Chriſtianiſſimi Regis „ Imperioque ſignificandi progreſſum huiuſce Negotij. „ Ex quibus perſpicuè liquet, Primò, Pontificem poſt diſputationes omnes & Conſultationes ancipitem adhuc fuiſſe miniméque determinatum; pronum tamen ad ſequendum Peronij iudicium: quippe quem probè noſſet ingenio virum eſſe ſagaciſſimo, & ſupra comparationem omnem eruditiſſimo, & quo nemo vnquam ſubtilius tum SS. Patrum ſenſa, tum Caluiniſmi fibras diſpunxit. Vnde ſecundò liquet, ſomnium eſſe illud quod antea narratum eſt de *ſubſcriptione* Summi Pontificis *tanquam priuati Doctoris* in condemnationem Scientiæ Mediæ. Quomodo enim potuit ſubſcribere & quando, qui tanto poſt diſputationes omnes tempore, pendebat adhuc animi dubius, expectabatque Perronij ſententiam poſt exploratas Tridentinorum cogitationes:

…bins & Ieſuites, de l'aduancement ou retardement de laquelle V M. m'auoit commandé de luy donner aduis, le Pape fit mettre il y a 2. mois entre mes mains les actes du Concile de Trēte auec toutes leurs Hiſtoires & procedures qui eſtoient gardées au Chaſteau S. Ange pour les voir ſur cette matiere, mais pour ce qu'ils ſont fort gros, & que les Medecins durant ces chaleurs ne me permettent pas de faire grands excès d'eſtude, je n'ay peu encore auoir la commodité d'en venir à bout.... ſi toſt que ie les auray acheuées de voir, ie croy que la choſe reprendra ſon cours.... auquel temps remettant d'en donner aduis à Voſtre Majeſtè, &c. De Rome ce 11. Iuillet 1606.

XXIII. Tertiò liquet Congregationes huiuſmodi nequaquam habitas more iudiciorum, ita vt poſt cauſam vtrimque diſceptatam, Cenſores conuenirent cum Pontifice ſingulorumque ſuffragia inquirerentur. Hoc enim non omitteret Perronius, qui iubenti Regi promiſerat ſe renuntiaturum quamcumque deciſionem; cùm tamen neque in Epiſtola iam citata, neque in alijs quas ſcribebat occaſione huiuſmodi congregationum, cuiuſmodi eſt illa quæ notatur 11. Ian. an. 1606. quo die diſputatum eſſe ſcribit octo circiter horis; item illa quæ notatur vltimo Nou. an. 1605. poſtridie quàm eſſet diſputarum decem circiter horis, quicquam innuat de illa Cenſorum definitione. Nempe iudicium illud in aliud

tempus differebatur, vt ex contentione partium eam iudices notitiam compararent quæ suo tempore iuuaret ad ferendam sententiam. Tempus autem illud nunquam aduenit, alio distractis Pontificis curis ob Venetorum motus & turbationem, initoque consilio relinquendi potiùs controuersiam hanc liberæ partium disceptationi, quàm eam definiendi. Et confirmatur hoc ex alijs Peronij literis ad Henricum 4. datis 8. Mar. 1606. decimo quarto die post vltimam congregationem, quam dicit P. Ioannes à S. Thoma 22. Feb. habitam, quibus scribit *Illo ipso die voluisse Pontificem colligere suffragia Cardinalium qui congregationibus intererant circa quædam puncta in eis tractata.* En vt Cardinalium tantùm & circa quædam tantùm puncta postulata sententia est. quòd vero nihil fuerit conclusum quod ad causæ decisionem pertineret, posterioribus idem literis apertè significat; cum scribit, *Quod spectat ad quæstionem de auxilijs, disputationes finitæ sunt:* SED NVLLVM ADHVC INITIVM DECISIONI DATVM EST. Quid igitur fiet illâ picturâ Scriptoris Salmanticensis Collegij, quæ sic habet? Tertio » notandum est, quod vna quaque parte hinc inde pro » se allegante & diuersa D. Augustini & Angelici Docto» ris testimonia in sui fauorem proferente, longum diutur» numque tempus in huius causæ discussione, probatione, » & vt sic dicamus litis contestatione consumptum est. » Nam circa hoc habitæ sunt quamplures sessiones sub » vtroque Summo Pontifice, *Clemente* VIII. & *Paulo* V. » adstantibus triginta illis grauissimis viris: & ex omnibus » illis vno vel altero excepto cuncti alij eam sententiam » protulere. Quomodo potuit ita ferri sententia vt illam » ignoraret Perronius? Quomodo si eam sciuit potuit non » scribere iubenti Regi, cùm se id facturum recepisset? Quomodo potiùs quarto ferè post mense, dubium Pontificem & causam pendentem adhuc repræsentauit? Et quomodo nondum ventum erat ad vllum *decisionis initium* si erant collecta consultorum suffragia? Nullum-ne hoc erat *decisionis initium* quòd illi sententiam dixissent? Hæc certè si quo vt decet animo expendantur; peri-

Outre ce qu'auiourd'huy le Pape a voulu recueillir les voix des Cardinaux qui assistent à ladite Congregation, sur quelques points qui s'y estoiēt traictez le 8. Mars 1606.

Quant à la dispute de *Auxilijs*, les disputes sōt finies mais on n'a pas encore commēcé de venir à la decision 20 Mars 1606.

culum est ne Scriptor Collegij Salmanticensis videatur effectui suo dum hoc pingeret nimium indulsisse. Lucem vero attulisset huic coniecturæ P. Ioannes à S. Thoma, si testimonium exhibuisset D. Pennæ, quo dicit Consultores coram Summo Pontifice in censura permansisse. statim enim intellectum esset ex temporum notis & personarum, quid de hac suspicione sit sentiendum. Sed lucem illam nobis inuidit: fortassis etiam ipse timuit.

Hæc ego Tolosæ scripseram ad primam huiusce libri editionem anno 1645. cum nulla fere suppeterent huius historiæ monumenta nisi quæ ipsimet Aduersarij producebant. Horum deinde copia cum paulo maior suppeteret Romæ anno 1652. addidi quæ videri possunt in Præfatione ad *informationem de quinque propositionibus* vbi & de commentitia illa Pauli V. Bulla contra Molinam. Sed ne vlla sit deinceps hisce obiectionibus respondendi cura, fecit sapientissima Innocentij Decimi prouidentia in illo decreto quo libros Iansenij & Iansenianorum omnes proscripsit anno 1654. die 27. Aprilis. Iuuat eius verba hic referre quæ sic habent. Cæterum cum tam Romæ „ quam alibi circumferantur quædam asserta. Actu manuscripta & forsan typis excusa congregationum habitarum „ coram fel. recor. Clementis VIII. ac Paulo V. super „ quæstione de auxilijs diuinæ gratiæ tum sub nomine Francisci Pennæ olim rotæ Romanæ Decani quam Fr. Thomæ de Lemos Ord. Prædicatorum aliorumque prælatorum ac Theologorum, qui vt asseritur prædictis interfuerunt congregationibus, necnon quoddam Autographum „ siue exemplar cuiusdam assertæ Constitutionis eiusdem „ Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de auxilijs „ ac damnatione sententiæ seu sententiarum Ludouici „ Molinæ Soc. Iesu: eadem sanctitas sua præsenti hoc decreto declarat ac decernit prædictis assertis actis tam pro „ sententia FF. Ordinis S. Dominici quam Ludouici Molinæ aliorumque Societatis Iesu Religiosorum, & Autographo siue exemplari prædictæ assertæ Constitutionis „ Pauli V. Nullam omnino esse fidem adhibendam, neque „

„ ab alterutra parte ſeu à quocumque alio allegari poſſe „ vel debere ; ſed ſuper quæſtione prædicta obſeruanda „ eſſe decreta Pauli V. & Vrbani VIII. ſuorum præde- „ ceſſorum.

CAPVT II.

Quid D. Auguſtinus & D. Thomas de ſcientiâ mediâ.

§. I.

Satisfit ijs quæ obiiciuntur ex Auguſtino.

XXIV.  Atisfactum iam erat ſuperiori diſputatione, præſertim cap. 3. & 4. Sed quia P. Ioannes à S. Thoma vim omnem earum obiectionum quæ petuntur ex Auguſtino in vnum colligit ſyllogiſmum, operæ pretium erit ijs etiam adhibere methodicam ſolutionem, & compendio repetere quæ fuſiùs erant diſputata. Sic igitur argumentatur P. Ioannes à S. Thoma.

Diſp 10 ar 3 pag. 636. Syllogiſmus Ioãnis à S. Thoma cõpendio continẽs Auguſtini ſententia contra ſciẽtiã mediam.

„ Modus iſte cognoſcendi futura conditionata ante de„ cretum præueniens voluntatem noſtram, & iuxta illud „ (*legendum opinor, iuxta illum*) admittendi efficaciam de„ creti diuini, & conciliandi libertatem noſtram cum illo, „ fuit à SS. Proſpero & Hilario propoſitus Auguſtino, „ tanquam aſſertus ſeu admiſſus à Maſſilienſibus.

„ At S. Auguſtinus illis reſpondens, talem modum „ ſcientiæ non admiſit; quin potius, ſi antea dixerat Deum „ præſcire iſta conditionata, dicit intelligendum ſuppoſita „ voluntate Dei, & prædeſtinatione eius:

„ Ergo ſcientia media, ſeu cognitio conditionatorum „ ante decretum præueniens & abſolutum ex parte Dei, vt „ modò ponitur, contra mentem S. Auguſtini inducitur;

& sic releganda est. Totus discursus & consequentia est „ legitima. Maior & minor probanda est. „

Probanda est omnino maior & minor; contendimus enim ambas esse falsas: nec quicquam esse in toto illo discursu legitimum excepta fortasse consequentia. Ergo negamus scientiam mediam fuisse vnquam propositam Augustino, veluti rationem idoneam *ad conciliandam efficaciam diuini decreti cum actionibus liberis decretis*, qui debet esse maioris sensus; sed fuisse tantùm propositam ad inueniendam aliquam rationem ex parte hominum, cur vnis annuntiaretur Euangelium, & non alijs; cur hic baptisatus in infantia moreretur, illo ante baptismum sublato: hoc est fuisse propositam Augustino ad refundendendam in hominum libertatem idoneam causam propter quam contigerit illa Nationum discretio in Euangelij prædicatione, atque illa pariter discretio paruulorum in administratione baptismi: Et hic solus fuit modus, hoc est, abusus scientiæ mediæ à Massiliensibus admissus, vt fusè antea monstratum est.

Prædicti syllogismi falsa maior.

Quomodo fuerit Augustino proposita scientia media à Semipelagianis.

Supra disp. 3. cap. 4.

Vt probet illam maiorem P. à S. Thoma, supponit quod est in quæstione, petitque principium. Illud Fausti Rhegiensis; *Nisi præscientia explorauerit, prædestinatio nihil decernit*: intelligendum dicit de præscientia conditionata, & addit; Supponebant ergo ante omne decretum „ præueniens dari præscientiam exploratiuam, quæ vtique non potest explorare res, nisi sub statu conditionato. „ Sed fallitur: nam & Faustus intelligendus est de præscientia absoluta; & Massilienses illa sæpius abutebantur, quam conditionata, vt ostensum est. Et quod addit credidisse illos, si decretum præscientiam præueniret, libertatem tolli omnemque industriam remoueri: si verò præscientia præueniret decretum, suum libertati locum relinqui: Ergo per præscientiam saluasse libertatem; Verum est, sed per præscientiam absolutam actionum à diuina gratia independentium. Volebant enim Deum absolutè præscire quinam essent benè vsuri libero arbitrio, & proposito Euangelio credituri, aut habituri sensum aliquem suæ miseriæ, atque imploraturi diuinam opem, & tunc

Vide supra num. 78. disp. citat.

Loco citat. §. 1. & 2.

Faustus Rhegiensis quam præscientiam præmittat diuino decreto.

decernere vt illis daretur gratia, non iam ad volendum credere vel orare; sed ad vlteriorem sanctitatem & perfectionem comparandam. Item præscire Deum absolutè quinam essent in accepta sanctitate per easdem vires liberi arbitrij, & sine speciali gratia perseueraturi: & tunc decernere vt illis daretur gloria: atque ita quòd ex peccatoribus hic præ illo gratiam iustificationis reciperet, eius libertati attribuendum: & quod ex iam iustificatis hic præ illo ad gloriam perueniret, similiter: & eo sublato videbatur illis ipsam quoque hominum libertatem tolli, omnemque industriam remoueri.

Quòd si quis paruulos obiiceret ante & post baptismum raptos, tunc destituti præsidio absolutæ præscientiæ, abutebantur conditionata aut media; tantumque valere putabant merita conditionate futura, si viuere sinerentur illi paruuli seu rapti, quantum absolutè futura: atque ita ex illa præscientia decerni putabant, & illius mortem ante baptismum, & istius post baptismum. Quò fiebat, vt huius quoque decreti bonum & malum eorum libertati deputarent, non ei quidem quam exercuissent, sed quam essent exercituri ex hypothesi numquam ponenda.

Si quis pariter obiiceret adultos, quorum alij alijs præferuntur in Euangelij prædicatione, dicebant præsciuisse Deum quinam essent credituri, quique non credituri ex hypothesi prædicationis, & cum vellet omnibus omnino Euangelium prædicari, fuisse tamen impeditum illius incredulitatis hypothetice futuræ præscientia, ne prædicatores ad eos mitteret, qui essent abusuri prædicatione: atque hoc modo causam subtractæ prædicationis in ipsam quoque libertatem eorum, quibus non prædicabatur, refundebant. Hac igitur ratione censebant & saluari libertatem; si præscientia præluceret diuinæ constitutioni; & destrui, si non præluceret: non quòd illa constitutione prædefiniri putarent actiones humanas hypotheticè præscitas (hoc enim dixisse nusquam reperiuntur) sed quòd putarent ita prædefiniri & finem & media, tum interna tum externa, hoc est, & gloriam & gratiam & præ-

Pugnarunt Semipelagiani pro libertate à diuina gratia independenti.

dicationem & sacramenta, vt semper esset in hominum libertate, independenter à Dei gratia, causa quædam, quæ talem prædefinitionem postularet: alioqui fatum induci, & omnem industriam remoueri, vt ostensum est iam sæpe toto capite illo 4. §. 1. 2. 3. 4. 5. superioris disputationis. Pugnabant igitur Massilienses, non pro quacunque libertate hominum, sed pro illa, quæ sibi sufficeret independenter à Dei auxilio, ad dandam causam diuinæ constitutionis, decernentis gratiam, decernentis gloriam post finalem exitum, decernentis applicationem vel subtractionem baptismi, atque etiam prædicationis: & causam illam ex absoluta præscientia traxerunt quandiu illa potuit prætexi; quando non potuit, tunc tandem confugere ad conditionatam.

Ex quibus colligitur legitima interpretatio locorum omnium, quæ P. à S. Thoma producit, vt ostendat propositam fuisse Augustino scientiam mediam. Nam quod affert ex Prospero: *Qui autem credituri, quiue in ea fide, &c.* ostensum est intelligendum esse de absolutâ præscientiâ. Illud quoque, *hanc de humanis meritis præscientiam, secundùm quam gratia vocantis operetur:* quamuis præscientiam conditionatam comprehendat; non habet tamen aliam sensum, quàm quem diximus, nempe incredulitatem hypotheticè præscitam earum nationum, quæ dimissæ sunt ingredi vias suas, fuisse causam subtrahendæ prædicationis; & sine tali aliquâ præscientiâ reijciendum Dei propositum, non illud quo humanas actiones prædefinit, sed quo vel gratiam ipsam primam ac præuenientem, vel externa iustificationis media, vel gloriam prædestinat. Illud Hilarij; *Illam præscientiam sic accipiunt*, de absolutâ intelligendum est. Illud verò: *Cùm eis dicitur, quare alijs vel alicubi prædicetur?* de conditionatâ modo iam explicato: Iterum illud Prosperi: *Penè omnium par inuenitur & vna sententia, &c.* Ostensum est intelligi debere de præscientia absoluta sicuti etiam illud, *Quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam, &c.* Vnde constat nullum omnino esse locum vel apud Augustinum, vel apud Prosperum aut Hilarium, quo monstretur propositam Augu-

Supra disp. 3. n. 107.

Ib. n. 106.

Ibid. num. 33 61. 65.

Ibid. n. 107.

Ibid. num. 71. & seq.

ſtino fuiſſe ſcientiam mediam ad conciliandas prædefinitiones diuinas cum libertate humanarum actionum prædefinitarum; quod aſſumit P. à S. Thoma in maiore ſui ſyllogiſmi iam negatâ.

Minorquoque negatur.

Nihilo magis reiecit Auguſtinus ſcientiam mediam, quâ ſcientiam viſionis ſed vtriuſque abuſum tantùm.

XXV. Sed minor quoque neganda venit, quæ ſic habet: At S. Auguſtinus illis reſpondens talem modum ſcientiæ non admiſit, quin potiùs, ſi antea dixerat Deum præſcire iſta conditionata, dicit intelligendum ſuppoſitâ voluntate Dei & prædeſtinatione eius. Negamus itaque Auguſtinum reiecisse vnquam *hunc modum ſcientiæ*, ſed ſolum huius ſcientiæ abuſum illum, quo Maſſilienſes conabantur libertatem hominum tueri etiam in ſuppeditanda vt diximus causâ, propter quam Deus externa ſalutis media, baptiſmum ſcilicet, inæqualiter diſpenſaret ac diſponeret circa paruulos, & prædicationem Euangelij circa adultos. Atque ita eadem eſt ratio, quantum ad hoc negotium, abſolutæ ac conditionatæ præſcientiæ: Eſt enim vtraque Auguſtino propoſita quòd vtrâque Maſſilienſes abuterentur. Verum ſicut abſolutam non reiecit Auguſtinus, ſed illius abuſum tantùm; ita neque conditionatam ſeu mediam, ſed huius quoque abuſum tantùm; quæ erat prior pars minoris.

Diſp. 3. cap. 3. n. 39. & ſequent.

Negamus pariter, quod dixerat Auguſtinus Deum præſcire iſta conditionata, *intelligendum ſuppoſitâ voluntate Dei & prædeſtinatione eius*; quæ eſt altera pars minoris. Contrarium enim fusè monſtratum eſt antea, reiectumque quod infertur ex libro de prædeſtinatione Dei, & oſtenſum ita interpretandum quod habetur cap. 9. de præd. SS. de præſcientia Chriſti reſpectu crediturorum & non crediturorum: quo in loco illud, ſed vtrum prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi: id eſt, vtrùm tantummodò eos præſcierit, an etiam prædeſtinauerit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putaui, accipiendum iuxta mentem Maſſilienſium. Nam cum illi putarent ſuppoſitâ prædicatione præſciri aliquos conditionatè à ſeipſis, ac ſinè aliâ vllâ gratiâ fidem habituros, conſequenter etiam putabant præſcientiam conditionatam futuræ fidei tranſire

sire in absolutam sine prædestinatione illâ Augustinianâ, quæ est gratiæ præparatio. Augustinus igitur per illud, *id est*, huiusmodi errorem corrigit; & quia supponit non præscisse Deum conditionatè qui essent credituri, nisi ex suppositione gratiæ; infert nec id præscisse absolutè nisi cum prædestinatione seu præparatione eiusdem gratiæ; quod tamen non expresserat dum responderet ad quæstionem Paganorum, quia hoc non quærebatur tunc. Atque ita illud, *id est*, non impedit quò minùs id quod sequitur, intelligendum sit de absolutâ præscientiâ, etiamsi quod præcedit, pertineat ad conditionatam, quia non importat meram interpretationem, sed sequelam etiam propter quam fiat, vt qui primum dicit, æquiualenter dicat secundum: quod sufficit ad verum vsum illius particulæ *id est*: & hanc esse mentem Augustini conuincitur ex verbis sequentibus, quibus significat hanc, de quâ hic loquitur, prædestinationem coincidere cum electione saluandorum.

Vide supra disp. 3 num. 39. & seq.

Quæ prædestinatio necessaria sit, ad præscienda futura conditionata.

XXVI. Ad ea quæ addit ex Augustino & hoc & alijs locis, fidem non solum præscitam, sed etiam prædestinatam; ac proinde non posse præsciri sine illa prædestinatione, hoc est, sine prædefinitione, iam sæpe responsum est, prædestinationem quæ necessaria est ad fidem, non esse fidei prædefinitionem, sed præparationem gratiæ ad credendum necessariæ, vt Augustinus loquitur, vnde sequitur tantùm, fidem neque præsciri posse absolutè, nisi existat absolutè illa prædestinatio; neque conditionatè, nisi eadem inuoluatur in hypothesi, ex quâ enuntiatur sequutura. Quod exprimitur tali quadam propositione: Si proponeretur Euangelium illi homini, & prepararetur, atque etiam daretur gratia ad credendum necessaria, ille crederet. Diuinum illud *munus* intelligentiæ, quod Augustinus inesse dicit naturaliter quibusdam hominibus, ex quo fiat vt sint credituri, *si congrua suis mentibus vel audiant dicta, vel facta conspiciant*: siue significet naturalem quandam docilitatem, vt omnino supponere videtur Augustinus; siue supernaturale aliquod donum, vt contendit P. à S. Thoma, nemo nostrum negat pendere ex Dei

Cap. 9. de præd. SS.

Loco citat. pag. 641. voluntate præsupposita existente vel absolutè vel conditionatè, pro vt hoc donum aut absolutè aut conditionatè supponitur existere. Sed quod inde colligit, referendum igitur esse totum hoc ad Dei voluntatem: hoc est, non solum quòd existat donum hoc; sed etiam quòd ex illo sequuturum sit conditionatè vt credant, qui supponuntur credituri; referendum, inquam, ad voluntatem, non quæ esset, sed quæ sit; quod est esse referendum ad præsentem & existentem fidei conditionatè tantùm futuræ prædefinitionem: hoc ne cogitatum quidem dicimus ab Augustino: neque vllam eiusce rei suspicionem creare possunt verba illa, *audiunt hæc & faciunt quibus datum est, &c.* quæ, vt per se patet, absolutam fidem & operationem significant, pendentem à voluntate similiter absolutâ dandi *munus illud intelligentiæ*, quo auditores fiunt dociles, & beneficium prædicationis, & internam ad assentiendum gratiam: nullo verò modo significant præsentem Dei voluntem circa fidem conditionatè futuram.

Vide supra disp. 1. n. 46

Falsum esse quodcumque præscitum apud Augustinũ esse etiam propositum

Generalis regula quam supponit P. à S. Thoma traditam ab Augustino: Quæcumque sunt præscita, & quomodocumque priùs esse proposita, hoc est prædefinita, nusquam extat: & antea monstratum est præscientiam cum proposito connexam, ex Prospero & Augustino esse absolutam & pertinere ad electos: Atque illam quæstionem quam Prosper Augustino proponit, *an ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita*, non habere alium sensum, quàm istum, an dicendum sit fidem incipientem ac perseuerantem vsque in finem, quam Orthodoxi putabant propositam in prædestinatione gratiæ ad illam necessariæ, esse tantùm præscitam, vt volebant Massilienses, hoc est, sine tali proposito vel prædestinatione futuram per vires liberi arbitrij. Et ideo Augustinus quæstionem illam nunquam aliter soluit, quàm probando necessariam esse gratiam: & fidem, siue incipientem, siue perseuerantem esse prædestinatam in præparatione gratiæ, quod est, esse propositam.

Supra disp. 3. num. 70. & sequent.

De bono pers. c. 17. Quo supposito principio rectè dicit Augustinus de bonis operibus, *Quod si ea dantur à Deo, & ea se daturum esse*

præsciuit ; profectò prædestinauit. Supposita etiam gratiæ necessitate aliunde probatâ ; consequens est, vt quæ sunt & præsciuntur absolutè futura, sint quoque prædestinata eiusdem gratiæ præparatione ; & quod eâdem prædestinatione sublatâ, tollatur quoque illa præscientia: ex quo nihil inferri potest pro prædefinitione futurorum conditionatè. Supra disp. 3 num. 76. & seq.

Denique generalis alia regula pro statu, non solùm absoluto, sed etiam conditionato, quam infert P. Ioan. à S. Thomâ ex Augustino, *Quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligendam esse,* minimè generalis est, quod suam ipsa contractionem afferat illis verbis, *& agitur de vocatione electorum*, nisi fortè vult electos dici posse reprobos, ad quos pertinet conditionata bonorum operum quorumcumque præscientia. Nihil ergo præsidij sperari potest ex Augustino. Adeamus S. Thomam. Pag. 643. Falsû quoque prædestinationē subintelligendā vbicũque præscientia nominatur. De bono perf. c. 18. Vide supra disp. 3 n. 78.

§. II.

Quid D. Thomas de Scientia Media.

XXVII. CONuenit inter nos & Aduersarios S. Thomam nihil vnquam ex professo disputasse de Scientia Media, siue vt illam confirmaret siue vt reiiceret ; nec alia superesse potest controuersia, quàm vtrum cætera tractando, vt fieri solet, inseruerit aliqua quibus videri possit ab eo vel acceptata vel repudiata illa scientia, seu disertis verbis, seu communibus principiis & suppositionibus, necessaria deductione cum eâ connexis. Quod enim dixerat P. Ioannes à S. Thoma de D. Augustino, idipsum repetit de Angelico Doctore nimirum Scientiam Mediam esse ab eo *manifestè iugulatam*, quod etiam probare conatus erat Scriptor Collegij Salmanticensis. Vnde vtrique satisfaciendum est atque monstrandum Scientiam Mediam armari à D. Thoma mucro- Disp. 20. quæst 14 a. 4. pag 646. Disp 10. dub. 4. n 18.

ne illo quo eam ipsi iugulari putant; ficuti antea etiam monstratum est de Diuo Augustino.

Et in primis est hoc inculcandum amico Lectori, disputare me cum iis Doctoribus qui fatentur scientiam Dei conditionatam, seu liberorum actuum creaturæ conditionatè futurorum & cognitam fuisse D. Thomæ & probatam. Quæstio tantùm est, vtrum admiserit præsens atque actuale decretum diuinæ voluntatis circa eadem omnia futura. Si enim admisit, Scientiam Mediam omnino iugulauerit; si non admisit, armauerit illam potiùs. Cùm verò ego in hac quæstione partem illam sequar, quæ negat posita esse à D. Thoma in vniuersum decreta illa; nihil aliud à me postulari potest, quam vt ostendam alium habere sensum aliamque interpretationem testimonia omnia S. Thomæ quæ Aduersarij produxerint ad hoc probandum quod à me negatum est. Ergo illa breuiter perstringamus.

Quæ sit mens S. Th. circa scientiam mediam.

XXVIII. Opponitur primò locus ex 3. p. quæst. 1. art. 3. vel. 2. vbi refert D. Th. responsionem Augustini ad quæstionem Paganorum, aitque fuisse ab ipso Augustini *reprobatam* in lib. de bono perseu. cap. 9. Vnde *inquit. Ioannes à S. Thoma*, „totum hoc non ad præscientiam illam futuri euentus & decretum dicit, sed ad diuinam prædestinationem esse referendum. Sed quid significat illud *Totum hoc*? Si enim intelligitur totum hoc quod interrogabant Pagani, nempe *cur Christus vni nationi potiùs quàm alij, & vno tempore potiùs quàm alio apparere voluisset*, esse referendum ad diuinam prædestinationem, omissâ quam priùs reddiderat Augustinus causâ; verum est. Sed quid facit ad Scientiam Mediam & ad prædefinitiones conditionatas? Si verò sensus sit *totum hoc* quod respondet Augustinus, nempe *sciuisse Deum qui & quando in eum essent vel non essent credituri*: referendum esse ad diuinam prædestinationem & decretum; quasi verò decretum hoc & prædestinatio scientiam huiusmodi futuri præcesserit; prout illud præcisè sistit intra rationem conditionati; Nego D. Thomam cogitasse vnquam *totum hoc* esse referendum ad prædestinationem & decretum: aut esse vllam syllabam in eius textu quæ hoc significet.

Alius enim locus qui obiicitur ex Catena in Matt. nihil ad rem, quod S. Thomas inibi nihil dicat à seipso, sed referat tantùm nectatque interpretationes SS. Patrum. Et quod dicit Ioannes à S. Thoma præferri expositionem S. Augustini, etiam si verum esset, nihil prorsus noceret nobis, qui iam satis superque monstrauimus Augustinum nihil habere quod innuat conditionatam illam prædefinitionem: sed neque hoc ipsum verum est, vt facilè comperies Amice Lector, si locum adeas, in quo nullum est, neque comparationis neque prælationis illius vestigium, sed Aduersarius de suo id apposuit.

XXIX. Obiicitur secundo locus ex quæst. 6. de Veritate art. 3. in quo Sanctus Thomas probat prædestinationem esse certam. Cùm enim obiectum esset contra istam certitudinem, prædestinationem esse debere cum suppositione causæ secundæ, creatæ scilicet voluntatis, & id quod est ita certum habere tantùm certitudinem conditionalem, hoc modo, *iste saluabitur si præparabit se*, sicut ista est tantùm conditionaliter certa, *sol causabit fructum in planta, si virtus generatiua plantæ benè disposita est*; S. Thomas ita respondet. Ad quartum dicendum quòd causa secunda quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subiacet: non autem est ita in virtutibus inferioribus, respectu alicuius superioris virtutis agentis: & ideo ordo diuinæ prædestinationis, quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo inducto contrarium appareat. Quæ verba, postquam retulit P. Ioannes à S. Thoma, subdit, *Ecce manifesta iugulatio Scientiæ Mediæ.* Sed Respondeo, plumbeum esse gladium hunc atque ideo minimè idoneum *iugulationi*. Sententia D. Thomæ manifesta est, neque aliud significat quàm etiamsi prædestinatio non inducat effectum suum, salutem scilicet, in adultis, nisi cum suppositione liberi arbitrij cooperantis: ex ipsâ tamen certò certitudine absolutâ & non tantùm conditionatâ sequi salutem: quia ipsa liberum arbitrium aptat disponitque ad talem effectum, seu facit vt infalli-

Quomodo liberum arbitrium prædestinationi subiaceat ex S. Th.

biliter cooperetur dando gratiam & dando appositè: & hoc est *liberum arbitrium subiacere prædestinationi*, accipere nimirum ab illa vim & dispositionem necessariam ad cooperandum infaillibiliter, contrà quàm accidat in aliis causis. Nam sol qui producit ficum v. g. cum suppositione ficulneæ; & oliuas cum suppositione oleæ: neque ficulneam ex aridâ viuacem facit, nec oleam ex oleastro: sed vtramque supponit, & viuam ac viuentem ficulneam, & oleam pariter: & ideo suppositio solis neque ficus neque oliuas infert, nisi conditionatè, & ex suppositione quòd tum ficulnea tum olea habeant *virtutem generatiuam benè dispositam*: prædestinatio autem non pendet à simili conditione, quia ipsamet facit in libero arbitrio id quod requirit, modo iam dicto. Vnde constat & prædestinationem de quâ hic loquitur S. Thomas, esse absolutam: & effectum etiam qui certò inde dicitur futurus, esse absolutum. Inferre autem ex eo quòd liberum arbitrium diuinæ prædestinationi actuali & absolutæ subiaceat, in ordine ad effectum vt infallibiliter & absolutè futurum; debere pariter subesse actuali prædestinationi, in ordine ad effectum conditionatè tantùm futurum: consequentia est longè petita, & quæ in via deficit antequam perueniat ad *iugulum* Scientiæ Mediæ. Iam enim supra monstratum est, quàm sit dispar ratio necessitatis præsentis & actualis decreti ad futuritionem absolutam, & ad futuritionem conditionatam liberi actus creati.

Retorquetur testimonium S. Thomæ in Aduersarios.

XXX. Sed valde notandum est quod S. Thomas hic docet in corpore articuli: nam cum proposuisset liberum arbitrium ita subiacere prædestinationi, vt tamen contingenter operetur; statim aduertit difficultatem quæ nascitur inde; *concordandi infallibilitatem prædestinationis* cum eiusdem arbitrij libertate. Vide autem quem ineat „ huius concordiæ modum: Inuenimus ordinem compossi„ bilem esse respectu alicuius dupliciter. Vno modo in „ quantum vna causa singularis producit effectum suum in „ ordine diuinæ prouidentiæ; Alio modo quando ex con„ cursu causarum multarum contingentium & deficere „ possibilium peruenitur ad vnum effectum, quarum vnam-

quamque Deus ordinat ad constitutionem effectus loco eius quæ deficit, vel ne altera deficiat. Sicut videmus quòd omnia singularia vnius speciei sint corruptibilia; & tamen per successionem vnius ad alterum potest in eis saluari perpetuitas speciei diuina prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant; & hoc modo est in prædestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest à salute: tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat: vel si cadat, quòd resurgat, sicut exhortationes & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem sed contingentiam: Respectu autem causæ primæ quæ est prædestinatio, habet certitudinem. Quam ego concordiæ speciem longè similiorem esse dico ei quam exhibent auctores scientiæ Mediæ, quam ei quæ suggeritur ab Aduersariis. Proponantur enim tres isti modi. Primus est Aduersariorum. Prædestinationis infallibilitas ideò stat cum libertate arbitrij, quia non destruit iudicij indifferentiam in prædestinato, hoc est, non efficit vt eæ cognitiones quibus ille regitur, aut sint ita perfectæ ac est visio beatifica, quæ libertatem amoris absumit; aut ita imperfectæ ac sunt brutorum & amentium & puerorum apprehensiones, quæ non sufficiunt ad agendum ex electione. Stante verò illa cognitionum seu cognitarum rerum mediocritate, stat libertas, quæcumque tandem & vndecumque ingruat necessitas agendi: atque ita prædestinatio quantumuis ipsa per sese *infrustrabiliter atque infallibiliter* inclinet voluntatem ad opera necessaria ad consequendam gloriam, habeatque illam infallibilitatem & infrustrabilitatem independenter á consensu libero futuro; neque possit homo *voluntate propria retinere aut amittere frustrare aut efficax reddere* quod Deus donat in eius executionem; libertati tamen ideo non nocet, quia de illa cognitionum indifferentia nihil tollit; & hoc est, Deum prædefinire non tantùm actus nostros, sed etiam modum quo fiunt quan-

P. Ioan à S. Thoma Ar. 3 p. 641.

do fiunt liberè, quod prædefiniat vt fiant ſuppoſita illa indifferentia. Sententia recentium Thomiſtarum ſi nuda inſpiciatur à verborum inuolucris ea omnino eſt.

Proponatur ergo ſecundus modus S. Thomæ ille qui iam allatus eſt. Prædeſtinatio ideo ſtat cum libertate prædeſtinati, quia infallibilitas quam habet nititur vel conſiſtit in multitudine adminiculorum quæ Deus præparat, quæ tot ſunt vt fieri non poſſit quin vnius efficacia alterius defectum ſupplente, intentus tandem effectus conſequatur: quemadmodum intenta à diuina prouidentia ſpecierum corruptibilium obtinetur conſeruatio vno indiuiduorum in locum alterius renaſcente. Hæc eſt germaniſſima D. Thomæ cogitatio in loco citato, vt intuenti planum fiet.

Tertius modus eſt eorum qui ex Scientia Media ita Philoſophantur. Prædeſtinatio quantumuis ſit infallibilis, ſtat cum arbitrij libertate: quia ea infallibilitas pendet ex multitudine adminiculorum, quibus Deus iuuare poteſt prædeſtinandum. Cùm enim illa tanta ſit, vt fieri non poſſit quin pleraque ſint effectum habitura illæſa libertate, ex hypotheſi quod dentur: & Deus hoc probè ſciat; prædeſtinando decernit non aliter mouere prædeſtinatorum voluntatem, quàm ita miſcendo efficacia media inefficacibus, vt illorum defectus iſtorum fructu ſuppleatur, donec prædeſtinatus in eum incurrat vitæ finem qui non poſſit non eſſe connexus cum futura beatitudine. Hìc ego Lectoris conſcientiam appello, vtri modorum illorum extremorum affinior ſit quæ media poſita eſt concordia D. Thomæ primo, an tertio?

Quid enim facit ad primum modum *multitudo illa concurrentium cauſarum & deficere poſſibilium, altera defectum alterius ſupplente: vel ne deficiat impediente?* Et quid opus eſt enumerare *exhortationes, ſuffragia orationum, donum gratiæ & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem,* ſi nihilo magis aut minus contingentia ſunt omnia quàm ſingula, totaque infallibilitas in ſolam efficaciam diuinæ voluntatis ita reducitur independenter à conſenſu liberè futuro, vt eâ poſitâ ſingula media efficacia ſint; ſublata,

sublatâ, nulla omnino sint? Si, inquam, duobus illis suppositis, prædestinatione & indifferentiâ iudiciorum, nullum est medium quod deficiat, nullum quod libertatem lædat: sublatis verò contrarium accidit; stare oportebat in illis: nec ex varietate ac contingentia mediorum quibus vtitur Deus, concordiam petere prædestinationis cum libertate.

XXXI. Sed est aliud in quo S. Thomas eodem loco Scientiam Mediam egregiè innuit, nempe cùm dicit Præscientiam Dei non importare vniuersaliter habitudinem causæ respectu horum quorum est; & prædestinationem addere præscientiæ habitudinem causæ ad ea quorum est. Quod non est aliud, quàm id quod antea expendimus, esse aliquorum præscientiam, quorum non est prædestinatio nec prædefinitio: & consequenter nullum esse principium illud in doctrina D. Thomæ, quo Thomistæ volunt in vniuersum prædefinitionem futurorum siue absolutè siue conditionatè, esse Deo necessariam rationem illa sciendi; sed esse aliquid præscitum quod tamen non sit prædefinitum, quia nec causatum: quo principio stat Scientia Media: ruitque omnis conatus Aduersariorum. In corpore Art. ,, Iterum retorquetur idem locus. Disp. 1. c. 3.

Quòd verò frustra sint ea omnia quibus ita conantur interpretari S. Thomam, vt eludatur vis huius testimonij, antea fusè monstratum est. Atque hoc etiam modo repulsus est impetus Scriptoris Collegij Salmanticensis (Disp. 10. dub. 4. num. 78.) qui ex hoc loco S. Thomæ sequuturam sperauerat *manifestam Scientiæ Mediæ euersionem.* Sup. disp. 2. num. 31.

XXXII. Obiicitur 3. locus ex quæst. 12. de Veritate art. 10. vbi S. Thomas dum examinat trimembrem illam prophetiæ diuisionem quam tradit Hieronymus, nempe in Prophetiam comminationis, præscientiæ, & prædestinationis; in responsione ad 8. ita loquitur, Quod si ,, prophetia comminationis referatur ad ordinem causa- ,, rum quem directè respicit, sic est absque omni conditio- ,, ne: absolutè enim est ita ordinatum esse in causis vt hoc ,, contingat. Vbi Pater à S. Thoma, Ecce *inquit* absoluta ,, De triplici prophetia, comminationis, præscientiæ, & prædestinationis.

Art. 2 p. 624. „ ordinatio & consequenter decretum ex parte ordinantis „ qui est Deus *Pergit S. Doctor.* Si autem referatur ad euen„ tum quem respicit indirectè, sic intelligenda est sub Art. 4. 647. „ conditione causæ, *& Pater à S. Thoma*, Ecce conditio„ natum obiectum ex parte euentus futuri. *Atque ita infert*, „ conditionata ista cognosci à Deo iuxta ordinationem & „ dispositionem diuinam. Sed aberrat à scopo mirum quantum. Neque enim hoc quæritur, vtrum Deus aliqua sua ordinatione cognoscibilia reddat futura quædam conditionata, ab ipsius tantùm arbitrio pendentia, cuiusmodi sunt causæ ad puniendum peccatum dispositæ, & earum effectus, qui est pœna. Nemo dubitat quin Deus possit absolutè in vindictam peccatorum constituere causas vel morborum, vel sterilitatis illatiuas; ita tamen vt earum effectum velit esse suspensum ex conditione pœnitentiæ. Quo tempore absoluta est prædefinitio causarum illarum, effectus verò earum, tantùm conditionata: quòd Deus velit, si pœnitentia obtineatur, impedire mala illa; si non obtineatur, non impedire. Et hoc tantùm vult S. Doctor loco citato. Sed quæstio est, vtrum Deus habeat similes prædefinitiones ex parte obiecti conditionatas circa ea quæ pendent à creata libertate; ita vt, quemadmodum non est sequutura sterilitas ex suppositione non-pœnitentiæ, nisi quia Deus ita constituit; sic etiam non sit sequutura Iudæorum seductio, ex hypothesi quod ducant alienigenas; nisi quia Deus ita constituit: & non sint sequutura peccata ex hypothesi quod viueret ille qui morte immaturâ raptus est; nisi quia sic Deus prædefiniuit, & sic de aliis. Et eâ de re S. Doctor eo loco qui obiicitur ne verbum quidem habet. Existimare autem esse necessariam consequentiam: & ex eo quòd Deus vi prædefinitionis aliqua sciat conditionatè futura, quæ ab ipso tantùm pendent; scire similiter vi prædefinitionis quæ à causa creata conditionatè ac liberè futura sunt; hoc verò est petere principium, & gratuitò falli, ac contra mentem S. Thomæ, vt mox dicam.

Deus futura quædam conditionata ab ipsius tantum libertate pendentia cognoscibilia reddit suo decreto.

Et hoc P. Ioannes à S. Thoma non satis distinxit ijs

locis quibus erant probandæ prædefinitiones liberorum actuum à creaturis conditionatè eliciendorum, dum promiscuè instantias petit ex ijs futuris quæ à Deo tantùm producenda sunt, cuiusmodi sunt pœnæ, præmia, beneficia gratuita. Atqui sicuti non sequitur, vt si Deus suâ tantùm prædefinitione pœnam aut præmium faciat esse absolutè futurum : nec aliter sciat ita futurum, quàm quia ita prædefiniuit; sic etiam faciat sua tantùm prædefinitione actum malum esse absolutè futurum : nec aliter sic futurum sciat, quàm quia sic prædefiniuit : ita à simili non sequitur, vt si sua tantùm prædefinitione faciat esse conditionatè futurum quod ab ipso tantùm futurum est, sic etiam faciat esse futurum quod ab homine pendet siue bonum siue malum.

XXXIII. Sed age videamus num hoc etiam ex loco erui aliquid possit quo scientia media stabiliatur auctoritate S. Thomæ: Et primò, quod iam diximus, distinguenda esse quæ Deus solus facit, & quæ facit cum causis secundis, præsertim cum libero arbitrio; & illa propriè dici prædestinata, non verò ista, D. Thomas hîc docet manifestè, in corpore articuli his verbis. Impletio ordinis causarum fit dupliciter; quandoque quidem ex sola operatione diuinæ virtutis, vt suscitatio Lazari & conceptio Christi, & secundùm hoc est prophetia prædestinationis, quia vt dicit Damascenus, ea quæ Deus prædestinat non sunt in nobis.... Quædam verò complentur operatione aliarum causarum, siue naturalium, siue voluntariarum : & hæc in quantum per alias causas complentur, non sunt prædestinata, sunt tamen præscita. Vnde horum dicitur esse prophetia secundùm præscientiam. Quia tamen præscientia propter homines fit, circa ea quæ per homines fiunt libero arbitrio præcipuè prophetia præscientiæ consistit. Vnde prætermissis alijs causis creatis Hieronymus prophetiam præscientiæ notificans, de solo libero arbitrio mentionem fecit. En tibi prophetiam *præscientiæ* distinctam contra prophetiam *prædestinationis*, quòd *præscientia* versetur præcipuè circa ea quæ fiunt per liberum arbitrium, *prædestinatio* verò circa ea quæ non sunt

Retorquetur hoc testimonium in aduersarios.

in nobis, & quæ Deus facit. Vnde subdit postea Hie-
Ad primum. „ ronymum sumpsisse præscientiam secundùm quandam
„ restrictionem, prout est de illis tantùm de quibus non
„ est prædestinatio per se loquendo. *Et iterum*, Meritum
„ nostrum non subiacere prædestinationi, nisi secundùm
„ quod est ex gratia, quæ à solo Deo est: vnde id quod
„ ex nostro arbitrio est, prædestinationi subesse dicitur per
„ accidens.

Iterum retorquetur. XXXIV. Secundò expendenda sunt verba ista, non „ autem excedit præscientia prædestinationem in malis „ solùm, si prædestinatio strictè accipiatur: sed etiam in „ omnibus bonis quæ non fiunt sola virtute diuina. Nam cùm dicit, *si prædestinatio strictè accipiatur*, hac limitatione clarè innuit, etiam si prædestinatio latè sumatur pro quacumque prædestinatione aut voluntate antecedente circa ea quæ pendent à libero arbitrio; adhuc tamen præscientiam excedere in malis, hoc est latiùs patere prædestinatione: Esto in bonis tunc non excedat, quòd nulla sit talis prædestinatio vel voluntas in Deo circa ea quæ mala sunt, sicuti esse potest circa ea quæ sunt bona. Vnde fit etiam ea quæ mala sunt dici non posse ideo cognita à Deo siue absolutè siue conditionatè quia volita vel præ-definita, quod intendimus.

Tertiò retorquetur. XXXV. Tertiò expendenda hæc quoque, quæ habet in corpore articuli: cùm enim distinxisset duplicem modum præsciendi futurum; alterum in causis siue in ordine quem ad illud habent causæ, quo modo cognoscitur Eclipsis ab Astrologo & mors à Medico: alterum intuendo immediatè exitum ipsum, hoc est effectum huiusmodi
„ causarum; sic loquitur. Sed Deus non solùm cognoscit
„ futura ratione ordinis causarum; sed etiam quantum ad
„ ipsum exitum, vel executionem ordinis. Cuius ratio est,
„ quia eius intuitus æternitate mensuratur, &c. Hoc autem
„ creaturæ impossibile est cuius intuitus limitatur ad ali-
„ quod tempus determinatum. Subdit, priorem modum sciendi futura, & scientiam illam esse rei præsentis potiùs quàm futuræ, quòd illa causarum ordinatio præsens sit: quod etiam repetit in responsione ad 2. atque ita con-

cludit. *Et sic remaneat solius Dei proprium, verè scire futura.* Hinc vero sumit distinctionem prophetiæ *comminationis* & prophetiæ *præscientiæ*, quod prophetia comminatiouis petatur ex cognitione causarum ordinatarum ad aliquem effectum, & in eâ tantùm significatione certam atque absolutam veritatem habeat, quam non habet semper quatenus euentum ipsum indirectè significat. Prophetia vero præscientiæ petatur ex cognitione futuri euentus in seipso, quem etiam directè significat: vnde non staret illius veritas nisi reipsa sequeretur prænuntiatus effectus.

XXXVI. Hæc est perspicua S. Th. doctrina, ex qua sic argumentor. Prædefinitio effectus futuri pertinet ad causas ordinatas ad productionem talis effectus, quinimo est vera quædam & perfecta ordinatio actiua talium causarum ad talem effectum: Atqui S. Th. in sententia iam exposita perspicuè docet, verum modum & Dei proprium præsciendi futura esse independentem à cognitione causarum ordinatarum ad illa producenda: Ergo S. Thomas censet etiam verum modum, Dei proprium futura præsciendi, esse independentem à cognitione prædefinitionis: ac proinde prædefinitionem non esse Deo rationem præsciendi futura. Maior patet & ex D. Thoma colligitur, qui vt paulò antè vidimus ideo dicit prædestinationem addere ad præscientiam rationem causalitatis, quòd addat prædefinitionem quæ respectu futuri prædefiniti causalis est. Sed & ipse Aduersarius in hac obiectione prædefinitionem colligit ex ordinatione causarum. Vnde fit non posse illam; non includi in complexione causarum vt ordinatarum ad productionem effectus. Minor, vt dixi, est ipsa doctrina S. Thomæ hîc relata.

XXXVII. Confirmatur ex eo quod dicit S. Thomas, cognitionem futuri quam aliquis habet ex præsenti ordinatione causarum ad illud producendum, esse potius scientiam rei præsentis, quàm præscientiam propriè dictam futuri sic enim argumentor. Scire futurum effectum in præsenti ordinatione causarum ad illum producendum, *Quantò retorquetur.*

non est propriè præscire futurum, sed est scire præsens: sed scire futurum effectum in eius prædefinitione, est scire illum in præsenti ordinatione causarum ad illum producendum: Ergo scire futurum effectum in prædefinitione, non est propriè præscire futurum; sed scire præsens: Ergo debet esse in Deo alius quidam modus præsciendi futurum effectum qui proprius sit, præter illum quo scire potest in prædefinitione. Maior est S. Thomæ hic, Minor est manifesta. Nam & prædefinitio futurorum est ordinatio quædam eorum, vel ipsis fatentibus aduersarijs, vt iam dictum est: & nihil est illâ Deo præsentius ab æterno; & S. Thomas contendit præter illum modum sciendi futura, ratione connexionis quam habent cum aliquo præsenti, esse admittendum alium nobiliorem, perfectiorem, & solo Deo dignum, quo diuinus intuitus feratur directè atque immediatè in præsentiam ipsam quam habent futura in æternitate.

De eo quod est & non est futurum secundum diuersos ordines causarum.

XXXVIII. 4. Obijcitur locus ex 1. p. q. 19. art. 1. ad 2. vbi S. Th. dicit Deum aliquando vtrumque velle, nempe vt aliquid sit futurum, & vt non sit futurum. vt sit futurum secundùm ordinem causarum inferiorum: & vt non sit futurum secundum ordinem & dispositionem causarum superiorum. hinc colligit P. Ioan. à S. Th. Illud „ quod secundùm causam inferiorem est futurum, sed de „ facto non erit, esse futurum conditionatum, quod vti- „ que esset, nisi ordo superior aliter haberet: & tamen hoc „ dicit D. Thomas quod Deus vult & sic ordinatum fuit „ à Deo. Concedo futurum illud, esse futurum conditionatum: & iterum concedo esse ordinatum à Deo vt sit ita futurum; sed ordinatum est vt sit ita futurum *secundùm dispositionem naturæ*, vt loquitur S. Doctor, quomodo futurum erat vt Lazarus maneret in sepulchro, vtitur enim hoc exemplo, vel secundùm *dispositionem* seu exigentiam *meritorum*, quomodo futurum erat id quod prædicit Deus dum *loquitur aduersus gentem & aduersus regnum, vt eradicet & disperdat, & destruat illud*, hoc est quomodo futura erat pœna, quam hominum peccata merebantur, quod etiam S. Doctor obiecerat sibi. Atque ita Dei vo-

Art. 4. pag. 647

luntate fit vt aliquis effectus causarum naturalium fit tantùm conditionatè futurus; quatenus ipse statuit & ponere causas illas, & impedire in aliquo casu earum effectum. Tunc enim ex duobus illis decretis absolutis, etiam ex parte obiecti, sequitur effectum conditionatè tantùm futurum. Item Dei voluntate fit vt aliqua pœna sit tantùm conditionatè futura, nempe regni subuersio, nisi hominum pœnitentia Dei vltionem præueniret. Atque ita & quod à causis naturalibus, & quod à solo Deo pendet præcedenti quodam decreto Dei potest fieri conditionatè tantùm futurum. Sed quidnam quæso illud est de quo disputamus? An est quæstio de effectibus naturalibus? An de illis quæ fiunt à solo Deo? An non de actibus liberis à voluntate creatâ eliciendis? Et vnde gentium ductæ sunt hæ consequentiæ, Quod sequitur ex causâ necessariâ Dei voluntate fit futurum conditionatè: Ergo quod sequitur ex causâ liberâ Dei etiam voluntate futurum est conditionatè? Deus decreuit vt Lazarus ex hypothesi fuerit in sepulchro mansurus: Ergo Deus decreuit vt Lazarus fuerit hoc aut illud ex hypothesi liberè operaturus? Futura est sub conditione pestilentia & fames in aliquo regno Deo decernente. Ergo futura est sub conditione morum corruptio Deo pariter ita statuente? An tenent statum quæstionis qui sic ratiocinantur? Eodem pertinet quod.

Non valet argumentū à prædefinitione faciendorum à Deo solo ad prædefinitionē faciendorum ab homine liberè operante.

XXXIX. Obiicitur 5. ex 1. sent. disp. 46. q. 1. ar. 1. ad 2. vbi S. Th. dicit voluntatem Dei antecedentem dici „ posse conditionatam: nec tamen esse imperfectionem ex „ parte voluntatis diuinæ, sed ex parte voliti, quod non „ accipitur cum omnibus circumstantijs quæ exiguntur ad „ rectum ordinem in salutem, & disputat S. Th. de vera „ intelligentiâ propositionis illius: *Deus vult omnes homines saluos fieri*, itáque concedit, si quæstio sit de voluntate antecedente & conditionata ex parte rei volitæ, propositionem illam esse vniuersaliter veram, admittit ergo talem in Deo Voluntatem. Ac proinde, inquit Ioannes à S. Thoma, *omnem scientiam mediam soluit* quæ non stat cum tali voluntate. Sed quid est quæso illud, *soluit*, nisi

Non valet argumentū à prædefi-

[...]ione cō ditionata pɪæmij ad præ lefini-tionē con-ditionatam merit.

liberam dimittit, euanescentibus quibus eam constringere conantur difficultatibus? Facit Deus decreto suo vt præmium bonæ vitæ, quod est salus, sit ex hypothesi eiusdem vitæ futurum: Ergo etiam facit decreto suo, vt illa ipsa vita bona sit ex hypothesi gratiæ suæ similiter futura? Nego consequentiam. Præmium enim illud effectus est Dei solius, vita bona, & Dei & hominis. Vnde quamuis sit necessaria præsens Dei voluntas vt intelligatur futurum præmium conditionatè, potius quàm non futurum; non sequitur esse pariter necessariam ad hoc vt intelligatur bona vita futura conditionatè, potius quàm non futura. Est enim præter Dei voluntatem, hominis ipsius voluntas quæ ex suppositione gratiæ hoc est determinatura, & vt ad bonam vitam esset necessaria præsens Dei voluntas, non tamen ad malam quæ pariter conditionatè futura est.

Ex inclinatione causarū naturalium malè infertur prædefinitio agendorum à liberis.

XL. Denique obiicit illud ex q. 2. de veritate. art 12. „ad 9. vbi S. Doctor dicit non esse inconueniens quod „ponatur quòd Deus scit aliquid futurum esse quod non „erit, in quantum scilicet scit aliquas causas esse inclina- „tas ad aliquem effectum qui non producetur. *Subdit au-* „*tem P. Ioannes à S. Thoma* Ecce quomodo admittit D. „Thomas scientiam futurorum, quæ non erunt: sed so- „lùm conditionata sunt, scilicet videndo causas inclina- „tas. quam inclinationem ipse vtique vult & decreuit. Sed eadem confusione laborat obiectio; & quod de inclinatione causarum naturalium in actu primo intelligi potest, gratuitâ & tamen violentâ extensione trahitur ad prædefinitionem causarum liberarum, quarum apud S. Thomam, in his quidem locis, nulla prorsus mentio est: vt facile sit ex his omnibus intelligere Aduersarium ex D. Thomæ doctrinâ scientiam mediam impugnare non potuisse, nisi eiusmodi testimonijs quæ illam partim non petunt, partim etiam confirmant.

Disp. 10. dub. 4. nu. 79. 80. 81. Obiecta Salmanti-

XLI. Sed auxilio venit Scriptor Collegij Salmanticensis; qui postquam conatus est ex priore illo testimonio quod antea solutum est, eruere *manifestam euersionem* scientiæ mediæ; illam iterum quatit, tum ex ijs locis quibus

bus S. Thomas docet scientiam Dei esse causam rerum adiunctâ voluntate: tum ex ijs quibus fit absolutè futura non esse à Deo cognoscibilia ante decretum suæ voluntatis: tum 3. ex eo quod duo illi modi quibus tradit S. Th. aliquod futurum esse cognoscibile, nempe vel in se, vel in suis causis, fallant in conditionatis, nisi accedat Dei decretum. Nam cum suis causis non habent certam connexionem, in seipsis etiam numquam aliquid erunt: Ergo. censium ex D.Tho.

R. 1. Vt incipiam ab hoc vltimo, interrogando hunc Doctorem, quomodo faciat ipse vt duo illi modi cognoscendi futura, beneficio prædefinitionis hîc locum habeant Supponamus, inquam, dari prædefinitionem illam conditionatè futurorum. Quæro, cognoscit ne illa Deus in causis tantùm, an in se? Si in causis tantùm, quod scilicet illa prædefinitio pertineat ad rationem causæ; Ergo Deus non cognoscit ista futura perfecto & proprio modo, hoc est diuino: quia vt paulò antè retulimus ex D. Th. modus ille solius Dei proprius non percipit futura in ordinatione causarum: & qui non aliter intelligit quàm in ordinatione causarum, non tam dicendus est præscire futurum, quàm scire præsens: si in seipsis; ergo Deus cognoscit quod non est cognoscibile, quia *quæ nunquam erunt nequeunt fundare cognoscibilitatem secundùm esse reale quod habeant in seipsis* vt iste Doctor loquitur; sed conditionata etiam post prædefinitionem numquam erunt: ergo etiam post prædefinitionem *nequeunt fundare cognoscibilitatem secundùm esse reale quod habeant* in seipsis. Atque ita totus huius argumenti soluendi labor incumbit Aduersario. Modus cognoscendi futura libera ex connexione quam habent cum causis præsentibus, non est diuinus.

Quid vero de cætero debeamus ipsi respondere, iam explicatum est superiori disputatione contra Doctorem anonymum. Nempe quod numquam erit aliquid in seipso non potest fundare cognoscibilitatem qua de illo enuntietur quòd erit aliquid in seipso; sed potest fundare cognoscibilitatem quâ de illo enuntietur quod esset aliquid in seipso, si aliqua conditio poneretur: atqui scientia media nihil aliud cognoscit aut enuntiat quàm hoc, Supra disp. 2. c. 2.

quod ſcilicet ipſius obiectum eſſet aliquid in ſeipſo, ſi conditio poneretur: Ergo ſcientia media nihil cognoſcit aut enuntiat quod non habeat fundamentum in eius obiecto.

An & quomodo decretum diuinæ volũtatis requiratur ad cognitionem futuri abſoluti

Supra diſp. 1. c. 3. n. 46.

XLII. Ad ſecundum, quid ſit dicendum patet. Nimirum apud D. Thomam nuſquam reperiri principium illud, *abſoluta futura non eſſe Deo cognoſcibilia ante decretum ſuæ voluntatis*, ſi tale decretum intelligatur tendere immediatè ac determinatè in idipſum quod futurum dicitur. Contrarium enim probatur ijs omnibus locis quibus oſtendimus ex D. Thoma præſcientiam excedere prædefinitionem. Vult ergo S. Thom. hoc tantum, abſolutè futura, nec eſſe ita futura: nec proinde ita cognoſcibilia, ante decretum diuinæ voluntatis, quo ſtatuit abſolutè ponere talium futurorum cauſam, eique concurſum accommodatum exhibere.

Quomodo apud S. Thomam ſcientia Dei ſit cauſa rerum.

XLIII. Ad primum cùm dicit S. Thomas Dei ſcientiam eſſe cauſam rerum adiuncta voluntate, & non ideo res à Deo cognoſci quia futuræ ſunt, ſed potius ideo futuras eſſe quia cognoſcuntur illo modo, adiuncta ſcilicet ſcientiæ voluntate, aliter eſt accipiendum in futuris abſolutis, aliter in conditionatis. Nam in abſolutis hunc ſenſum habet, ſcientiam quam habet Deus de poſſibilitate illorum, adiuncta voluntate vel permiſſiua, vel impulſiua, vel tendente in futurum ipſum determinatè, vel diſiunctiuè tantum: hoc eſt vel in ipſum vel eius oppoſitum, determinatè autem ſemper, in eius cauſam vt applicandam ad agendum hanc, inquam, ſcientiam tali quadam voluntate adiuncta eſſe cauſam rerum. Quia & eſt cauſa cur bona exiſtant aliquando: & eſt cauſa ſine qua etiam illa quæ mala ſunt nunquam exiſtunt: ſed eſſe in Deo ſcientiam quæ adiuncta voluntate prædefinitiua immediatè ac directè actionis malæ, ſit cauſa cur actio illa futura ſit abſolutè, dico neque hactenus repertum eſſe locum in quo S. Thom. hoc aſſerat: neque deinceps Deo benè fauente reperiendum.

Non eſt neceſſarium vt cauſa

De futuris conditionatis iam antea dixi, non debere in eorum cauſa plus actualitatis requiri, quàm ſit in ipſis.

Cùm ergo talia sint futura, de quibus nihil aliud asseritur quàm quòd essent: hoc est quorum omnis existentia pro quocumque tempore præsenti, præterito, futuro, suspensa est; satis est si causa quam necessariò requirunt, sit similiter suspensa. Non ergo ad illa requiritur voluntas Dei quæ sit, sed quæ esset, si Deus esset ab æterno determinatus ad illa producenda. Et vt sufficit quod in hypothesi ex qua dicuntur sequutura, inuoluatur libertas creata, & gratia, & alia necessaria, non vt habentia existentiam in aliqua temporis differentia, sed vt suspensa ex libertate Dei, cùm dicimus si Deus crearet talem voluntatem, & daret illi talem gratiam, &c. ita satis est quòd illa ipsa Dei volitio quæ ad huiusmodi futuritionem requiritur, sit pariter ex eâdem Dei libertate suspensa, dicamusque, si Deus vellet producere talem causam, & vellet exhibere illi concursum accommodatum, &c. Atque ita Dei voluntas est quidem causa talium futurorum: sed non Dei voluntas quæ sit, sed quæ esset, si Deus se aliter ab æterno determinaret. Vel dic etiam de nulla causa futuri conditionati posse propriè asseri quòd sit causa iam, sed quòd esset: ac proinde non debere aliquid assignari quòd iam sit causa, sed quòd esset causa. Sicut enim de effectu conditionali futuro non aliud intelligimus quam quod esset, etiamsi iam non sit: ita sufficit si possit aliquid intelligi quod esset eius causa, etiam si iam eius causa non sit. Hoc autem intelligitur in antecedente propositionis conditionàlis cum dicitur, si esset tale agens liberum & esset Dei voluntas ad concurrendum accommodata, &c. Neque S. Thom. aliud voluit.

Futuri conditionati plus actualitatis habeat quam eius effectus. Satis est si supponatur quod esset causa, sicut infertur quod esset effectus.

XLIV. Atque hæc sunt omnia quæ Aduersarij colligere potuerunt ex D. Thom. contra Scientiam Mediam. Quæ sine dubio leuia videbuntur, si conferantur cum aliis quæ ab eodem S. Doctore perspicuè supponuntur, qualia sunt. 1. Esse aliquid præscitum quod tamen non sit præ-definitum, 2. Ideo præscientiam non obesse libertati, quia eo modo se habet ad præscitam, quo modo se habet oculus noster ad obiectum visum. 3. Necessitatem omnem

Scientia Media quã sit connexa cum principiis D. Thomæ.

quæ sequitur ex eo quòd aliquid sit præscitum, reduci ad hoc principium; *Id quod est, quando est, necesse est esse.* 4. Futurum contingens esse Deo cognoscibile independenter à cognitione cuiuscunque ordinationis causarum ad ipsum producendum, & secundùm illud esse, quod habet in aliqua differentia temporis: vel quod haberet ex suppositione; quod est esse cognoscibile independenter à cognitione cuiuscumque prædefinitionis, 5. Esse aliquam in Deo præscientiam bonorum malorumve, quæ nunquam fuerunt, quæ Deo motiuum exhibuerit propter quod decreuerit aliqua facere vel omittere; v. g. noluisse vt Incarnatio acceleraretur, quod præsciret ex eâ impediendum sensum illum peccati sui atque necessitatis qui peccatores decet: & sequuturum *vt bonorum fides temporis prolixitate tepesceret*, Item, noluisse vt differretur in occasum Mundi, quod videret dilatione illa *Dei notitiam & reuerentiam & morum honestatem totaliter abolendam*: Elegisse autem tempus *quo & subueniri debere sciuit, & gratum futurum beneficium.* Nam ita philosophatur S. Th. 3. par. quæst. 1. art. 5. & 6. Neque dici potest illam præscientiam quæ reuera fuit scientia conditionata futurorum, fuisse posteriorem eorumdem prædefinitione. Erit enim illusoria doctrina S. Doctoris, si dum quæritur cur absolutè decreuerit incarnationem differendam, respondeatur rationem esse, quia conditionatè prædefinierat vt maiora quædam mala sequerentur si ea non differretur. Statim enim oritur maius dubium, cur prædefinierit vt essent mala illa sequutura? Et cùm ex apprehensione diuinæ bonitatis oriatur illud dubium cur tamdiu distulerit suum beneficium; quis non videt solutionem dari quam eadem diuinæ bonitatis apprehensio reddit magis incredibilem, cùm dicitur causam esse, quia Deus prædefinierat vt sequerentur mala illa, alias minimè sequutura? Diuinæ siquidem bonitati magis repugnat, mala prædefinire quam differre bona. Nunquam ergo de conditionata illa futurorum malorum prædefinitione cogitauerit D. Thom. Atque hæc & alia id genus quæ obseruata sunt à Suare, Herice, Didaco Ruiz, P. Petro à

S. Ioseph tùm in concordia tum in defensione S. Thomæ, si conferantur cum iis quæ obiecta sunt, non dubito quin æquus rerum æstimator eandem mecum ineat sententiam, nempe, si Thomistica sit ea doctrina, quæ maiorem habet cum principiis D. Thomæ connexionem, Thomisticam esse illam quæ Scientiam Mediam defendit, non autem oppositam: atque ita, vanum esse prætextum Scientiam Mediam impugnandi, ex obligatione vel proposito adhærendi Angelico Doctori, cum inde potiùs honesta sequatur necessitas illam defendendi.

XLV. Verùm quod fecerat in Augustino Scriptor Collegij Salmanticensis, id ipsum quoque obseruauit in D. Th. cuius mentem rimatus ex eius scriptis, conatur etiam ex effectis ostendere ab eo reprobatam esse Scientiam Mediam. *Prima* verò & *fundamentalis ratio* inquit, est illa quæ tractata est antea cùm de Censura triginta Doctorum. Quæ ratio iam examinata est, certâque conuictione monstratum struere hunc Doctorem in arena, dum huiusmodi iacit *primas & fundamentales rationes*.

Disp. 10. dub 5. Coniecturæ Salmāticensiū quod S. Thomas Scientiæ Mediæ sit contrarius soluuntur. Num. 67.

Secundò probat, quia Tridentini Patres reiecerunt Scientiam Mediam, *modo*, inquit, *infra probando*. Ergo non habetur apud S. Th. Sed nos quoque supra ostendimus nullum esse *modum* istum repudiatæ Scientiæ Mediæ à Tridentinis: & neque probatum esse vnquam, neque probandum, neque probabilem.

Tertiò probat ex auctoritate Patrum Dominicanorum, quam rationem cingit multis varijsque ponderationibus & confirmationibus. ℞. 1. magni omnino momenti apud nos esse auctoritatem illorum Patrum; sed esse rationi consentaneum, vt illi dum in hoc certamen descendunt, huiusmodi præiudicio renuntient; alioqui enim iniquas fore disputandi leges. Quod dicit *Dominicanos nunquam hanc Scientiam Mediam in suo doctore inuenisse*; si quæstio sit de antiquis, Respondeo nec quæsiisse. Nam cùm nemo eorum quæsierit an esset Scientia Media, consequens etiam est vt nemo quæsierit an esset in D. Thoma: sed vt D. Thomas illam supposuerat; ita pariter ipsi eamdem supposuerunt. Ad recentiores Thomi-

ſtas quod attinet; concedo quæſijſſe illos apud D. Thomam Scientiam Mediam; ſed in modum illius qui breuiarium ſuum cùm perdidiſſet ita quærebat, vt inueniendum timeret. Vnde facile eſt retorquere argumentum
Num. 90. quo vtitur hic doctor, dum contendit Thomiſtis potiùs credendum eſſe quàm Ieſuitis in hac cauſâ, quod Thomiſtæ nunquam, Ieſuitæ aliquando deſerant S. Thom. illi nullâ *paſſione* vel *neceſſitate*, iſti non quidem *paſſione* vllâ, ſed tamen *neceſſitate* aliquâ impellantur ad quærendam Scientiæ Mediæ auctoritatem. Ita inquam argumentum illud retorqueo. Quando duo aliquid quærunt, quorum vnus nullâ inueniendi neceſſitate impellitur, nullo deſiderio, ſed timore potiùs; alius verò & neceſſitate cogitur & magno fertur inueniendi deſiderio; euidens eſt maiorem fore iſtius in quærendo diligentiam: ac proinde cæteris paribus ſperandum potius inuentum iri quod ab eo quæritur quàm quod ab alio: ſed Thomiſtæ ac Ieſuitæ duo ſunt, qui Scientiam Mediam diuerſo illo modo quærunt: & Thomiſtæ quidem priore; Ieſuitæ poſteriore: Ergo eſt cur credamus maiorem fuiſſe Ieſuitarum in quærendo diligentiam, ex qua perinde ſperanda potiùs fuerit inuentio rei quæſitæ.

XLVI. Denique quod addit, non fuiſſe Thomiſtas acuſaturos ſcientiam mediam apud Inquiſitores & Summum Pontificem; ſi ea extaret apud S. Thomam. ℞. Ius eſſe litigantium vt ante rem iudicatam dicere poſſit is qui accuſatus eſt, ſe non eſſe iure accuſatum. De cætero communem iam eſſe, iuriſque publici S. Thomæ fundum eumque ditiſſimum, ac multis theſauris fœcundum. Quem cùm omnes Scholaſtici fodiant, fortuitum eſſe vt quis quid inueniat à Thomiſtis prætermiſſum: quod ſi negare velit Aduerſarius, videat ne dicat ſententiam in labores Complutenſis Collegij ac Salmanticenſis.

CAPUT III.

Rationes contra Scientiam Mediam.

XLVII. Pater Ioannes à S. Thoma duabus potissimum rationibus impugnat Scientiam Mediam, alterâ communi, speciali alterâ: multis præterea *inconuenientibus* ostendit illam esse necessariò reiiciendam: quæ omnia quàm breuissimè diluenda hîc sunt. Disp. 20. Art. 4.

§. I.

Communis ratio contra Scientiam Mediam.

Communis ratio illa ipsa est quam antea soluimus contra TVissium, vt nihil admodum necesse sit quidquam addere ad ea quæ inibi sunt exposita. Quod Dauid, inquit, sit tradendus à Ceilitis si apud eos maneat, de facto est quædam veritas: & oppositum de facto est falsum; *Item* veritas illa non est suspensa & ex conditione pendens in ratione veritatis, licet existentia sit pendens ex conditione; & constat quia de facto est cognoscibilis: & de facto est scientia de illa: Ergo veritas illa de facto est determinata, & certa, & infallibilis. Et licet existentia sub conditione sit futura; certo tamen sic est futura, & non manet in ratione puræ possibilitatis & indifferentiæ sicut suum contradictorium. Ergo oritur ex aliquo principio & causa. Iam verò nulla potest assignari causa sufficiens secluso actuali Dei decreto, quo posito ruit Scientia Media. Disp. 1. c. 2.

Sunt igitur hic examinandæ tres propositiones, Prima, *Veritas futuræ traditionis Ceilitarum de facto est* & *non est suspensa & pendens ex conditione, sicuti existentia ipsa talis tradi-*

tionis. Secunda, *Etiamsi existentia illius traditionis sub conditione tantùm sit futura; certò tamen sic futura est, & non manet in ratione puræ possibilitatis & indifferentiæ, sicuti suum contradictorium:* Tertia, *Extractio illa è ratione puræ possibilitatis, non potest non oriri ab aliquo principio, quale nullum esse poterit seclusâ Dei voluntate.*

Quo sensu intelligendum sit futurum conditionatum esse nunc verum.

XLVIII. Prima propositio, propriè loquendo, falsa est. Veritas enim illa obiectiua est, quæ non distinguitur à re quæ dicitur vera, ideóque repugnat vt existentia rei suspensa sit ex conditione, & eius veritas ex eadem conditione suspensa non sit. Veritas, inquam, futuræ traditionis Ceilitarum non est aliquid distinctum ab ipsa futura traditione: ideoque implicat vt suspensa sit traditio, & non veritas. Quòd si contendas, veritatis nomine præter entitatem rei significari etiam aliquam non repugnantiam cognitionis circa huiusmodi rem, quæ dici possit eius cognoscibilitas; Concedo ratione huius non repugnantiæ dici posse de facto esse veritatem illam futuræ traditionis: & non esse suspensam ex conditione. Sicuti enim licet existentia Antichristi futura tantùm sit, non impedit tamen quo-minus de facto sit non repugnantia cognoscendi illum esse futurum: quæ non repugnantia non est futura tantùm, sed & præsens, ideoque dicitur obiecti tantùm futuri esse præsens cognoscibilitas. ita quamuis existentia traditionis Ceilitarum exconditione sit suspensa; nihil vetat præsentem esse non repugnantiam eius cognitionis, quâ enuntietur hoc ipsum, nempe quod esset ex hypothesi, non autem quod sit. Et hoc est futuritionis suspensæ ex conditione præsentem & absolutam ac minimè suspensam esse cognoscibilitatem quod est, non existentis veritatis obiectiuæ esse posse existentem veritatem formalem in cognitione quæ illam repræsentat. Vnde nihil inferri potest contra Scientiam Mediam.

XLIX. Secunda propositio, quâ parte dicit existentiam futuræ traditionis esse *certò sic*, id est, conditionatè futuram, nihil aliud significat, quàm hoc ipsum quod iam dicebant: nempe quanuis suspensa sit illa existentia ex conditione

conditione quæ nondum intelligitur posita; non repugnare tamen esse præsentem & minimè suspensam in existendo cognitionem quâ id ipsum enuntietur, nempe *suspensam esse ex eiusmodi conditione illius traditionis existentiam; & omnino futuram si futura esset conditio.*

Quà verò parte dicit huiusmodi traditionem non manere in statu puræ possibilitatis, sicut suum contradictorium, bifariam intelligi potest. Primò quod de facto non maneat aut mansura sit in statu possibilitatis absolutè loquendo: & hic sensus falsus est, quia de facto & absolutè loquendo nihil habet supra merum possibile: nec in eo differt à suo contradictorio. Secundò, quòd ex hypothesi non maneret; hoc est, quòd si suppositio Dauidis manentis in Ceila, & aduentantis Saülis, & Dei suam prouidentiam Ceilitarum libertati accommodantis, quæ possibilis tantùm est, fieret actualis; tunc etiam traditio, quæ & ipsa de facto possibilis tantùm est, fieret similiter actualis, differretque à suo contradictorio, à quo iam absolutè non differt: & hic sensus verus est, & hoc enuntiat Scientia Media. Nempe, si antecedens illud propositionis conditionalis, *si Dauid maneat in Ceila* &c. Quod est tantùm possibile fieret actuale; fore quoque vt fieret actuale hoc consequens, *traderetur in manus Saul*, & proinde fore vt differret à suo contradictorio, quod est, *non traderetur*, à quo iam non differt absolutè loquendo. Quia tunc contradictorio illo manente sub mera possibilitate sub qua iam est, oppositum actuale fieret; & non tantùm possibile, vt est modò.

Futurum conditionatum quomodo differat à mere possibili & à suo contradictorio.

L. Tertia propositio, quòd illa extractio futuræ traditionis è statu meræ possibilitatis *sit* siue *oriatur ab aliquo principio*, æquiuocum pariter est. Ita enim enuntiari potest, *est ab aliquo principio*, & sic est de subiecto non supponente. Quia nec est de facto & absolutè loquendo, nec *oritur*; sed *esset* & *oriretur*. Vnde quod additur *ab aliquo principio*, subintelligi potest vel principium quod sit de facto, & ita falsum est, ad illud enim de quo dicitur tantum *esset*, non requiritur causa vel principium de quo dicitur, *est*: vel potest subintelligi principium *quod esset*; &

Verba indicatiua existentiũ in aliqua temporis differentia, non possunt transferri ad conditionatè futura in propria significatione.

explicari solent actus liberi Dei. Quamcumque enim partem quis sequatur, semper verum est, esse posse absolutè aliquod velle Dei, quod iam non est: nec erit vnquam: Ergo talem quamdam voluntatem diuinam inuolui dicimus necessariò in antecedente quod est causa futuri conditionati: ac proinde non dicimus illud fieri futurum independenter à voluntate Dei quæ esset: Esto sit independens à voluntate Dei quæ modo sit, vt sæpius dictum est.

LII. Ex his verò patet solutio illius argumenti quod P. I. à S. Th. proponit versatque per multas columnas, sed ita vt perspicuum sit, non satis illum distinguere conditionatum ab absoluto, dum semper vrget, illud conditionatum esse iam verum: esse de facto & in re: liberè determinari & ex liberis principijs: determinatam illam veritatem sub statu conditionato, creatam esse: esse participatam: habere suas causas: ergo debere reduci ad causam primam: & subijci diuinæ potestati & libertati: debere igitur Deum respicere ad suam voluntatem vt causam primam & radicem illius determinationis, quæ ita de facto conuenit quod possit non conuenire, &c. Sed iam dixi quomodo accipiendi sint illi omnes loquendi modi, & oratio quomodo conformanda. Nempe *verum* illud, sumptum pro re quæ dicitur vera, non *est* iam de facto, & in re, sed *esset*: Non *determinatur* liberè & ex liberis principijs quæ iam sint; sed determinaretur liberè & ex liberis principiis quæ forent si suppositio possibilis fieret actualis. *Veritas* illa non est *creata* & *participata* sed *creanda* & *participanda* ex hypothesi. Hoc est, si esset hæc hypothesis, determinata veritas illa crearetur & participaretur. Non *habet* causas suas, sed *haberet*; vnde nec *debet* iam reduci in causam primam; sed *deberet*: tuncque subiiceretur diuinæ potestati & libertati, quomodo illi subiiciuntur cæteri actus liberi qui existunt in aliqua temporis differentia: debere igitur Deum dum hæc conditionata cognoscit respicere ad actum suæ voluntatis, non quem habeat modò, sed quem haberet si vellet hypothesim significatam in antecedente propositionis conditionalis

Arg. 4. pag. 649.

fieri de possibili actu existentem. Esset enim tunc Deus beneficio illius actus prima causa & radix illius determinationis, quomodo esse solet liberorum omnium aliquando absolutè existentium. Quare *horridum* illud quod dicit *in tota Theologia & Philosophia* nequaquam sequitur ex hac doctrina, *dari aliquem statum in creaturis imparticipabilem à Deo nec ab aliquo eius attributo*. Nihil enim agnoscimus quod non asseramus eodem modo participari, quo & esse. Quidquid est, participatur: quidquid fuit participatum est: quidquid erit participabitur: quidquid esset, participaretur. Quid ampliùs requirit? *Sed*, inquit, *ille status conditionatus de facto datur licet res tantùm sub conditione sit*. Ego verò admodum cuperem, vt nobis statum illum à re distingueret, monstraretque quî fieri possit, vt status aliquis de facto sit, à re cuius status est, separatus. De facto Deus est, de facto possibile est Dauidem in Ceila manere, Saülem aduentare, Deum ordinariam habere circa Ceilitarum voluntatẽ in illo rerum occursu prouidentiam. Item est de facto impossibile vt ex illa hypothesi sequantur duo opposita contradictoriè, cuiusmodi sunt traditio Dauidis & non traditio, necessitas autem est, vt sequatur alterutrum. Denique est etiam non solum non repugnantia; sed necessitas vt perfectissimus intellectus hoc attingat, si prædicta hypothesis fieret actualis, postquam ambo sequi non possunt, & alterutrum disiunctiuè necessariò sequitur, vtrum esset, traditio an non traditio. Si vocet hoc statum conditionatum, status conditionatus de facto est. Sed realis & libera sequela siue emanatio traditionis ex suppositione illa, nec est, nec fuit, nec erit, sed esset tantùm: nec aliud quicquam à diuino intellectu percipitur, nisi hoc quod dicimus, *esset*: ac proinde status huius traditionis cùm non magis esse possit quam traditio ipsa, consequenter nihil est de quo aliud affirmari possit, quam quod *esset*, quo modo statim etiam affirmatur, quòd à Deo *causaretur & dependeret & participaretur, &c.*

An sequatur ex sciẽtia media dari aliquem statũ in creatoris imparticipabilem à Deo.

LIII. Dices 1. Non aliter à Deo causaretur ille status siue illa traditio; quàm per decretum: Ergo debet Deo

constare quòd habebit tale decretum posita illa conditione, sicut constat Quod voluntas Ceilitarum ita operatura est. Non potest autem nunc de facto constare Deo quòd sit habiturus tale decretum, nisi de facto illud placeat, & si de facto placet, eo ipso conceditur præsens quædam voluntas Dei in quàm vltimò reducatur veritas futuri conditionati. Ita P. à S. Th. loco citato. ℞. Non aliter causaretur ille status quam per decretum, concedo: Ergo debet Deo constare quòd habebit, seu potiùs quòd haberet tale decretum: Distinguo: debet hoc Deo constare asserendo, nego; supponendo: concedo: iudicium enim conditionale non asserit id ex quo dicit aliquid sequuturum, esse, sed supponit. Cùm dico si sol luceret dies esset, non assero τὸ *sol luceret*; sed suppono: & ex illâ suppositione sequuturam dico diem, propter necessariam quam habet illud antecedens cum hoc consequente connexionem. Quod autem facit naturalis determinatio solis, vt sit fundamentum ex quo colligatur infallibiliter sequutura dies, & necessariò; hoc facit actiua indifferentia & dominium causæ liberæ in actum & non actum; vt sit fundamentum ex quo colligatur futurum actum potiùs quàm non actum: vel non actum potiùs quàm actum, supposita semper connaturali circa vtramque causam prouidentia.

Iam verò cùm dicitur, non posse Deo constare quod haberet tale decretum, nisi hoc illi placeat. ℞. Distinguo nisi hoc illi placeat complacentiâ quadam libera, nego; necessaria & quæ perinde pertineat ad hoc decretum & ad oppositum concedo. Placet Deo quod possit hoc decernere, quemadmodum etiam placet quod possit decernere contrarium; placet illi scientia quam habet de tali possibilitate; atque illa quoque quam habet de hypotheticâ sequelâ ex tali suppositione, sicut & illa quam habet de contraria, Actus verò præterea liber & efficax circa tale decretum in Deo nullus est, qui quidem possit scientiâ mediâ prior dici.

LIV. Dices 2. Deus posset aliter disponere res, ac facere vt esset sequutura non traditio Dauidis, salua Cei-

litarum libertate: ergo præsens quoddam decretum, quo alia illa dispositio excludatur itaque fiat traditio sequutura. ℟. Distinguo antecedens, Deus posset facere vt esset sequutura non traditio ex eâdem hypothesi ex qua sequutura traditio est, nego: ex aliâ quâdam diuersâ, quod est esse possibilem aliam hypothesim, & ex illâ sequelam non traditionis; concedo. Et nego consequentiam. Hypothesis ex quâ sequutura est traditio, est hypothesis concursus indifferenter oblati, excludens omnem prædefinitionem anteriorem scientiâ conditionatâ. Supponimus enim omnem huiusmodi prædefinitionem tollere libertatem. Quid ergo potest facere Deus ad hoc vt sequatur non traditio quin mutet illam hypothesim? Debebit scilicet non exhibere concursum indifferentem, aut nolle positiuè vt sit traditio, aut velle positiuè vt sit non traditio: & quodcumque horum decernatur mutatur hypothesis quæ hæc omnia excludit.

LV. Dices 3. *Illud decretum conditionatum, seu habendum si conditio purificetur; est decretum supponens veritatem futuri conditionati: Ergo non potest esse principium à quo deriuetur talis veritas.* Ita P. Ioann. à S. Th. loco citato. ℟. Nego

Pag 650 „ antecedens. illud autem ita probat. Quià tale decretum „ solùm est decretum de concurrendo cum voluntate crea- „ ta concursu generali, aut concursu indifferenti, & ab „ ipsa voluntate determinando, in casu quo purificetur „ conditio. Veritas autem futuri conditionati est, quod „ voluntas, si conditio ponatur & concursus Dei genera- „ lis non desit, se determinabit *Vnde sic infert*, Ergo talis „ veritas non participatur ab illo decreto conditionato sed „ ab illo supponitur. Ego vero non video probabilitatem huius consequentiæ, vereorque nondum satis digesta sit hæc ratiocinatio, quæ si adolescat in argumentum idoneum, facile erit distinctæ difficultati adhibere distinctam „ solutionem. At, *inquit*, quando tale decretum aduenit, „ de concurrendo indifferenter, determinatio talis concur- „ sus supponit quod fiet à voluntate, & sic est præuisum; „ non ab ipso decreto determinatum & causatum, licet non „ sine ipso voluntas causabit & operabitur: frustra ergo

illa determinatio causari & denuari dicitur à decreto: cùm potiùs ab eo supponatur. Hîc iterum implexæ atque inexplicatæ cogitationes proponuntur Dum est actu & absolute decretum exhibendi concursum indifferentem, supponitur determinatio vt hypotheticè tantùm futura, tanquam aliquid priùs in subsistendi consequentiâ, vnde illo sensu dici potest actualis & absoluta positio decreti, supponere hypotheticam determinationis futuritionem. Sed oportet & comparare absolutam positionem decreti, cum absolutâ positione determinationis illius, & hypotheticam cum hypotheticâ, & possibilem cum possibili. Nempe determinatio possibilis talis concursus, supponit possibile decretum illud: eius actualitas ex conditione suspensa; supponit decreti actualitatem ex Dei pariter libertate suspensam: eius absoluta & actualis positio absolutam & actualem decreti positionem: & omnibus modis quibus determinatio voluntatis esse concipitur, supponitur etiam decretum Dei à quo participetur. Quid prætereà requiritur? & quid aliud est quod dicit Aduersarius, *licet non sine ipso voluntas causabit & operabitur*, quàm, *licet nulla futura sit eius determinationis actualitas, quæ non participetur à decreto?* Quod si est ita, quare decretum Dei posterius & determinatio voluntatis prior esse dicitur? Numquid inde Aduersarius debuit potiùs contrarium concludere ac dicere. *Decretum Dei est concausa necessaria sine qua voluntas creata nihil causabit, nihil operabitur, non se determinabit*: Ergo eius determinatio, & operatio, & effectus, est decreto Dei posterior?

§. II.

Specialis difficultas.

LVI. AD superiorem difficultatem contra scientiam mediam, specialem adiungit P. Ioannes à S. Th. petitam ex modo quo à nobis conformandum necessariò est obiectum huius scientiæ. Clarum enim esse, dum dicimus v. g. *si Dauid in Ceila maneat tradent eum* Arg. 4. pag. 663.

Ceilitæ, in hypotheſi ex qua ſequutura dicitur traditio, includendum eſſe Dei concurſum, ſine quo nec traditio. Ceilitarum, nec quidquam aliud futurum eſſe poteſt: & conſequenter includendum eſſe Dei decretum de concurrendo: non quidem decretum quod ſit, quia illud reijcimus, ſed decretum quod eſſet, quodque ideo dicitur conditionatum ex parte actus, à quo non poſſumus abſtinere. Hinc autem oritur, *inquit*, difficultas. Quo-
„ modo obiectum illud conditionatum formetur, ita quòd
„ deſeruiat ſcientiæ mediæ. Nam Deus cognoſcit quòd
„ Ceilitæ facient hoc, ſi in tali occaſione ponatur, & ſi-
„ militer ſi habuerint concurſum, ita quòd Deus non ſuſ-
„ pendat illum. Poſito autem concurſu ex parte condi-
„ tionis, obiectum redditur neceſſarium, pertinetque ad
„ ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Si enim ponatur con-
„ curſus Dei, eſt omnino veritatis neceſſariæ quod talis
„ effectus fiet: ſi verò concurſus Dei non ponitur pro con-
„ ditione, non poteſt Deus videre effectum futurum. Si
„ enim concurſum ſuſpendat, nihil fiet. Hæc ille quibus ſubijcit difficultatem hanc *mordere acriter* defenſores ſcientiæ mediæ, & paulò poſt, in eoſdem hinc decidere *telorum imbrem*, & eſſe diſcordes eorum ſolutiones. Et de diſcordia quod dicit, illa fortaſſe pertineat magis ad loquendi & explicandi modum, quàm ad rem ipſam, quæ eadem cùm ſit apud omnes, non eodem tamen modo concipitur. De cætero videndum nobis eſt, ſi qua ratione poſſimus vel limâ vel forcipe reddere edentulam illam difficultatem, ne adeo nos *acriter mordeat*. Illi etiam *imbri telorum* ſi fortè nulla ſufficeret vmbella, obſtruenda erit teſtudo aliqua, ſub qua tuti viuere poſſimus.

Specialis difficultas communis eſt.

LVII. Et in primis videtur P. Ioan. à S. Th. ex communi difficultate ſpecialem facere. Communis enim eſt illa difficultas, ſepoſitâ etiam ſcientiâ mediâ, quomodo concurrat Deus cum cauſis liberis, & quale ſit decretum quo ſtatuit ab æterno exhibere illis concurſum ſuum. Quæ ſi rectè à noſtris ſoluatur, ſeorſim à ſcientia media, & circa ea quæ reipſa & abſolutè exiſtunt in aliqua temporis differentia; nulla ſuper eſſe poteſt difficultas in ijs quæ

quæ sunt conditionatè futura: cùm non sit opus aliâ re vllâ, quàm vt in hypothesi ex qua futura dicuntur, inuoluatur tale decretum, quale de facto dicitur esse circa ea quæ absolutè existunt.

Quare respondeo, in hypothesi ex quâ sequutura dicitur Ceilitarum traditio minimè includi concursum in actu secundo, quasi sensus esset, *si concurram cum Ceilitis ad traditionem, erit traditio*; nec item includi voluntatem seu decretum concurrendi determinatè ad eandem traditionem; quasi sensus esset, *si decerno concurrere determinatè ad traditionem, traditio erit*; sed includi decretum concurrendi quale decet causas liberas, & sensum esse, *si decerno ita concursum exhibere Ceilitis ad traditionem, quomodo ipsorum libertati consentaneum est*; ex quo videt statim liberè sequuturum consequens, asseritque, *tradent*. Et in hoc etiam consequente videt concursum suum in actu secundo, vt dicere possit. *Si decerno ita exhibere concursum Ceilitis quo modo libertas ipsorum postulat, reipsa & determinatè concurram ad materiale traditionis.* Conditio ex quæ sequuturum dicitur futurum conditionatū, non includit concursum in actu secundo & determinatè.

LVIII. Restat vti exponamus modum illum quo causæ liberæ sibi concursum exhiberi postulant, id quod iam accuratè præstitum est à multis. Et breuiter dico postulare liberas causas, si Deus velit earum se libertati accommodare, vt Deus exhibeat concursum indifferentem, & non determinatum. Quasi dicat, *Volo concurrere ad alterutrum ex oppositis actibus, vel, volo ita concurrere vt libertati talis causæ tribuatur cur sit actus potiùs quàm non actus*, vel, *cur sit non actus potiùs quàm actus*; Et addo eamdem omnino voluntatem esse circa duas huiusmodi causas, quarum altera reipsâ operatur vnum actum, poniturque concursus ad illum determinatus: alia vel non operatur, vel operatur oppositum, vnde etiam vel non ponitur concursus, vel ponitur determinatè diuersus. Ex eo enim maximè intelligitur concursus seu decreti huius indifferentia. Quare dico videre Deum in antecedente propositionis conditionalis decretum hoc, seu voluntatem concurrendi cum causâ liberâ, non videre autem concursum vllum determinatum; sed illum videre in consequente, in quo Decretum concurrendi cū causis liberis quale sit.

videt ſequuturum actum liberum.

LIX. Contra quem Philoſophandi modum obijcit primo P. I. à S. Th. Non debere Dei concurſum dari cùm illa ſuſpenſione & indeterminatione, & per cauſam creatam determinari, quia indeterminatio naſcitur ex potentialitate & imperfectione, concurſus autem diuinus debet eſſe perfectior, & actualior & perficere ac determinare potentialitatem cauſæ creatæ. ℞. Debere dari concurſum Dei cum illa ſuſpenſione & indeterminatione, & determinari à causâ creatâ, quia debet eo modo dari qui conſentaneus eſt naturæ cauſæ liberæ, ille autem modus tantùm eſt conſentaneus & non alius. Iam quod dicitur; indeterminatio hæc naſci ex potentialitate & imperfectione; negatur. Actus enim Dei qui verſatur circa obiectum determinatum; tam eſt actus & tam perfectus, quàm ſit actus qui verſatur circa obiectum determinatum. An caret Deus eâ cognitione quâ dicat alterutrum è duobus oculis eſſe mihi neceſſarium ad videndum? An habet illa plus *potentialitatis* & *imperfectionis* quàm quâ dicit eſſe mihi neceſſariam linguam, quæ vnica eſt, ad loquendum? Et qui cùm vnas tantùm veſtes habeat pauperi dandas, iubet illas alterutri duorum occurrentium dari pro libertate ſerui, cui hoc committit; quid minus habet actualitatis aut perfectionis, quàm ſi vno tantùm occurrente illi determinatè dari præciperet? Potentialitas quæ Dei actualitati ac perfectioni repugnat illa eſt, quæ reſpicit actum vel informatiuum vel entitatiuum, cuius ſupponatur eſſe in eo carentia; & ita, ſi creata libertas dum dicitur determinare concurſum Dei, adderet illi aliquam perfectionem, vel inhærentem vel identificatam; certum eſſet imperfectæ diuinitatis argumentum. Sed dum dicitur eſſe cauſa cur duorum effectuum extra Deum poſitorum quæ Dei voluntas indeterminatè reſpicit, vnus præ alio ponatur; quid additur Deo? Quæue aut forma aut entitas illi adueniat? Manet ſcilicet id ipſum quod eſt, nondum intellecta voluntatis creatæ huiuſmodi determinatione. Quod præterea dicitur *Dei concurſus vt pote perfectior & actualior, de-*

Loco citat. pag. 664.

Decretum illud an habeat potentialitatem aliquam Deo indignam.

bere determinare potentialitatem causæ creatæ; Si intelligatur de *potentialitate causæ creatæ* ad existendum vel non existendum, & ad habendam aut non habendam vim omnem & actiuitatem, & applicationem præuiam; verum est atque apud nos indubitatum: Si vero intelligatur, de potentialitate ad agendum, vel non agendum. ℞. Distinguendo; Debet enim Dei concursus illam determinare in causis naturalibus, quas habere vult necessariam ad agendum inclinationem; non vero in causis liberis quas vult esse actiuè indifferentes, hoc est operationis suæ determinatrices.

LX. Secundò vlteriùs probat P. Ioan. à S. Th. Non posse subsistere hunc modum dicendi, Quia in concursu „ indifferenti & suspensiuo, seu indeterminato, nulla con- „ nexio est magis cum consensu quàm cum dissensu: Ergo „ licet illa indifferentia conducat ad hoc vt ille consensus „ videatur vt liber: non tamen vt videatur determinatio „ voluntatis ad consensum potiùs quàm ad dissensum: nisi „ etiam videatur determinatus ille concursus simultaneus. „ *In quo stare dicit* huius sententiæ hallucinationem, quòd „ tendat solùm ad id quòd requiritur ad rationem liberi in „ consensu, non autem ad id quod requiritur vt determi- „ natè consensus sit potiùs quàm dissensus, quod non po- „ test in re procedere ab vtroque concursu oblato volun- „ tati, quia est ad consensum & dissensum; sed ab altero „ tantùm, nempe ab illo qui est ad consensum: Ergo hic „ debet videri præ alio in illo obiecto conditionato: si de- „ terminatè videtur consensus futurus sub conditione po- „ tiùs quàm dissensus. Quæ argumentatio difficultatem „ parit propter obscuritatem tantùm & confusam rerum notionem.

In primis quod dicit de concursu, quem supponit esse necessarium vt videatur determinatè consensus potiùs quàm non consensus; intelligi debet de voluntate concurrendi. Concursus enim in actu secundò, est ille ipse consensus: & non est aliquid quod sit Deo ratio videndi consensum, sed est id ipsum cuius libera & determinata sequela videtur per Scientiam Mediam, cuius est hoc

Concursus Dei in actu secundo non est illi ratio videndi futurum conditionatum.

„ obiectum. Si velim indeterminatè seu indifferenter con-
„ currere cum voluntate Ceilitarum ad traditionem aut
„ non traditionem in his circumstantiis; continget pro eo-
„ rum libertate me concurrere determinatè ad traditionem. Vnde quod dicit de concursu simultaneo, qui non est alius quàm concursus in actu secundo identificatus actioni creatæ libertatis, debere illum videri vt talis actio videatur, verum est: sed videri debet in consequente propositionis hypotheticæ, non autem in antecedente: & non debet videri tanquam ratio videndi talem actionem, sed tanquam aliquid in ea necessariò inclusum, & cum ea simul visibile ac cognoscibile, eo quod sit seu quod esset liberè futurum ex hypothesi.

Voluntas concurrendi cum causis liberis non debet habere determinatã connexionem cum actu potius quam cum eius opposito.

LXI. Iam verò quòd voluntas concurrendi indifferenter non habeat connexionem cum consensu magis quam cùm dissensu, verum est, sed quid sequitur inde? Ergo non conducit vt videatur determinatio voluntatis ad consensum magis quàm ad dissensum? distinguo; non conducit sola, concedo consequentiam; non conducit coniuncta cum libertate creaturæ, indifferentiæ illius determinatrice; nego consequentiam. Iam dixi hoc esse obiectum Scientiæ Mediæ. *Si velim indifferenter concurrere cum voluntate Ceilitarum, illa erit causa cur determinatè concurram ad traditionem, non verò ad actum oppositum.* Seu quod idem est, *Si offeram illi vtrumque concursum, acceptabit hunc:* aut, *Si dedero illi optionem acceptandi aut non acceptandi, acceptabit reipsà & operabitur, nec erit pura omissio.*

LXII. Et ideo nulla est in nobis *hallucinatio*, sed tota penes argumentantem residet; Primò quod videatur supponere Dei concursum esse debere rationem cur determinatè videatur consensus sequuturus; hoc autem falsum est, siue sumatur concursus in actu secundo, siue sumatur in actu primo. Nam si sumatur in actu secundo, concursus ille est ipsa res scita: & si distingueretur hic obiectiua ratio sciendi, & res scita, quod est obiectum materiale & obiectum formale; concursus ille pertineret ab obiectum materiale, non verò ad rationem sciendi, siue ad obiectum formale. Si autem sumatur concursus in

actu primo pro decreto concurrendi, eius suppositio est quidem ratio sine qua nihil sciri potest conditionatè ac liberè futurum; sed non est ratio sciendi futurum hoc potiùs quàm illud: sed nec est alia vlla talis ratio. Huiusmodi enim futura libera siue absoluta siue conditionata nihil habent quod sit ipsis ratio vt determinatè videantur, ideóque videri dicuntur in illa sua *præsentialitate* quam aut habent si absoluta sunt, aut haberent, si sunt conditionata.

Secundò etiam *hallucinatur*, quando loquitur de concursu in actu secundo, sicuti de causa ex qua procedat consensus, dum negat consensum *procedere posse ab vtroque concursu oblato voluntati, sed ab altero tantùm, nempe ab illo qui est ad consensum.* Atqui consensus neque ab vtroque procedit, neque ab altero, quia cum hoc altero identificatur: sed procedit à decreto concurrendi & à diuina omnipotentia per illud applicatà. Quòd si contendat determinatum consensum non posse procedere à decreto indeterminatè concurrendi, hoc illi probandum restat: & eâdem operâ probabit determinatam possessionem huius libri, non posse procedere ab indeterminata oblatione quâ venditor hunc vel illum emptori obtulit: item, determinatam donationem huic pauperi factam, non posse procedere ab indeterminata legatione, qua donum hoc legatum erat huic aut alteri. Actio causæ secundæ procedit à decreto cōcurrendi non à concursu ipso si propriè loquimur.

LXIII. Hanc Aduersarij *hallucinationem* prodiit alia ratiocinatio, quæ nobis obiicitur.

Tertiò, vt consensus sub conditione videatur futurus „ determinatè debent videri omnes causæ sine quibus non „ procedet in re posita illa conditione..... Ergo debet vi- „ deri concursus ille per quem procedet, & cum quo habet „ commensurationem, hoc est concursus determinatus ad „ assensum. Vbi vides sub illo antecedente ante conclusionem hanc, non aliam assumi posse minorem quàm istam; *Atqui concursus ille est causa*, quæ vt iam dixi falsa est; conuinciturque illius falsitas ex sequenti eiusdem auctoris ratiocinatione, quia destruere videtur id quod probare cœperat, cum dicit: Et præsertim hoc vrget, quia con- „ Pag 664

„ cursus concomitans ad consensum, non est distinctus ab
„ ipsa operatione qua causa secunda influit in actum suum:
„ sed in obiecto scientiæ conditionatæ necessariò relucere
„ debet cognitio determinati influxus voluntatis creatæ.....
„ Ergo & concursus determinatus videri debet. Hoc enim
„ non viso impossibile est videre determinatum consensum.
„ Quia non videtur aliquid à quo per se dependet & cum
„ quo identificatur. *Inde concludit*, determinatum concur-
„ sum debere videri ex parte conditionis, & tanquam ali-
„ quid prærequisitum ex Deo procedens: Ergo, *inquit*,
„ antecedenter ad cognitionem & non subsequenter, quia
„ obiectum antecedit. Quo in discursu mirum est quam
multa implicentur, quæ parum Philosophicè videntur
dicta.

Concursus Dei non est causa sed decretum concurrendi.

LXIV. Nam 1. dicit rationem istam *vrgere* in confirmationem superioris, cùm sit perspicuum destruere illam potiùs. Ibi enim assumebat Dei concursum esse causam per quam procederet consensus: hîc asserit identificari cum eodem consensu. Vnde sequitur esse non posse illius causam. 2. Ex eo quod supponamus videri consensum, infert debere videri determinatum concursum, propter identitatem vtriusque; & vult tamen concursum videri ex parte conditionis: debet ergo supponere ipsum quoque consensum, seu influxum voluntatis in actum suum, videri ex parte conditionis. Componat igitur quæso propositionem conditionalem, & ponat operationem quâ voluntas influit in actum suum ex parte conditionis, quid emerget? Ita scilicet erit dicendum. *Si voluntas Ceilitarum in his circumstantijs posita operetur consensum suum, ad tradendum Dauidem; consentiet in traditionem & tradet*; hoccine est obiectum scientiæ? 3. Iterum dicit, ideo non posse videri consensum determinatum sine determinato concursu, quod ab eo pendeat, & cum eo identificetur. Atqui à seipso nihil pendet proprie loquendo; quomodo igitur à concursu pendet consensus, si identificatur? aut quomodo identificatur si pendet?
„ 4. Quid est quod dicit, debere inuolui concursum deter-
„ minatum in obiecto conditionato ex parte conditionis,

tanquam quid prærequisitum ex Deo procedens & ex ››
parte obiecti se tenens. Ergo antecedenter ad cognitionem, & non subsequenter, quia obiectum antecedit? ››
Quid quæso est in toto significato propositionis hypotheticæ, quod se habeat *subsequenter* ad cognitionem? Quid non *se tenet ex parte obiecti*? Et proinde si quod est obiectum se habet *antecedenter*, quid non *se habet antecedenter*? Quod si futurum ipsum quod significatur in consequente, quodque etiam obiectum est, *antecedenter se habet* ad cognitionem, quare negabitur illa causalis, ideo sciri quia futurum est? Hæc nimirum satis ostendunt negligentiùs habitam ratiocinationem illam quàm vt quemquam *mordere* possit.

LXV. Doctrinæ ac solutionis nostræ summa est, Determinatum Dei concursum cum consensu voluntatis identificatum, per Scientiam Mediam cognosci tanquam id quod est hypotheticè futurum: ac proinde in propositione conditionali tenere se ex parte consequentis, ex qua etiam se tenet consensus ipse voluntatis: ex parte verò conditionis, hoc est ex parte antecedentis eiusdem propositionis, tenere se decretum indifferenter concurrendi, non verò concursum ipsum determinatum, sicuti nec consensum cui identificatur: huiusmodi autem propositionis sensum non esse illatiuum, & ideo quod est conditio, seu quod supponitur in antecedente non esse nec debere esse rationem obiectiuam intelligendi sequelam consequentis: quare nec oportere vt habeat determinatam cum consequente, magis quàm cum eius opposito connexionem: significari tantùm concomitantiam vtriusque consequentis & antecedentis, cum libera vnius ab alio dependentia, de qua concomitantia & dependentia nihil aliud asseritur, quàm quòd esset, si conditio poneretur: ad hoc autem asserendum sufficere veritatem quæ esset, supposita in Deo infinita intelligendi vi, ad quam spectat attingere non solum id quod est in aliqua temporis differentia, sed etiam quod esset. Summa solutionis.

LXVI. Et quod dicit Aduersarius *currere argumenta* iam facta, si conditio siue antecedens, non habet determina- Pag. 607.

tam connexionem cum consequente, futurum enim *vt Deus non videat determinatas omnes causas à quibus pendet ille consensus*; vel intelligit causas illas debere esse determinatas in se, hoc est certas, & hoc sensu non negamus esse determinatas; sunt enim hæc, & illa, & illa: vel vult esse determinatas in ordine ad effectum, hoc est determinatè productiuas huius effectus & non illius; & hoc esse dicimus alienum à conceptu causæ liberæ, cuius est esse determinatricem, non determinatam ad hoc præ illo producendum.

Deus nihil aliud videre debet ex parte antecedentis propositionis hypotheticæ quâ se posse determinare se ad concurrendum indifferenter.

„ LXVII. Quod etiam subdit, Non visurum Deum quo- „ modo se determinet voluntas creata, si non videat quo- „ modo se determinet diuina, à qua pendet determinatio creatæ; frustra est: determinatio diuinæ voluntatis est ad concurrendum indifferenter. Cùm enim esset liberum Deo concurrere hoc modo, aut non concurrere, determinat se ad concurrendum accommodatè ad creatam libertatem, & ab illâ Dei determinatione pendet determinatio creatæ voluntatis, quæ est ad consentiendum ex hypothesi, quo fit vt Deus non videat determinationem creatam sine increatâ, sed creatam videt ad consensum; increatam ad indifferentem concursum. Quòd si velit Aduersarius esse non posse determinationem creatam ad consensum cum indifferentia increatæ; hoc illi semper probandum restat.

An sequatur creatam libertatem determinare cōcursum Dei ex se & à se

„ LXVIII. Nam quod demum obiicit, futurum vt creata „ libertas à se & ex se determinet concursum Dei, non par- „ ticipatiue à Deo & à concursu determinato Dei; Negamus hoc sequi. Quod enim non facit creata libertas nisi dependenter à Deo, non facit *à se & ex se*: sed non determinat concursum Dei nisi dependenter à Deo: si enim non esset decretum illud concurrendi, quo diuina omnipotentia creaturæ ad vtrumlibet offertur; nihil faceret voluntas, nihilque determinaret. Obtinere fortasse vult, à voluntate Dei, quâ eius virtus ad alterutrum oppositorum efficaciter offertur voluntati creatæ, vnum eorum determinatè pendere non posse, ac proinde tribuendum hoc eidem tantùm voluntati cui offertur; & hoc

hoc ſemper negamus. Quod ſi hoc inferet tantùm, in illo vtriuſque principij ad vnum effectum determinatum concurſu, quanuis Deus ſit cauſa eius quod fit, & quidem potiori iure quàm creata voluntas, non eſſe tamen cauſam cur præ alio fiat; ſed eſſe hoc potiùs tribuendum creatæ voluntati; non reſiſtemus, quòd hoc nihil aliud ſit, qùàm in concurſu Dei cum igne, quamuis calor à Deo magis quàm ab igne pendeat, cauſam tamen cur calor præ frigore producatur, ignem eſſe potiùs quàm Deum; Et in concurſu Dei cum aqua, licet frigus à Deo magis quàm ab aquâ pendeat; cauſam tamen cur præ calore producatur frigus, aquam eſſe potiùs quàm Deum: quod cui amabo abſurdum videatur? Nempe hoc quod eſt produci calorem præ frigore, duo importat; poſitiuum vnum, quod eſt calorem produci: negatiuum alterum, quod eſt non produci frigus. Et ſimiliter hoc quod eſt frigus produci præ calore, duo importat; produci frigus, quod poſitiuum eſt; non produci calorem, quod eſt negatiuum. Poſitiuum illud vtroque in exemplo Deo tribuitur totum: negatiuum impotentiæ cauſarum creatarum: cauſa enim eſt ignis impotentia cur Deus cum ipſo frigus non producat, & aquæ ſimilis impotentia cauſa eſt cur cum ipsâ non producat calorem. Quod ergo facit iſtarum cauſarum impotentia, vt ipſis tribuatur non productio alicuius effectus; hoc facit libertas & dominium cauſæ liberæ in oppoſitos actus, nempe vt ipſi tribuatur vnius non productio, quod eſt ipſam eſſe cauſam cur vnus producatur præ alio.

LXIX. Atque hic eſt ille *telorum imber* quo eramus obruendi, niſi ſolutiones idoneæ tempeſtatem auertiſſent. *Retorquetur argumentum in Aduerſarium.*

Eſt tamen vnum tanto ex numero telum, quod Aduerſarius cum videret in ſe retorquendum, declinare conatus eſt. Arduum illi ſcilicet ac dfficile negotium videtur, obiectum ſcientiæ conditionatæ iuxta ſententiam noſtram ita conſtituere, vt non ſit ridicula connexio conſequentis cum antecedente: neceſſarium enim eſſe, vt ex parte conditionis inuoluatur concurſus determinatus, quo ſuppoſito, inferre ſequuturum exinde determina-

tum effectum, adeò esse obuium, vt Deus ea in re vix sapere possit supra pueros: hanc siquidem esse illius scien-
Ib. p. 665 » tiæ speciem. Si vocauero Petrum, & habuero concur-
» sum identificatum vel simul existentem cum eius con-
» sensu, dabitur eius consensus: *quo statuto sic instat.* Quid
» tam inutile? Ergo scientiam tribuimus Deo quam vel
» pueri habent, quæ ad simplicem necessariamque scien-
» tiam spectat? Hæc autem difficultas, quæ vt ex dictis intelligi potest, in ea sententiâ quam tuemur nulla est, contra doctrinam tantùm Aduersariorum videtur concepta. Admittunt enim ipsi scientiam conditionatam liberorum actuum ex hypothesi futurorum, cuius obiectum ita constituere debent, vt ex parte conditionis supponatur id omne sine quo implicat id sequi quod futurum dicitur. Et quia implicat esse aliquid futurum sine concurrendi voluntate, debet illa poni ex parte conditionis. Rursùs quia voluntas indifferenter concurrendi, vt ipsi quidem volunt, frustra est; poni debet voluntas determinatè concurrendi ad assensum v. g. & non ad dissensum. Iterum quia voluntas determinatè concurrendi, est voluntas prædeterminandi physicè; supponenda hæc erit ex parte conditionis. Constituatur ergo
» iam illius diuinæ scientiæ obiectum, dicaturque, Si Ceci-
» litæ ponantur in talibus circumstantijs, & ego velim de-
» terminatè cum illis concurrere ad traditionem Dauidis,
» & non ad actum oppositum, erit traditio. *Hoc supposito,*
» *quis non regerat,* Quid tam inutile? Ergo scientiam tri-
» buemus Deo quam vel pueri habent, quæ ad simplicem
» necessariumque scientiam spectat. Atque hoc insuper addendum est. Quid opus est præsenti & actuali decreto Dei, vt hoc sciatur? numquid & sine illo sciri potest?

In contraria sententia Dei scientia circa futura popularis fit, nec superat captum intellectus creati.

Sed nimirum talem admittunt scientiam conditionatam quâ quod est faciendum à creatâ libertate non tam videtur, quàm quod est faciendum ab increta ex hypothesi: Et si quis scire velit quale ab ipsis constituatur obiectum scientiæ conditionatæ, ita illud est concipien-
» dum, Si Dauid in Ceila maneat, futurum est vt Deus
» Ceilitas prædeterminet ad traditionem, & vt ex illa præ-

determinatione traditio sequatur. Atque hoc futurum „ est vi præsentis decreti quo dicit Deus, *Volo, si Dauid in Ceila maneat aduentante Saule, concurrere determinatè cum Ceilitis ad traditionem, non autem ad non traditionem.* Hac ratione scit Deus concurrendi ex illa hypothesi suam voluntatem illam determinatam & prædeterminantem, & ex illa iterum futuram traditionem.

LXX. Atque ita, id quod in hac scientia pueri captum excedit, minimè spectat ad scientiam humanorum actuum ex hypothesi futurorum. Quis enim puerorum non videat ex conditionata prædefinitione, seu prædefiniente ac prædeterminante voluntate, sequuturum, id quod prædefinitum ac prædeterminatum est? Sed spectat tantùm ad scientiam actus liberi Dei conditionati ex parte obiecti, cum dicitur, si Dauid in Ceila maneat, futurum est vt Deus Ceilitas prædeterminet ad tradendum.

Rursus quando conditionales istas propositiones compositas faciunt ex duplici consequente ita vt intelligatur primò in Deo voluntas determinatè concurrendi ex hypothesi, quæ voluntas est prædefiniendi ac prædeterminandi: secundò futurus sit in homine actus prædefinitus; accipio conditionalem simplicem, constantem priore tantùm parte consequentis, quæ sic habet, *si Dauid in Ceila maneat, futura est prædeterminatio voluntatis Ceilitarum ad eum tradendum.* Hic ego dico ex parte conditionis seu antecedentis, poni debere quidquid est necessarium vt sequatur consequens: esse autem necessarium iuxta cogitationes Aduersariorum aliquid quod habeat determinatam cum eodem consequente connexionem: & cùm illud consequens sit, esse futuram prædeterminationem, nec quidquam possit habere cum illâ connexionem determinatam nisi præsens atque actuale decretum illam ponendi, esse illud ex parte conditionis inuoluendum, dicendumque, supposito decreto quod habeo prædeterminandi Ceilitas ad traditionem si Dauid apud eos maneat; futura est, si maneat, illa prædeterminatio. Quo in obiecto duo sunt quorum vnum spectat ad scientiam visionis, nimirum, esse in Deo decretum illud actuale quod

ſupponitur; alterum eſt obiectum ſcientiæ conditionatæ, ſequuturam videlicet ex ea hypotheſi Ceilitarum prædeterminationem. Quæ ſequela, quomodo non ſpectat *ad ſimplicem neceſſariamque ſcientiam*, vt aduerſarius obijciebat, proindeque quid per ſcientiam conditionatam, quatenus ea conditionata eſt atq; ab abſoluta ſcientia viſionis diſtinguitur, videt Deus, quod *pueri* videre non poſſint?

LXXI. Reſpondet Aduerſarius, diſparem eſſe rationem: & argumentum in nos efficax eſſe, non in ipſos, qui concurſum Dei ſiue ſimultaneum, ſiue prædeterminatiuum, vel etiam decretum Dei efficax quo vult non ſolùm ſequi talem actum, ſed etiam ſequi cum ſua libertate, non ponunt pro conditione, neque ex parte obiecti conditionati; ſed pro medio ſeu ratione formali, quâ Deus vtitur vt in eo cognoſcat infallibiliter illud obiectum conditionatum, *v. g. in exemplo Tyriorum*, Id quod habet rationem obiecti per modum effectus, ſolum eſſe conuerſionem: conditionem autem eſſe prædicationem Chriſti, & ex his duobus integrari obiectum illud conditionatum, quod eſt contingens. Contra quam reſponſionem in primis quæro, velit-ne Aduerſarius mutatis tantùm Auctoribus, mutari ſententiarum naturam; & quæ propoſitio vera eſt, dum ab ipſo profertur, fieri falſam, dum eandem ipſi pronuntiamus? Cuius quæſo eſt illa propoſitio quæ paulò ante allata eſt, *Vt conſenſus ſub conditione videatur, debere videri omnes cauſas ſine quibus non procedet in re poſitâ illâ conditione?* Cuius etiam illa, debere *videri omnes cauſas determinatas, à quibus pendet conſenſus?* Et illa, *debere videri aliquid ex parte conditionis quod habeat determinatam connexionem cum conſenſu futuro*, & ideo *non ſufficere concurſum indifferentem & ſuſpenſiuum?* Et illa, *ſub ſtatu conditionato ita debere videri determinatè futurum conſenſum, quod ſolùm deſit purificatio conditionis vt tranſeat in abſolutum?* Et illa, hæc debere videri *ex parte conditionis & tanquam aliquid prærequiſitum ex Deo procedens* & *antecedenter?* Prædicatio Chriſti eſt-ne omnes cauſæ ſine quibus non procedet Tyriorum conuerſio? Eſt ne cauſa determinata, vel determinatam habens connexionem cum ea

Loco cit. pag 606.

Pag. 664.

conuersione? Sufficietne sola purificatio conditionis, seu positio illius prædicationis, vt conuersio fiat absolutè futura? Cum ergo prædeterminatio pertineat etiam ad rationem causæ respectu conuersionis illius, sitque id solùm quod determinatam cum ea connexionem & habet ipsa, & prædicationi ac cæteris causis dat: & sine qua nulla conditionis purificatio sufficiat vt sit futura conuersio; quis dubitare potest, quin debeat videri ex parte conditionis, & tanquam aliquid prærequisitum?

LXXII. Deinde hæc etiam peto quomodo cohæreant, *concursum Dei* etiam *prædeterminatiuum non poni ex parte obiecti conditionati*, & tamen *esse medium & rationem formalem in qua illud obiectum conditionatum videatur?* Quid enim quæso magis est obiectum, quàm medium & ratio formalis in qua quippiam cognoscitur? Quod si hoc est concursus prædeterminatiuus, quare non ponitur ex parte obiecti? Nempe nos non tam debemus attendere quid exprimamus ipsi per eam orationem qua scientiam conditionatam significamus, quàm quid obuersetur Deo scientiam illam habenti. Quis autem neget illi obuersari medium in quo aliquid videt, & quod est causa cur id quod videt futurum sit? Quod si obuersetur, ergo est obiectum: & quia esse non potest nisi se teneat ex parte antecedentis, vel ex parte consequentis; debet igitur ad alterutrum reduci: non potest autem ad partem consequentis: ergo reducendum ad partem antecedentis. Atque ita obiectum scientiæ conditionatæ in contraria sententia tali quodam modo necessariò conformandum est. Habeo „ decretum ex quo sequutura esset in Tyrijs ad con- „ uersionem prædeterminatio, si prædicaretur illis Euan- „ gelium: & si esset prædeterminatio, sequeretur & con- „ uersio, *vel*, Habeo decretum ex quo tum prædetermi- „ natio Tyriorum sequeretur, tum exinde conuersio, *vel* „ Ex suppositione decreti quod iam est, & prædicationis „ quæ esse posset, sequeretur Tyriorum prædeterminatio „ & ex prædeterminatione conuersio. Ista omnia in idem „ recidunt, & velimus, nolimus, ita sunt à nobis concipienda, si concipimus id quod est. Nec quidquam refert quod

truncemus ipsi orationem, succisis verbis quæ Dei decretum & prædeterminationem significant. Quia non ideo truncare possumus Dei scientiam, aut subtrahere illi obiectum in quo videt futurum effectum, & sine quo videre non potest. Expresso autem decreto illo, & concursu prædeterminatiuo, *consequentia*, inquit P. Ioan. à S. Tho. *necessaria est, & conditionalis redditur necessaria, pertinetque ad scientiam simplicis intelligentiæ*. Quod ergo est liberum in tali Dei scientia, est cognitio qua est ipse sibi conscius sui decreti præsentis, consequentia verò ad futuram ex illa hypothesi Tyriorum conuersionem, non magis pertinet ad scientiam visionis quàm consequentia futuræ diei ex futura hypotheticè luce solis.

Arg. 5. pag. 679.

§. III.

Inconuenientia ex Scientia Media.

Disp. 10 ar. 4. pag. 651.

LXXIII. Ex *plurimis inconuenientibus* Scientiæ Mediæ, iisque *non parui momenti, grauiora colligit* P. Ioannes à S. Thoma. Primum est, per Scientiam Mediam sterni viam ad illa duo quæ Semipelagiani ponebant, circa initium & finem seu perseuerantiam iustificationis: eneruarique omnia argumenta Augustini & Catholicorum in hac parte contra ipsos. Hoc autem commemoratis Semipelagianorum erroribus probat, Quia per Scientiam Mediam offertur aliquid diuino conspectui, quod sufficientem bonitatem habet, vt mouere possit ad dandam gratiam: quo posito non est fundamentum cur negetur Deus tali motiuo vsus in danda gratia, quod volebant Semipelagiani. Et ostendit, nihil referre quòd illud *aliquid*, sit futurum tantùm conditionatè: vel sit futurum dependenter à gratia. Et ex eo enim capite non differre doctrinam hanc à doctrina Semipelagianorum. Atque hoc pertinet ad initium iustificationis.

Primũ inconueniens ex scientia media reijcitur.

Iam verò de perseuerantia idipsum similiter monstratur. Quia ex doctrina de scientia media sequitur nullum esse donum, quod quatenus à solo Deo descendit tale

sit, vt amitti vel retineri non possit humana voluntate. Cùmque non habeat infallibilitatem causalitatis prout *præcisè* à Deo descendit; superesse vt habeat tantùm infallibilitatem directionis & dispositionis ex præsupposita præscientia. Hoc autem est totum id quod in Semipelagianis euitare voluit S. Augustinus. Hæc est eorum summa quæ fusius apud hunc Auctorem differuntur.

LXXIV. Sed ex ijs quæ diximus antea de doctrina Semipelagianorum, constat imaginaria esse hæc inconuenientia. Nam quod dicit, per scientiam mediam offerri diuino conspectui aliquid, quod eum mouere possit ad dandam gratiam; verum est offerri quod mouere possit ad modum causæ finalis: & si hoc nimium fauet Semipelagianis, S. Thomas reus est, qui disertè docet, *vsum gratiæ præscitum, esse rationem collationis gratiæ, secundùm rationem causæ finalis.* Reus erit, & quicumque in Deo admittit scientiam simplicis intelligentiæ. Nam quod facit scientia media dum repræsentat bonum vsum gratiæ hypotheticè futurum; hoc ipsum etiam facit scientia simplicis intelligentiæ, dum eundem vsum repræsentat vt possibilem, atque etiam vt futurum ex hypothesi prædefinitionis. Sit inquam, ex vna parte Scientia Media repræsentans Tyriorum conuersionem ex hypothesi gratiæ futuram: sit ex alia Scientia simplicis intelligentiæ repræsentans eandem conuersionem vt possibilem & ex hypothesi prædefinitionis futuram; quis non videt idem vtrobique bonum repræsentari: ac proinde quo modo moueri potest Deus vt gratiam dare velit propter bonum quod repræsentatur per Scientiam Mediam; ita & moueri posse vt concipiat prædefinitionem propter illud ipsum bonum per scientiam simplicis intelligentiæ repræsentatum? Nobis ergo atque Aduersarijs incumbit communis necessitas confitendi, tum prædestinationi, tum prædefinitionibus bonorum actuum, tum cuicumque decreto dandi gratiam, prælucere scientiam in Deo quæ bonum aliquod ex parte hominum repræsentet, propter quod possit Deus decernere quod decernit. Hoc autem est repræsentari bonum quod Deum moueat ad modum

Disp. 3. cap. 2. 3.

Scientiam mediam nō magis sternere viam Semipelagianismo quā scientiam simplicis intelligentiæ.

1. p. q. 23. ar. 5. ad primum.

finis. Et cùm in eo Semipelagiani censendi non sint errauisse, in quo ipsi verum sentimus; restat vt proprius eorum error fuerit, quod eam admiserint præscientiam, quâ Deo repræsentaretur humanum aliquod bonum, naturæ viribus & secluso speciali auxilio comparatum, quo ille ad dandam gratiam moueri posset, ad modum causæ efficientis moralis, meritoriæ scilicet aliqua ratione, vel impetratoriæ. Quæ causa in eo differt à finali, quod hæc ad sui acquisitionem inuitet; illa vti iam acquisita partaque alterius alicuius rei donationem veluti suo quodam iure postulet: Ista eo ipso quod est acquirenda, & possit & debeat dependere atque effici ab ijs medijs ad quorum applicationem mouet, ac proinde à diuina gratia si est actus qui pertineat ad salutem; illa eo ipso quòd iam supponatur acquisita partaque & existens, intelligatur independens atque inepta vt vlterius causetur ab aliquo præsertim effectu suo quod in eodem genere causæ minimè sit admittenda mutua causalitas; ideoque repugnet, vt ab eadem gratiâ dependeat meritum ad cuius donationem mouet.

LXXV. Vnde patet minimè verum esse quod Aduersarius assumit, admissâ scientiâ mediâ eneruari argumenta quibus Augustinus atque alij Patres Semipelagianos vrgebant. Argumenta enim illa eò spectabant omnia, vt obtinerent necessariam esse gratiam quâ fidei primordia præuenirentur. Tota verò illa necessitas perseuerat etiamsi dicatur & præsciri conditionatè bonus vsus futurus, & ad modum finis non tantùm posse mouere, sed reipsa mouere vt iam dictum est. Et ideò absoluta erat illa præscientia humanorum meritorum quam Semipelagiani obtrudebant vt antea monstratum est, quæ cum exhiberet præexistentia iam merita quæ gratiam obtinerent; consequens erat vt dicerent huiusmodi merita esse à diuina gratia independentia: atque ita vapularunt apud Catholicos omnibus modis quibus probatur gratiæ necessitas.

Supra disp. 3. c. 4.

Cui errori stultitiam addiderunt ex Augustino, quando vbi deerant præexistentia merita, existimarunt eandem vim habere conditionata: cum tamen sit manife-

stum

ſtum hæc eſſe inepta quæ aliter moueant quam in ratione finis. Neque hoc vrgeo, quamuis verum ſit, exiſtimaſſe illos conditionata hæc merita eſſe à diuina gratia independentia, quia eo etiam errore ſublato nihilo minor eſſet eorum inſania: cum ſequeretur inde principium meriti cadere ſub meritum. Dicerent enim merita conditionatè futura mouere in genere cauſæ efficientis moralis ad dandam eandem gratiam à qua dependerent: itaque cauſare gratiam à qua cauſarentur.

LXXVI. Atque hinc tandem infero, cum magis abuſi fuerint Semipelagiani abſoluta præſcientia quàm ſcientia media: ſitque facilius conuincere abuſum ſcientiæ mediæ, quàm abſolutæ præſcientiæ, eo quòd ſit euidentior vnius abſurditas quàm alterius; ſi fauere putandi ſunt Semipelagianis ſcientiæ mediæ defenſores, cenſendos magis illis fauere defenſores abſolutæ præſcientiæ, quippe qui *viam ſternant* planiorem minuſque impeditam: & viceuerſa, ſicuti nemo putet, ideo negandam eſſe præſcientiam abſolutam ne illis faueatur, ita neque putandum, ideo negandam eſſe Scientiam mediam.

Scientia viſionis fauere potius Semipelagianiſmo quã ſcientia media.

LXXVII. De perſeuerantiâ negamus quod aſſumit Aduerſarius, erraiuſſe in eo Semipelagianos quòd dicerent nullum eſſe perſeuerantiæ donum, quod *quatenus à ſolo Deo deſcendit*, non ſit tale vt voluntate humana vel amitti vel retineri poſſit: & quod non habeat infallibilitatem cauſalitatis, *prout præcisè à Deo deſcendit*, ſecluſa ſcilicet conditionatâ præſcientiâ. Et iterum negamus vllum eſſe verbum vel apud Proſperum, vel apud Hilarium, vel apud ipſum Auguſtinum, quo illud, *quatenus*, & illud, *præcisè*, innuatur: ſicuti nec vſquam innuitur excluſio ſcientiæ conditionatæ concurrentis ad dandam infallibilitatem gratiæ ad perſeuerandum neceſſariæ. Proprius eorum error fuit, negare gratiam ad perſeuerandum neceſſariam, vti antea retulimus ex Auguſtino dicente, „Quam fidem & incipere habere, & in ea vſque in finem „perſeuerare, TANQVAM ID NON A DOMINO ACCI„PIAMVS NOSTRVM ESSE CONTENDVNT. Quod ſi eſſet „in eo agnoſcendum aliquod Dei donum, dicebant eſſe

Error Semipelagianorum circa perſeuerantiam.

De bono perſ. c. 17.

Ep. ad Aug. illud debitum merito liberi arbitrij, vt perspicuè testatur
» Hilarius. Quod autem dicit Sanctitas tua, neminem per-
» seuerare, nisi perseuerandi virtute perceptâ; hactenus
» accipiunt, vt quibus datur inerti licet, PRÆCEDENTI
» TAMEN PROPRIO ARBITRIO TRIBVATVR quod ad hoc
» tantùm liberum asserunt, vt velit vel nolit accipere me-
» dicinam. *Et mox*. Nolunt autem ita hanc perseuerantiam
» prædicari, vt non VEL SVPPLICITER EMERERI, vel
» amitti contumaciter possit. Vbi sic est interpretandum illud, *suppliciter emereri*, vt sit dictum eodem sensu quo dicebant impetrare nos primam gratiam *petendo*, *pulsando*, *quærendo*, quos omnes voluntatis conatus dicebant esse à gratia independentes, vti antea retulimus. Nam quòd impetrare possimus atque emereri isto non condigno merito donum perseuerantiæ, ijs orationibus ac pijs operibus quæ procedunt ex gratiâ, Catholici quoque
Supra disp. 3. cap. 4. » fatentur. Hinc illud quod subdit Hilarius, Nec ad incer-
» tum voluntatis Dei deduci se volunt, vbi eis quantum
» putant ad obtinendum vel amittendum, euidens est
» qualecumque sit initium voluntatis. Nimirum vt in fide, sic & in perseuerantia sentiebant incipere voluntatem nostram, subsequi verò diuinam gratiam.

Quid ergo mirum, si cùm ita subnecterent perseuerantiæ donum contingentiæ voluntatis humanæ, Augustino restiterint dicenti, *non solùm Dei donum esse perseuerantiam vsque in finem, sed tale donum quod humana libertas amittere non possit:* & ex opposito statuerint, *Quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse nos & amittere, & retinere propria voluntate? Propriam* scilicet voluntatem atque etiam *humanam* distinguentes ab accepta & fluente à diuina gratia.

Quibus erroribus quomodo *sternat viam* Scientia Media; nec ego videre possum, nec Aduersarius probare. Quin potiùs constat; illâ sterni viam Augustini doctrinæ, dum suggeritur ratio quâ dici possit perseuerantiæ donum *humana* voluntate perdi non posse. Ita enim esse interpretandum Augustinum vt illud, *perdi non posse*, consequentem necessitatem sonet, atque aliquo modo

pendentem ex suppositione liberæ determinationis, conuincit Tridentini decretum, & totius Ecclesiæ Catholicæ sensus de resistibilitate liberi arbitrij aduersus efficaciam gratiæ.

LXXVIII. Quod vt planius intelligatur aduertendum est, donum perseuerantiæ in plerisque hominibus importare duo. Primò, gratiam internæ inspirationis efficacem ad vincendas tentationes quæ occurrunt in mortis periculo: Secundò, gratiam externæ protectionis in eo positam quòd contingat victoriam illam excipi morte ipsâ, Deo res omnes ita disponente. Alterutro enim deficiente non esset donum perseuerantiæ. Cùm ergo primum possit deficere per propriam voluntatem, quòd ille consensus voluntatis liber sit, possitque inspiratio abjici ex Tridentino; sequitur vt absolutè loquendo fatendum sit plerumque saltem amitti posset donum perseuerantiæ per propriam voluntatem: Ergo cum asseritur ab Augustino non posse amitti; non debet in vniuersum ita sumi, vt sit sensus absolutus: Est igitur verum ex aliqua tantùm suppositione pendente aliquo modo à libero arbitrio: quæ cùm Deo non possit esse ignota, ne ignorare putetur qualitatem doni sui, sed nec cognita nisi per Scientiam Mediam; sequitur Scientiam Mediam Augustini doctrinam contra Semipelagianos confirmare, Semipelagianorum contra Augustinum destruere.

Donũ perseuerantiæ in quo sit positum, & quomodo sit inamissibile.

LXXIX. Vnde vlteriùs intelligitur quomodo nihil obsit illud Augustini quo dicit, *non nisi ab eo donari perseuerantiam, qui nos prædestinauit in suum regnum & gloriam.* Quia quamuis liberum arbitrium concurrat ad infallibilitatem effectus illius inspirationis quam dixi, quia tamen hoc nihil prodesset, nec esset donum perseuerantiæ, nisi mors illam victoriam æternam redderet; ideo soli Deo tribuendum est hoc donum, qui solus etiam habet in manibus suis tempora nostra: item, quia liberum arbitrium ad hoc tantùm concurrit, vt illa victoria sit hypotheticè futura; solus autem Deus est, qui vt loquuntur, *conditionem purificat*, facitque vt quod erat futurum hypotheticè tantùm, sit futurum etiam absolutè: denique quia solus

ipse Auctor est gratuitæ illius prædestinationis, quam etsi plerique Catholicorum negant; neque necessariò admittenda sit ad vitandum Semipelagianismum, probabilius tamen est esse Augustinianam & veram. Illa igitur causa est atque origo coniunctionis illius atque concursus mortis cum bono statu morientis, in quo præcisè positum est perseuerantiæ bonum: quod ideò referendum vltimo est ad illam electionem solam, quæ media ista quibus perseueratur sic adhibuit, vt alia fuerit adhibitura si hæc fefellissent.

Ex Ep Pro. ad Aug. LXXX. Atque ita tandem soluitur illud aliud, in quo P. Ioannes à S. Thom. censet Scientiam Mediam esse Semipelagianis propitiam, Quòd nimirum illi dicerent, Deum prædestinasse in regnum suum, quos præsciret *sub ipso gratiæ adiutorio* bono fine vitam clausuros. Nam quòd dicerent, *sub ipso gratiæ adiutorio*, palam facit abusos illos meritorum præscientia etiam illorum, quæ à Dei adiutorio penderent: talia verò sunt merita quæ dicuntur à nobis conditionatè præscita: Ergo ex hoc capite nihil differre videmur à Semipelagianis. Sed hic primùm appellanda est Aduersarij fides, qui quod Prosper Catholicis scriptoribus attribuit, dictum putat de Semipelagianis, perspicua sunt Prosperi verba.

P. Ioan. à S Th. Anti-quos Patres confundit cum Semipelagianis.

„ Illud etiam qualiter diluatur quæsumus insipientiam
„ nostram ferendo demonstres; quod retractatis priorum
„ de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur &
„ vna sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei
„ secundum præscientiam receperunt: vt ob hoc Deus
„ alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem
„ vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio
„ in quâ futurus esset voluntate & actione præscierit, Hoc

Ar. 3. p. 651. inquit P. Ioan. à S. Thoma Prosper *dicit de Semipelagianis*. Verùm & Prosper & Hilarius dum de Semipelagianis loquuntur, tanquam de præsentibus loquuntur: neque *retractant priorum temporum* opiniones, qui putant se nouas & Augustino ferè incognitas annuntiare. Sed quia Semipelagiani Augustini doctrinam ex eo capite traducebant, quod esset noua & ab antiquis Patribus aliena

vt conſtat ex iis quæ antea narrata ſunt à Proſpero, cum dicit oppoſuiſſe Maſſilienſes, *nullum vnquam Eccleſiaſticorum ita intellexiſſe* Apoſtoli verba ad Romanos *de manifeſtatione diuinæ gratiæ Electorum merita præuenientis*, ſicut Auguſtinus intellexerat; idem Proſper ſub finem Epiſtolæ, dum ea colligit quæ ab Auguſtino explicari cupit, hoc etiam diluendum proponit, quod ex communi, vt videbatur, Antiquorum Patrum ſententia de prædeſtinatione ex præſcientia boni exitus finalis, eius ſententiæ poterat aduerſari, quæ tali præſcientiæ præmittebat prædeſtinationem. Et hoc, inquit Aduerſarius, *dicit de Semipelagianis*, Ambroſium, Hieronymum Chryſoſtomum atque alios SS. Patres eodem inuoluens quo Semipelagianos pallio.

Sed eſto, Semipelagiani fuerint qui ſic ſentiebant. Quid inde contra ſcientiam mediam, & non potiùs contra præſcientiam abſolutam? Abſoluta enim erat illa præſcientia boni exitus finalis quam præmittebant propoſito diuino vt ſæpè monſtratum eſt: vnde ſi qua illis ſternere viam ſit dicenda, dicatur potiùs abſoluta quàm conditionata. Interea verò notandum obiter diſcrimen Antiquorum Patrum à Semipelagianis, quos iam oſtendi negauiſſe gratiam ad perſeuerandum neceſſariam; cùm Antiqui Patres bonam mortem quâ donum perſeuerantiæ completur, non niſi *ſub ipſo gratiæ adiutorio* contingere dicerent.

LXXXI. Secundum inconueniens eſt, Quòd per ſcien- „ tiam mediam ſternitur via ad affirmandum quòd præ- „ deſtinatio fiat ſecundùm præſcientiam boni vſus liberi „ arbitrij, & ex meritis humanæ voluntatis præuiſis, *Qua* „ *in re putat* valde intricari Molinam: nec ſe expedire poſſe: „ interdum etiam ceſpitare immemorem ſui. „ *Loco cit. pag 654 655.* *Secundum inconueniens ex ſcientia media reiicitur.*

Ego Molinæ cauſam hic non tracto, nec reduco communem doctrinam ad peculiares eius ſenſus, ſi quos habet: quanquam hoc loco minimè dubitem eius ingenij atque eruditionis hominem, ex his caſſibus auolaturum facilè, nec ceſpitaturum in plano. Fieri prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam boni vſus liberi arbitrij diuinâ gratiâ præuenti, & ex meritis quæ humana volun- *Doctrina de prædeſtinatione poſt præuiſa, innocens eſt; eſto, contraria ſit præferenda.*

tas eidem gratiæ cooperando comparauerit, præuisis, in primis nego apud plerosque Catholicos Doctores & Antiquos & Nouos esse tale *inconueniens*, quo nullum sit maius in contrariâ doctrinâ Thomistarum: & habeo vadem eiusce opinionis Thomistam primæ magnitudinis Dominicum Sotum, qui *nihil à vero deuiare* dicit Auctores prædestinationis post præuisa, *in hoc videlicet sensu, quòd statuit Deus propter opera quæ ex gratia Dei proueniunt elargiri gloriam.* Hoc inquam sensu *præscientiam bonorum operum quæ in æternitate Dei præsentia sunt, causam esse Deo prædestinationis.* rectè dici posse disertè profitetur. Quod si præscientia meritorum prædestinationi præuia intelligatur illa, quæ merita repræsentat à gratia independentia; Semipelagianorum quidem hic error fuit, sed quem scientia media minùs foueat quàm absoluta, vt sæpe dictum est, & sæpius dicendum recurrit, quod Aduersarius non cesset rem nunquam probatam inculcare, nempe scientiam mediam esse illam quam Prosper proponit Augustino vt causam prædestinationis ex sententiâ Semipelagianorum; vel eo ipso loco, in quo non Semipelagianorum, sed Antiquiorum Patrum sententia refertur, vt ei Molina visus sit *cespitasse*, vbi possit ipse lapsus videri.

In cap. 8. Epist. ad Rom.

LXXXII. Verum suspecta esse debeat illa doctrina, siue gratiam meritis præmittat, siue non; quare ad eam via sternitur per Scientiam Mediam & non potius per absolutam? Neque enim indiget Scientiâ Mediâ vt salutis aut perditionis libertatem cum diuina prædestinatione componat: indiget verò potissimum absoluta, quæ merita prædestinationi præmittat vt absolutè futura. Itaque vt paucis contraham solutionem argumentationis prolixæ confusæque; dico prædestinationem posteriorem absolutâ præscientiâ meritorum à diuina gratia independentium, erroneam esse, reddereque suspectam omnem doctrinam quæ videatur habere necessariam cum eâ connexionem. Sed addo Aduersarium nec adhuc probauisse: nec deinceps probaturum, Scientiam Mediam habere necessariam vllam cum eâ sententiâ connexionem: immeritò ergo ex eo capite in suspicionem vocari.

Scientia media nullam habet necessariã connexionem cum prædestinatione post præuisa.

Deinde dico prædestinationem posteriorem absolutâ præscientiâ meritorum à diuinâ gratiâ necessariò dependentium, inculpabilem esse; vel ipsis etiam Thomistis Auctoribus: Et addo tamen neminem esse qui necessariam eius tuendæ occasionem ex scientiâ mediâ sumere possit. Tertiò dico prædestinationem priorem absolutâ præscientiâ meritorum à diuinâ gratiâ necessario dependentium, esse probabiliorem; quod videatur scripturis, Augustino & probatioribus Scholasticis conformior. Et addo ad eam amplectendam scientiam mediam minimè cogere: magnopere autem iuuare, quòd longè melius distinctiusque saluet quæ contraria inuicem esse videntur priuilegia, tum gratiæ, tum libertatis creatæ, quæ in oppositâ sententia hoc est in ea quæ & scientiam mediam reijcit & prædestinationem præuisioni meritorum præmittit, sunt inexplicabilia, & postulant cæcam fidem, sicut mysteria Trinitatis & Incarnationis vt ex Aduersariis antea referebamus. Vnde non diffiteor quin & sibi & vniuersæ Theologiæ consuluerint; & de re Catholica optimè meriti sint, qui prædestinationem conditionatâ meritorum præscientiâ hoc est Scientiâ Mediâ posteriorem, absolutâ verò priorem proposuerunt. Sup. disp. 2. n. 15. & seq.

LXXXIII. Contra quam philosophandi rationem P. Ioan. à S. Thomâ inconueniens quod aduersus Molinam diu prosequutus est paucis colligit, Quod tota ratio „ prædestinationis vt sit prædestinatio, *id est*, specialis pro- „ uidentia, ex nobis sumatur, & ex nostro bono vsu præui- „ so vt ex causâ & ratione; vnde etiam sequitur quod saltem „ de se non repugnet quod accipiatur vt meritum præui- „ sum, si quidem accipitur vt ratio ipsius prædestinatio- „ nis, ad hoc vt specialis prouidentia sit. „ Supponit hic Auctor ex D. Thomâ prædestinationem esse specialem prouidentiam: quæ in eo differt à communi, quòd ex communi sequatur certò & infallibiliter ordo in finem, non autem euentus ipse seu finis consequutio, quæ aliis causis intercurrentibus nonnunquam impeditur: & ita pertinet ad communem prouidentiam omnium hominum ordinatio ad beatitudinem consequendam, quam tamen multi

Ar. 4. p. 659.

Discrimen inter prædestinationẽ & communẽ prouidentiã saluatur

Quæst. 6 de Ver. ar. 1. in corp.

non consequuntur, vel suo vel aliorum vitio. At verò ex prædestinatione quæ specialis est prouidentia, non tantùm sequitur certò & infallibiliter ordinatio hominum in finem; sed euentus quoque, seu finis ipse, hoc est beatitudo certò & infallibiliter sequitur. Dicit ergo iam ex nostra philosophandi ratione sequi, connexionem illam infallibilem prædestinationis quâ propriè fit prædestinatio, & communem prouidentiam contrahit; ex nostro bono vsu præuiso vt ex causa & ratione petendam esse, contra quam sentiat S. Thomas, qui nefas putat dicere.

Eadem qu. art. 5.

» Prædestinationem supra certitudinem prouidentiæ nihil » addere nisi certitudinem præscientiæ, vt si dicatur, quia » Deus ordinat prædestinatum ad salutem sicut & quemli- » bet alium, sed de hoc prædestinato scit quod non deficiet » à salute. Sic enim dicendo non diceretur differre præde- » stinatus à non prædestinato ex parte ordinis; sed tantùm » ex parte præscientiæ euentus: & sic præscientia esset cau- » sa prædestinationis: nec prædestinatio esset per electio- » nem prædestinantis. Vnde concludit, *admittendum esse præter certitudinem præscientiæ, prædestinationis ordinem cum infallibili certitudine.*

LXXXIV. Sed quid eorum amabo non saluatur in hac quam tuemur sententia? Præter voluntatem illam quæ pertinet ad communem prouidentiam quâ Deus vult omnes homines saluos fieri, inter Scientiam Mediam & absolutam præscientiam boni exitus finalis, numquid poni potest efficax & absoluta voluntas certò atque infallibiliter connexa cum salute prædestinatorum? Numquid negatur talis quædam voluntas pertinere ad reprobos? ac proinde numquid per eam *differt prædestinatus à non prædestinato*? Numquid consequenter discretiua illa est vnius ab alio, *itaque fit per electionem?* Potest ne igitur de eo qui sic prædestinatur dici, *quod Deus illum ordinet ad salutem sicut quemlibet alium*? Numquid eadem voluntas causa est cur eligantur & applicentur media infallibilia salutis intentæ? ac proinde numquid hæc prædestinatio ad communem prouidentiam & certitudinem Scientiæ Mediæ quam supponit, addit *habitudinem causæ* quam requirit S. Thomas?

S. Thomas? Quo ſenſu autem dicetur *præſcientia huius prædeſtinationis cauſa*? Si enim abſolutam intelligunt, vt ſine dubio intelligit S. Thomas; abſoluta præſcientia prædeſtinatione iſtâ poſterior eſt. Si conditionatam; iam conſtat per illam nihil exhiberi diuino conſpectui ex parte hominum quod ad prædeſtinandum impellat ad modum cauſæ efficientis moralis, quam ſolùm excludit S. Thomas. Nam quòd repræſentetur aliquid quod alliciat per modum finis, quatenus ſcilicet cum bonitate finis intelligitur & inuitat ad prædeſtinandum ipſa mediorum oportunitas, auctor nobis eſt S. Thomas ne hac præſcientiâ timeamus, ne diminuatur gratuitæ prædeſtinationis, beneficium, vti antea viſum eſt. Neque fieri aliter poteſt.

Motiuum per modum finis ex parte hominum non repugnat prædeſtinationi.

LXXXV. Quomodo enim vis vt bonum aliquod intendat Deus, quin moueatur & illius amabilitate, & idoneitate cauſarum ex quibus oriundum eſt? Cum ergo & gloriam velit vt coronam huic prædeſtinato infallibiliter dare: & dare non poſſit niſi per merita; quis impedire poteſt, ne placeant illi, non ſolùm gloria ipſa quam vult dare, ſed & gratiæ quas intelligit eſſe infallibiliter connexas cum meritis: & merita ipſa, vt infallibiliter futura ex hypotheſi gratiarum: & quin tota illa cognitio requiratur ad reddendum hunc prædeſtinationis modum poſſibilem? Sed quis etiam non videt; hæc diſtare plurimum & eſſe acuratè diſtinguenda, quod futuritio meritorum ſic placeat vt reddat amabilem gloriam: & quòd gloria ſic placeat vt reddat amabilem meritorum futuritionem? Nos enim hoc ſecundum aſſerimus, & hoc eſſe dicimus quod ſignificauit S. Thomas cùm dicit *bonum vſum gratiæ præſcitum, eſſe rationem collationis gratiæ ſecundum rationem cauſæ finalis*. Negamus verò primum: & hoc eſſe dicimus *vſum gratiæ præſcitum, eſſe rationem prædeſtinationis ſecundùm rationem efficientis*. In eo enim conſiſtit hæc moralis efficientia meriti, quòd dum poſtulat id poni quod quis meretur, reddat illud conſequenter amabile remuneratori: & ita ſi merita conditionatè futura per modum efficientis concurrerent, gloriam quam merentur amabilem Deo efficerent, cùm è contrario non aliter amentur ipſa,

quàm propter gloriam prius amatam.

LXXXVI. Quod igitur dicit Aduersarius in hac sententiâ quam defendimus *totam rationem prædestinationis vt sit prædestinatio ex nobis sumi, & ex nostro bono vsu præuiso vt ex causà & ratione*, præcisè negandum est. Nihil enim aliud sequitur, quàm ex nobis & ex nostro bono vsu conditionatè futuro aliquid sumi, quod sit necessarium ad possibilitatem huius modi prædestinationis. Supposita verò possibilitate illa liberrimam esse dicimus summéque indifferentem Dei voluntatem vt prædestinet, vel non prædestinet: & vt prædestinet istum non verò illum, cuius tamen prædestinatio peræquè possibilis est. Quo in æquilibrio negamus vllo hominum merito praeponderare alteram partem, aliamve rationem esse quæ Deum inclinet, quàm quæ altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ eius, & iudiciis incomprehensibilibus tegitur. Vt enim ipsa beatitudinis hominum perfectio ac bonitas, non ita Deo appetibilis est, vt eius libertatem determinet; ita neque futurorum conditionatè meritorum, hoc est idoneorum mediorum vtilitas, quæ nullam habet nisi ex finis amabilitate appetibilitatem, determinabit.

Molina sine cáusa iactatur. Disp. 1. ad quæst. 23. 1. p. memb. 11 Concl. 7. Vide etiam § Illud magnopere, cũ Concl. 9.

LXXXVII. Neque aliud voluit Molina iis locis quæ impugnantur ab Aduersario cùm *negat dari rationem prædestinationis ex parte nostrà, etiamsi detur ratio præscientiæ*. Nempe quia hoc quod est futurum esse conditionatè meritum; est ratio cur sciatur esse futurum: & consequenter est etiam aliqua ratio, cur sit possibilis hic prædestinationis modus, qui sine tali præscientiâ esse omnino non potest. At quod est aliqua ratio cur sit possibilis in Deo aliquis actus liber, non potest dici esse etiam ratio & causa cur ille actus sit. Cùm suppositâ illâ possibilitate, sit adhuc integra plenaque libertas ad oppositum. Potest tamen quæ dicitur esse ratio cur sit præscientia, dici etiam ratio seu conditio sine qua non esset hic prædestinationis modus, cùm ipsum esse, possibilitatem supponat. Et eatenus approbamus quod dixit Molina, „ Quod

§. Nos verò.

„ decretum illud prouidentiaque illa rationem prædesti„ nationis fuerint sortita, ex eo fuisse dependens, tan-

quam à conditione sine qua non, ex quo scilicet pendet præscientia, quod est, bonum vsum gratiæ, & proinde meritum esse ex hypothesi futurum. Quibus verbis, sicuti continerent manifestam erroris confessionem recitatis, exclamat P. Ioan. à S. Thoma, *Quid ergo adhuc egemus testibus? Ecce ratio seu conditio prædestinationis, est bonus vsus liberi arbitrij*, & tantùm non respondent Iudæi *Reus est mortis*. Sed quid si sit commune crimen, eademque Molinam & Thomistas hoc loco premat accusatio? Libertatem hominum esse aliquam rationem sine qua esse non possit, ac proinde sine qua non sit ille prædestinationis modus quem supponimus; quomodo negauerint vel ipsi Thomistæ? Quomodo item negauerint conditionem illam esse merita hominum conditionatè futura? Potest ne Deus intendere alicuius coronam nisi sciens possibilia esse merita quibus illa debeatur? Potest ne etiam nisi sciat esse ex hypothesi suæ prædefinitionis futura? Est igitur præscientia illa & possibilium & futurorum ex hypothesi prædefinitionis meritorum, conditio sine qua non potest esse in Deo prædestinatio illa. Et consequenter hoc quod est esse futura ex hypothesi prædefinitionis merita, erit aliquid quo sublato implicet esse quam diximus prædestinationem. Rursus prædefinitio in sententia Thomistarum non est tota causa meriti; sed habet aliam causam sibi subordinatam, liberam scilicet creaturæ voluntatem: Ergo quod dicitur futurum ex hypothesi meritum, non est futurum ex hypothesi tantùm prædefinitionis: sed & liberæ voluntatis: Ergo libera voluntas aliquid confert ad hoc quod est esse futurum hoc meritum: Ergo & ad illud omne quod non esset, nisi meritum ita esset futurum: cuiusmodi est prædestinationis ille modus quem diximus.

LXXXVIII. Porro vt constet qui fuerit Molinæ sensus, libet ea referre quæ ille dicit loco citato. Illud „ magnopere est aduertendum, longè diuersum esse, quæ- „ rere, an præexistente in Deo..... plenissimâ illâ præ- „ scientiâ qualitatis vsus liberi arbitrij in quocumque re- „ rum ordine futuri, de qua hactenus loquuti sumus, præ- „ Molinæ sensus §. Illud magnopere.

„ destinatio Dei æterna ex parte voluntatis in hoc sensu „ fuerit secundum præscientiam vsus liberi arbitrij futuri, „ quasi pro qualitate aut propter qualitatem vsus præuisi constituerit Deus vel distribuere vno aut altero modo „ sua auxilia ac dona, vel prædestinare hos potiùs quàm „ illos; Ac quærere, an illius præscientiæ..... detur aliqua ratio seu potiùs conditio ex parte qualitatis vsus „ futuri, sine quâ non præextitisset in Deo; quasi licet prædestinatio non fuerit facta propter præscientiam qualitatis vsus præuisi, fuerit tamen facta non sine tali præscientia, & quasi habita fuerit ratio qualitatis vsus arbitrij futuri: non quidem vt vllo pacto esset mensura aut „ quasi mensura donorum Dei, etiam tanquam conditio „ quâ præuisâ fuissent conferenda, & quâ non præuisâ „ fuissent deneganda; sed tanquam eius vt à quo quemadmodum in tempore pendebat quod adultus cum his vel „ illis auxilijs ac donis in particulari perueniret aut non „ perueniret in vitam æternam; ita etiam pendebat vt voluntas illi opitulandi ac prouidendi per hæc ipsa auxilia ac dona rationem haberet vel prædestinationis vel „ solius prouidentiæ ad beatitudinem. *Et in priore sensu mox subdit.* PRÆDESTINATIONEM NON ESSE SECVNDVM PRÆSCIENTIAM QVALITATIS VSVS LIBERI ARBITRII: *In posteriore verò ita concludit.* In secundo sensu „ explicato prædestinatio adultorum fuit secundum præscientiam boni vsus liberi arbitrij, habuitque Deus modo „ explicato rationem illius in eis prædestinandis.

Error Cassiani.

Quod dicit Aduersarius Cassianum quoque non aliter censuisse diuinam gratiam & prædestinationem pendere à bono vsu liberi arbitrij, quàm vti à conditione quadam seu occasione; facile est videre quam ille occasionem seu conditionem intelligeret, nempe à diuinâ gratiâ independentem & ad eam positiuè conducentem, atque absolutè præexistentem. Notæ sunt enim illius propositiones hæ, Per aliquod rectè factum ac bonam voluntatem, posse nos ex nobis vtcumque ad gratiam præparari: ita vt Spiritus Sancti motionem voluntas interdum nostra præueniat. Aliquod vel initium pœniten-

tiæ, vel propositum mutandæ vitæ, vel consilium reuertendi ad Deum, ex nobis esse. Nonnullum fidei motum ex nobis incipere. Nostris orationibus nonnunquam Dei gratiam præueniri, Et id genus aliâ quorum antidotum extat in Obseruationibus ad Cassianum. „ „ „

LXXXIX. Tertiùm inconueniens quod vrget P. Ioan. à S. Thoma in eo consistit, quòd sequatur ex doctrina nostra de Scientia Media Deum non præuidere quid faciendum sit à nobis in prædestinatione sua: non solùm quoad futura conditionata; sed neque quoad absoluta. Sufficere enim solum decretum purificandi conditionem sub quâ præscitum erat aliquid futurum. Esse autem hoc absurdum multis probat. Tertium inconueniens ex Scientia Media reijcitur.

℟. 1. Nullum omnino futurum absolutum à Deo videri posse sine præuio quodam ipsius decreto, eoque liberrimo Requiritur enim illud vt *purificetur conditio* vt Aduersarij loquuntur. An & quomodo videat Deus futurâ prædestinatorum gloriam in decreto suo.

2. ℟. Huiusmodi decretum solum sufficere vt videatur absolutè futurum, quidquid præsciebatur per scientiam mediam esse futurum ex hypothesi: quod implicet contradictionem, si erat futurum ex hypothesi, eo ipso solo quod hypothesis absolutè ponitur, non esse ipsum quoque absolutè futurum.

3. ℟. Reipsa tamen non esse tantùm in Deo decretum purificandi conditionem seu ponendi absolutè hypothesim ex quâ sequutura erant bona prædestinatorum merita; sed esse decretum efficax quod certò atque infallibiliter tendat in præmium illorum, ex quo sequatur deinde decretum ponendi hypothesim præscitam infallibilem, respectu finis eiusmodi: seu quod æquiualet, esse in Deo decretum quod fertur in illam conditionem purificandam, non quocumque modo, sed quatenus illa infallibilem habet cum gloria connexionem; atque ita videre Deum aliter gloriam saluandorum, & pœnas reproborum. Videt enim roproborum pœnas in decreto seu per decretum purificandi hypothesim materialiter sumptam & specificatiuè: quòd illam Deus non elegerit vel ex intentione damnandi vel vt infallibiliter cum damnatione

connexam, quæ illi antecedenter atque absolutè semper displicuit. Saluandorum verò gloriam atque etiam merita videt in decreto, seu per decretum hypothesis purificandæ formaliter & reduplicatiuè: quatenus illa certò & infallibiter connectitur cum euentu quem Deus intendit. Atque hoc satis superque est ad mentem Augustini aliorumque, qui rationem absolutæ præscientiæ petendam supponunt ex prædestinatione.

X C. His inconuenientibus separatim propositis alia conglobat P. Ioannes à S. Thoma, & ostendit 1. diminui Dei omnipotentiam. 2. Summam eius libertatem 3. Summam prouidentiam independentem ab omni alio extra se, quippe cùm extrahantur ab eius iurisdictione determinationes liberæ pro statu conditionato. 4. Supremum eius dominium circa creaturas sub quocumque statu considerentur. Omnia verò hæc probat vno argumento. Posito enim, quod Deus per hanc Scientiam videat Petrum in atrio Caiphæ timore corripiendum & Christum negaturum, si eum ancilla interroget: Ceilitas Dauidem tradituros si apud eos maneat aduentante Saüle; diuina voluntas vel potest stante illa conditione cum omnibus illis circumstantijs velle quòd Petrus non timeat, & Ceilitæ non tradant; vel non potest id velle: si potest velle; ergo scientia illa non erat infallibilis: quippe quam constat ista Dei voluntate falsificari: si non potest; Ergo ruit diuina potentia, libertas, dominium, prouidentia.

Alia inconuenientia.

Iam ante indicata est huius argumenti solutio, & iterum Respondeo. Dum quæritur an stante illâ conditione cum omnibus circumstantijs, possit Deus adhuc velle vt Petrus non timeat, & Ceilitæ nolint tradere Dauidem, idem esse ac quærere, num ex suppositione quod Deus aliquid nolit, possit tamen adhuc illud velle. Vna enim ex circumstantijs est, vt Deus oppositum efficaciter non velit: item vt velit voluntatem Petri & Ceilitarum esse in manu consilij sui, & quamuis vnum Deo magis placeat quàm aliud, vt sit tamen ipsa causa cur vnum præ alio ponatur. Quæritur ergo vtrum ex hypothesi quòd Deus ita velit, possit aliter velle: & facilis est responsio non posse: &

Voluntas efficax vt odium sequatur v.g. destruit hypothesim ex qua præscitur amor secuturus.

addo eos qui putant hoc non posse negari sine iniuria diuinæ potentiæ, prouidentiæ, libertatis & dominij, alligare Chimæris diuinas perfectiones.

XCI. Instabis primò, Quod est possibile voluntati creatæ, est possibile Deo: sed in illo signo rationis in quo est Scientia Media de futuro Petri timore, ante omne decretum seu placitum diuinæ voluntatis, possibile est voluntati creatæ Petri timere vel non timere: Ergo est hoc ipsum Deo possibile, manetque possibile quamdiu est possibile creaturæ: Ergo non potest fieri impossibile ex sola suppositione creata, sine aliqua suppositione diuinæ voluntatis, nisi fiat iniuria diuinis attributis illis quæ diximus.

℞. Argumentum hoc non probare negatum. Quod enim negamus, est, esse Deo possibile ex hypothesi quod aliquid vno modo velit, nolle illud eodem modo; ex hypothesi scilicet quod nolit antecedenter & efficaciter vt Petrus non timeat, & vt Ceilitæ non tradant Dauidem, sed malit vtrumque pendere potius ex optione voluntatis eorum; negamus inquam esse hoc possibile Deo, vt & non timere illum, & istos non tradere antecedenter & efficaciter velit. Iam verò propositum argumentum probat esse vtrumque, timorem scilicet & non timorem Petri, traditionem & non traditionem Ceilitarum, Deo possibile ex illa hypothesi & manere possibile quamdiu manet possibile voluntati creatæ: ac proinde sicut non fit simpliciter & absolutè impossibile voluntati creatæ per ipsius determinationem ad vnum, ita nec fieri Deo impossibile: quorum nihil negamus.

Instabis 2. Stante hypothesi quâ possibile est Deo aliquid facere, possibile etiam est illud velle: Sed stante hypothesi de qua loquimur, possibile est Deo facere vt Petrus non timeat, & Ceilitæ non tradant Dauidem, ex concessis: Ergo est etiam possibile stante illa hypothesi Deum vtrumque velle. ℞. Distinguo maiorem, est possibile Deo illud velle eâ voluntate quâ destruatur hypothesis quæ stare supponitur; nego maiorem: eâ quâ non destruatur, concedo maiorem. Et concessa minori distin-

guo similiter consequentiam : est possibile Deo vtrumque velle eâ voluntate quâ destruatur hypothesis quæ stare supponitur, tum ex parte Petri tum ex parte Ceilitarum ; nego consequentiam : eâ quâ non destruatur; concedo. Possibile est Petrum non timere stante hypothesi ex quâ fore dicitur vt liberè timeat : potestque Deus eatenus efficere, vt liberè non timeat, quatenus in manu habet hypothesim illam ex qua hoc dicitur sequi posse. Ea verò hypothesis constat voluntate Dei non magis determinata antecedenter & efficaciter ad non timorem quàm ad timorem : Ergo si adiungeret voluntatem determinatam ad non timorem, eamque antecedentem & efficacem, destrueret hypothesim quam tamen stare volumus. Idem dic de hypothesi Ceilitarum.

Instabis 3. Postquam Deus facere potest stante illâ hypothesi vt Petrus non timeat; hoc faciat. ℞. Faciat: hoc enim non est aliud quàm Petrum stante illa hypothesi nunquam fuisse timore corripiendum, & Deum nunquam hoc sciuisse per Scientiam Mediam, sed potiùs sciuisse contrarium. Quòd si velint stante illa hypothesi, & supposita libera sequela timoris Petri ex illa, & consequenter Scientiæ Mediæ eiusdem timoris ; facere Deum vt Petrus non timeat: dico illud implicare. Quia fieret compositio non timoris cum timore, & scientiæ vnius oppositorum cum scientia alterius pro eodem tempore, quod repugnat. Hîc verò statim exserit sese conatus vltimus, &

Instant 4. Quod aliquid de se possibile, fiat impossibile ex eâ suppositione quæ pendeat tantum à causâ creatâ, & non à Deo, ipsi derogat. Videtur enim eâ ratione creata virtus ligare Deo manus, limitesque præfigere ipsius potentiæ: Sed Petrum non timere stante hypothesi datâ, ex se possibile est, etiam respectu Dei ; hoc autem ipsum impossibile fit, ex suppositione quod timor sit conditionatè futurus : & hoc quod est timorem esse conditionatè futurum, est suppositio quæ pendet tantum à causâ creatâ, scilicet à voluntate Petri, non pendet autem à Deo, quia nullum supponitur in Deo decretum,

quo

quo illud fiat conditionatè futurum: Ergo hoc derogat Deo. ℞. ad illam partem minoris, *& hoc quod est timorem esse conditionatè futurum, est suppositio quæ pendet tantùm à voluntate creata Petri, non autem Deo*; Nego. Quâ enim ratione pendet à voluntate Petri, conditionatè scilicet, eâdem pendet à voluntate Dei. Iam sæpè dictum est, de illo timore, non alio sensu dici, quod sit, quàm quia esset: & quod pendeat, quàm quia penderet: & quod determinetur à voluntate creatâ quàm quia determinaretur, si poneretur conditio expressa in antecedente propositionis hypotheticæ: Atqui nec esset, nec penderet, nec determinaretur aliter quam concurrente Deo vt causâ primâ: Ergo falsum est suppositionem illam pendere tantùm à voluntate Petri & non etiam à Deo. Nam quòd non sit aliquod Dei decretum præsens à quo pendeat, nihil facit: quia neque etiam est aliqua virtus vel aliquod dominium præsens in voluntate Petri à quo determinetur. Supponimus enim hoc esse verum ab æterno; cùm Petri voluntas producatur in tempore. Vnde sicuti nullo ex parte Petri existente principio determinationis illius, asserimus tamen fore vt timeret Petrus in tali rerum occursu pro eâ libertate quam tunc haberet: ita nullo existente actuali decreto Dei, asserere possumus fore vt ab illo penderet ille timor, tanquam à causâ primâ ratione decreti quod tunc esset, & sine cuius suppositione non præscitur futurus.

XCII. Aliam difficultatem hac occasione Aduersarius mouet, quæ petit quomodo se habeat voluntas Dei circa hoc quod est aliquid esse conditionatè futurum à voluntate creata; placeat ne hoc, an displiceat: & libera-ne sit illa seu complacentia, seu displicentia? Sed in primis ex dictis constat, diuinam voluntatem nullo actu antecedenter & efficaciter ferri in talia obiecta, sub eo statu spectata, consequenter autem ad eam scientiam quam de illis habet, non dubito quin & placeat & displiceat id quod futurum supponitur, prout natura boni & mali fert. Est enim longè probabilius placere illa & displicere prout sunt merè possibilia: neque minus idonea videntur **Quomodo afficiatur Deus circa futura conditionata.**

vt futura sunt hypotheticè huiusmodi actibus terminandis. Et quia hi actus sequuntur Scientiam Mediam, consequens est, vt quod de illa scientia dicitur, non ideo esse futurum obiectum quia scitur, sed ideò sciri quia futurum est; dicatur idipsum de his actibus, non ideo esse futurum obiectum quia placet, sed ideo placere quia futurum est. Quod patet, quia fieri potest vt displiceat quòd sit ita futurum, si v. g. peccatum sit: quo casu neque possumus dicere, ideo non esse futurum quia displicet, futurum enim est quamuis displiceat: neque ideo esse futurum quia placet: placere enim falsum est, nec quia displicet, quod displicentia sit aptior impediendæ futuritioni, quàm causandæ. Sunt igitur isti actus omnino inefficaces respectu futuritionis illius conditionatæ. Sed neque sunt aliter liberi quam quo modo libera est ipsa Scientia Media quam sequuntur, quod ab ea excitentur necessariò, neque aliud supersit cuius terminatione impediri possit eorum contingentia & libertas, quam ipsum Scientiæ Mediæ obiectum in quod feruntur. Cuius contingentia sicut fit possibile absolutè nunquam esse scitum id quod scitum est; ita & nunquam placuisse; quamuis sit necessarium ex hypothesi & esse scitum & placere.

Atque hinc patet meliùs in hac sententia diuinis attributis consuli, quatenus ille nobis exhibetur Deus, cuius *Potentia* causis etiam liberis præsit, dum concursum præbet & necessarium & earum indifferentiæ consentaneum: cuius *Libertas* ita supponatur ad omnem earum motum, vt de nullo dici possit quòd vel sit vel esset nisi ex suppositione diuini decreti quod vel sit vel esset: adeò vt eo nolente permittere vel impellere, prout bona vel mala supponitur esse futura determinatio creatæ voluntatis; nulla omnino futura sit: neque de illa minus possit Deus disponere, quàm potest disponere de sua: Cuius *Prouidentia* eo intelligatur esse perfectior, quòd non nesciat thesaurum diuinæ omnipotentiæ, quo continentur infinities infinitæ rerum complexiones, à quibus omnes actus liberi possibiles originem ducunt: atque adeò non nesciat media omnia iis permittendis aut procurandis infal-

libiliter apta : Cuius *Dominium* tale sit, quale requirit scriptura quæ Deum objicit fidei nostræ *Dominum dominantium*, & non vt esse tantùm videtur in contraria sententia, *Dominum seruientium*:

CAPVT IV.

Concordia nostri liberi arbitrij cum prædestinatione Dei contra Hæreticos.

XCIII.  VNC titulum præfixit P. Ioannes à S. Thoma articulo septimo, quo & disputationem hanc vigesimam, quæ est de Scientia Media; & Theologici cursus tomum primum claudit, conquestus articulo penultimo Caluinum Thomistis *nimis stupidè* objici, eosque *incongruè ac falsò sugillari de Caluiniano decreto*. Conatur autem vtroque loco monstrare viciniorem esse Caluino doctrinam oppositam, multisque ostendit quanta sit ipsos inter & hæreticos discrepantia in hac diuinæ prædestinationis diuinarumque prædefinitionum cum libertate arbitrij concordia, iis etiam recitatis quæ P. Lemos de hoc argumento disseruit coram Summo Pontifice, dum hæc controuersia tractaretur Romæ.

Absit verò vt ego Caluinismum objiciam Religiosissimo inter Catholicos Ordini, vel ob Reuerentiam Apostolici decreti, quo seuerè cauetur ne alterutri parti vlla inuratur nota : vel quia objici Caluinus nemini potest, qui se illi adhærere neque putet neque velit: paratusque semper sit mutare sententiam, cùm primum huius conspirationis suspicio incesserit. Sed vt illi doctrinam de Scientia Media eo nomine improbant, quòd fauere videatur Semipelagianismo ; ita ipsi nobis licere putamus exquirere, quantum contraria distet à Caluinismo. Quod non facimus definiendo aliquid, aut pronuntian-

do; sed obiiciendo, petendoque: ac dum quæ hactenus data est solutio minimè satisfacit; iudicium interea expectatione melioris suspendendo. Id verò quàm *stupidè* à nobis fiat operæ pretium est iam experiri.

§. I.

Quid Caluinistæ sentiant de sua atque Aduersariorum sententiæ consensu.

Iudicium Petri Molinæi.

XCIV. CAluinistas tantum rigidos intelligo, qui stetere cum Caluino discedentibus Arminio cum suis in hac de diuina prædestinatione ac prædefinitionibus controuersia: vt dubium esse non possit, quin eadem reipsa sit ipsorum & Caluini sententia.

cap 37. n. 3.

Ergo Petrus Molinæus in Anatome Arminianismi vbi Arminium iuxta Pontificiosque tanquam Caluino repugnantes insectatur, dum explicat quinam illi sint Pontificij qui suæ, hoc est Caluini doctrinæ repugnant, eos esse dicit *qui Pelagianismum ita interpolarunt, sicuti Arminiani Papismum.* Papismum scilicet vocat Arminianonorum illam doctrinam qua prædefinitiones absolutas bonorum & malorum actuum exhorrescentes, Dei prouidentiam conati sunt ita cum hominum libertate conciliare, vt aut negauerint omnino prædefiniri liberos actus: aut non nisi ex directione Scientiæ Mediæ. Hoc igitur Molinæus *Papismum* ideo vocat, quia non putat oppositum diuersum esse à Caluinismo. Vnde postea (eosdem Arminianos intelligens) ait, *Nouatores ex Iesuitarum lacunis hausisse nescio quas voces resistibilitatis & irresistibilitatis, quibus ingenia implicant.* Antiquæ videlicet fidei Minister, Nouatores vocat Arminianos: quasi verò non sit satis magnum vetustatis argumentum, recedere à Caluino. Vtinam cætera illius Hæresiachæ ita nouassent Arminiani, sicuti hanc de consensu prouidentiæ cum libero arbitrio doctrinam, regnaret quaquauersum antiquitas. Sed quòd Iesuitarum lacunis acceptum id refert, quo Ar-

Num. 12.

miniani expuere visi sunt Caluinismum, & *Papismum interpolare*; quis non videt Papismum illi, hoc est *non Caluinismum*, conuerti cum doctrina Iesuitarum? Vt videatur idem illi fuisse cum TVissio iudicium; qui vt prima disputatione referebamus, Pennoti doctrinam eo nomine suspectam habuit, quòd *ingenium Antichristi*, vt pote concepta Romæ in eius vmbra, redoleret. Cap. 1.

XCV. Eandem cogitationem clariùs adhuc expressit Amesius, qui vt refert P. Petrus à S. Ioseph in Suaui Concordia, Bellarminum miratur Caluino & Zuinglio tribuere quod est, vt putat ipse, Thomistarum. Ita enim loquitur tom. 4. Bellarmini eneruati. *Nunquam ne hoc legit Bellarminus nisi in Zuinglio & Caluino? Aluarez inter alios disp. 22. num. 7. Deus, inquit, æterno suo decreto atque absoluta & efficaci voluntate, prædeterminat omnes actus nostros in particulari ante eorum præuisionem*, Et independenter ab omni Scientia Media *liberæ cooperationis futuræ ex hypothesi.* Disp. 2 c. 7. pag. 167. Iudicium Amesij. Lib. 2. cap. num. 4.

Et lib. 3. cap. 3. num. 7. cum ex Aluare disp. 83. concl. 3. sententiam hanc retulisset *Deus per auxilium efficax gratiæ, physicè siue ad modum causæ physicæ, prædeterminat arbitrium creatum vt liberè & infallibiliter consentiat & cooperetur Deo excitanti & vocanti*; subdit, *hæc sententia sic explicata* Est nostra.

Eadem repetit lib. 4. cap. 3. num. 1. vbi approbat quod dicit Aluares de modo quo verum est aut non est, liberum arbitrium posse dissentire à Deo ipsum mouente.

Quo loco aduertendum est Caluinistas non eo tantùm nomine hæreticos esse quod impugnent libertatem sub eâ sententiæ formâ quâ quis oretenus concludere potest, *ergo non datur libertas*: sed etiam sub eâ quâ negatur libertatis modus ille quo dicitur homo posse à Deo mouente dissentire: neque Tridentino satisfieri si totidem verbis concedatur *dari libertatem arbitrij*, nisi etiam præscriptus ab eo modus approbetur eiusdem libertatis, quo dicitur liberum arbitrium ita consentire Deo mouenti, vt dissentire possit. Nec enim est alia ratio cur Tridentinum non fuerit contentum nudâ illius

assertionis definitione quâ libertas arbitrij esse dicitur: aut nudâ illius condemnatione quâ esse negatur: sed insuper voluerit propriam quandam libertatis rationem exprimere quam negarent hæretici quos damnat, quamque acceptare deberent vt essent in hac quæstione orthodoxi. Quare si nolumus concedere Tridentinum vmbras persequutum, dum damnat id quod hæretici non affirmabant: atque hoc eius decretum nihil ad Caluinum & Caluinistas pertinere, fatendum nobis est, Caluinum & Caluinistas non existimasse eodem sensu quo Tridentinum, liberum arbitrium ita consentire Deo mouenti vt dissentire possit: esseque in eo hæreticos, non solum quòd negent conceptis verbis dari libertatem arbitrij; sed etiam quod illam libertatis rationem ac modum quem Tridentinum exprimit, non admittant.

Iam verò in hunc modum ratiocinari aliquis potest. Caluinus & Caluinistæ in prædicto libertatis modo dissentiunt à Tridentino: Amesius est Caluinista rigidus in hac controuersia, & adhæret Caluino: Ergo Amesius in prædicto libertatis modo dissentit à Tridentino. Minor tantùm egere videtur probatione, sed reuera non eget, scripsit enim Amesius post schisma Arminianorum qui à Caluino recesserunt in hac controuersiâ: & ita scripsit vt eos impugnet itâque reprobatam ab ipsis Caluini sententiam restituere conetur ac confirmare: neque alij Caluini deffensores vllam Amesij mollitiem aut notant aut suspicantur. Non est ergo vnde negemus esse illum reuera in hoc puncto Caluinistam.

Iterum verò ita ratiocinari licet. Modus ille libertatis quem admittit Amesius tanquam verissimum, pertinere videtur ad Caluinismum, & consequenter non esse ad mentem Tridentini, vt probatum iam est: Modus ille quem admittit, vt ipse quidem fatetur, est acceptus à Didaco Aluarez: Ergo ipsius iudicio, modus Dicaci Aluarez pertinere videtur ad Caluinismum: & consequenter non esse ad mentem Tridentini. Ipsius, inquam, iudicio: neque enim id ego assero, sed refero tantùm quid alij sentiant, vt necesse sit vsurpare hoc loco &

deinceps verba illa Ioannis à S. Thoma disp. 20. in 1. p. art. 4. pag. 659. vbi allatâ Louaniensium Censurâ contra doctrinam de prædestinatione post præuisa subdit *Nos verba referimus non censuramus : nec ad censurandum referimus : nec censuram acceptamus.*

Respondèri autem potest, hæreticos vt sunt ad fictiones compositi, dissimulare doctrinam suam & corrumpere alienam : præsertim verò quando aliquod exinde patrocinium speratur, & excusatio errorum : quare vel Amesium non esse Caluinistam in hoc puncto ; vel non esse, vt videtur Aluaristam, sed alterutrum fingere. Verùm de altero iam ostendi non esse vnde suspicemur discessisse illum à Caluino : de altero, cùm non possimus iudicare de internis, & istius iudicij natura sit, vt nemo iure condemnare possit nisi confitentem reum ; vt dicamus aliud credere Amesium, & aliud profiteri, aliunde probandum est : & Aduersarijs incumbit necessitas ostendendi quid aut dixerit ille aut scripserit, quod huic quam se fingit amplecti Aluaris sententiæ repugnet. Huic inquam vni sententiæ : de alijs enim quàm sit consentiens dissentiensque non inquiro. Sed *quod voluntas ita sequatur Deum mouentem vt sequi non possit*, eo sensu quo dicit Aluarez, quæro vbinam Amesius vnquam inficias ierit ? quod si nunquam ; ergo reipsa consentit Aluari.

Vnde superest vt hoc dicamus, quod non est admodum alienum ab hæreticorum ingenio, Amesium & loqui & credere contradictoria, si se tum Caluinum tum Aluarem hîc sequi & dicit & putat. Quòd cùm accidere non possit nisi ex prauâ alterutrius interpretatione, atque intelligentiâ, & quæ refert ex Aluare minimè obscura sint aut intricata ; quæ ratio est cur illum adeò tardum esse putemus ac stupidum, vt eius mentem hoc loco non fuerit assequutus ? Quid inquam, adeò æquiuocum adeòue reconditum est in hac oratione ; *Potentia ad non operandum stat simul in eodem subiecto cum gratiâ & auxilio quod ad operandum requiritur*, quòd hominem nec imperitum nec omninò bardum fallat ? Nam vt Caluini sensa notiora illi quàm nobis esse fateamur, quæ non

est maxima quædam laus, religionis eius, ac vitæ ratio iure quodam postulat. Doctrinam videlicet illam suxit vt aiunt cum nutricis lacte: cum ea adoleuit: in ea vixit: pro ea qua verbo, qua stylo semper pugnauit. Gratuita igitur suspicio sit, quæ Amesio satis exploratum esse Caluinum ambigat. Eritque hoc ex ipsius Caluini doctrina probandum, de quo postea. Interea hoc tantùm contendo, Amesium Caluinismi conscium ac professorem, fateri *verissimam* esse Aluaris sententiam, atque interpretationem illam Tridentinæ definitionis qua homo ita liber esse intelligitur, vt dissentiendi tantùm potentia stare dicatur cum auxilio quo ad consentiendum mouetur.

XCVI. Sed est audiendus etiam dum de prouidentiâ circa malos actus, quam supponere dicimus Scientiam Mediam, philosophatur. Ita ergo ille. *Quod ad rem ipsum*
Tom. 4. l. 2. cap. 2. n. 5. *attinet, nihil aliud volunt nostri*, (non Arminiani, siquidem illi aliud volunt, nec Thomistas probant; sed puri Caluinistæ, & vt vocantur, Contra-Remonstrantes) *Quàm quod Scholastici docent Thomistæ. Deus motione præuia efficaciter applicat voluntatem creatam, vt liberè & infallibiliter operetur, sicut etiam applicat causas secundas vt naturaliter operentur. Aluarez disp. 23. num. 3.*

Et iterum, *Sensus nostrorum non est alius quàm qui à Thomistis approbatur, hominis voluntas est quodammodo Dei instrumentum, non purum & merum; sed liberum. Aluarez disp. 68. num.* 5. Et postea de concursu indifferenter oblato,
Ib. num. 10. *nouum istum commentum Iesuitarum solidè refutatur à Thomistis vt videre est apud Aluarem disp. 22. num. 21.*

Tandemque de Scientia cuius occasione ista differimus, *Iesuitæ scientiam finxerunt, quàm mediam appellant, quâ*
Lib. 3. c. 3. num. 5. *Deum dicunt ante decretum suæ voluntatis certò cognouisse quid Petrus ex innatâ suâ libertate facturus esset, si tali loco & tempore conuersio ipsi suaderetur.*

Ex quibus liquidò constat, quos iste Auctor; qui purus est Caluinista, sequatur, quosque improbet: ac proinde qui-nam illi videantur non admodum repugnare Caluino, & qui secus. *Nos verba referimus, &c.*

XCVII.

XCVII. Post Amesium sequitur Guillelmus TVissius, de quo videri multa possunt allata in prima disputatione, præsertim cap. 1. vt nihil admodum sit necesse repetere. Sed illud identidem est inculcandum quod retuli ex præfatione, in qua ille se adhærere Caluino tanquam Sancto Dei profitetur. Sciat autem Lector Eruditus, & diuinæ " veritatis studiosus, haud leuem esse quæ hic agitatur quæ- " stionem sed maximè momentosam. Aduertunt enim " Aduersarij veritatis siue IESVITÆ siue Arminiani, nisi do- " ctrina ista de Scientia Media sarta tecta conseruetur, sen- " tentiam ipsorum de gratia & libero arbitrio stare non " posse, NEQVE NOSTRAM IPSIS ADVERSAM POSSE LA- " BEFACTARI: Profligata verò illa sententia de scientia fu- " turorum quam mediam vocant, ET NOSTRAM DE GRA- " TIA ET LIBERO ARBITRIO SENTENTIAM INCONCVS- " SAM PERSTARE: & ipsorum OPPOSITAM NOSTRÆ " ruere vniuersam. Vide num huic Doctori videatur ea do- " ctrina quæ scientiam mediam explodit, & absolutas tamen liberorum actuum prædefinitiones adstruit, discrepare multum à doctrina sui *Sancti*. Iudicium TVissij.

Nam quod dicit, *aduertunt enim* &c. non eò spectat vt ita nos sentire tantùm iudicet, quasi verò in eo falleremur. Alius est omnino loquendi vsus, & verborum vis: nec quemquam dicimus id *aduertere* quod non est. Sed nimirum hoc intendit, in hac grauissima & vt loquitur *momentosa* quæstione, non adeò nos esse imprudentes incautosque, vt non videamus id quod res est, tanti scilicet interesse vt Scientia Media *sarta tecta conseruetur*, vt ea profligata Caluinismus hac in parte hoc est dum agitur de concordia diuinarum prædefinitionum cum libertate arbitrij, *labefactari non possit*: quasi minimè dubia sit illius ruina, si Scientia Media stet. Hæc ille, *Nos verba referimus*, &c.

XCVIII. His Auctoribus subiungam Theophilum Brachetum, vulgo Mileterium, qui quanuis alia quam hæreticorum classe dignus videri possit, ob studium concordiæ quam tot editis à se libris promouere conatus est; quia tamen communionem eorum retinet quos trahere Iudicium Milleterij.

renda communi. Id ipse postea satis explicat cùm dicit,
Vnde fit vt inter Catholicos, quamuis in cæteris vt plu- » Num. 9.
rimum consentientes, his de rebus maneant acerrimæ » Pag. 10.
pugnæ, inter eos qui D. Thomam Magistrum sequi se »
profitentur, & eos qui vulgarem scholæ sententiam am- »
plectuntur: in quibus hinc Franciscani & Iesuitæ: illinc »
Dominicani & Oratorij Presbyteri familiam ducunt. »

Quo in iudicio, quod eandem esse significat nostram atque Arminianorum doctrinam, mollium item Lutheranorum; facilè patimur: quando ipse fatetur in eo illos à suis Magistris Luthero & Caluino recedentes, acessisse ad Catholicos. Sed quod reliquum est, Thomistas scilicet ipsius iudicio, cum Euangelicis consentire, in eo in quo illi à Luthero & Caluino Magistris minimè recedunt, neque aptant sese Catholicis; id verò est quod Lectorem eruditum cupimus obseruare. Nam quòd priscam dicit esse illam Ecclesiæ Romanæ fidem, quippe iam inde ab ætate Augustini sancitam, suæ causæ patrocinatur. Eam enim ille partem sequitur: quin & suspicatur in eo nonnihil esse diuersum istorum & Antiquorum temporum in Ecclesia Romana sensum, & Concilium Tridentinum alteri parti nimium fauisse. En quid dicat in Opusculo alio Gallicè scripto, cui titulus est *Medium Christianæ pacis* cap. 5. *Elucidationis* circa iustificationis doctrinam. Pag. 595.
Quare non dubitaui dicere, delenda ex illa Concilij definitione verba ista, per voluntariam receptionem gratiæ & donorum: *item ista*, iuxta cuiusque dispositionem & cooperationem, *eo quod modicum fermentum totam massam fermentet.* Ac deinde indicatâ Catholicorum dissensione, quorum alij antiquam contra Pelagium doctrinam sequuntur; alij bonarum operationum laudem inter gratiam & voluntatem partiuntur, Concilium dicit ita suas temperasse definitiones, vt & veras assignarit iustificationis causas, quod priores requirunt; &, quod fauet posterioribus, conclusiones reliquerit quæ referuntur ad eorum sensa, »
cui boni causam inter gratiam & voluntatem liberam, »
diuidunt, eoque sensu verba voluntariæ receptionis & »
dispositionis & cooperationis recipiunt. *Addit*, præ- »

A cette fin ie n'ay point fait de doute de dire, que de cette Definition du Concile, il falloit oster ces paroles, *par vne volontaire reception de la grace & dõs:* & ces autres. *selon la disposition & cooperation d'vn chacun,*

„ cisas S. Augustini definitiones aientis diuinæ gratiæ vim „ in nobis operari non vt agamus si volumus, sed vt veli„ mus: atque adeò facere vt faciamus; tollere quidquid „ est veneni & zizaniorum in eâ loquendi ratione quæ „ dispositionem propriam & cooperationem significat. „ *Et tandem*, Ad anathematismos quod attinet, certè si „ Tridentini Patres præcisè definiissent causam iustitiæ „ quæ in nobis est; & quæ de gratia tenenda sententia „ præscripsissent iuxta interpretationem Augustini; ab eis „ editi super hac doctrinâ canones, quibus eorum ana„ thematismi continentur, alijs essent verbis concepti.

pource qu'vn peu de leuain fait leuer toute la paste.

Les Peres de Trente ont laissé des Côclusions qui se rapportent au sentimêt de ceux qui partagent la cause du biê en nous entre la volonté libre & la graco: & qui vsent en ce sens du mot de reception volontaire, & de disposition & cooperation d'vn chacun. *Pag. 396. Ib.*

Mais les Definitions precises que ce S. Pere a données de l'efficace de la grace, à laquelle il attribuë determinement non d'agir si nous voulons: mais de faire que nous voulions: de faire que nous fassions; ostent tout le venin & toute l'yuraye de ces façons de parler, de disposition propre & de cooperation. Ib. pag 403 Pour les Anathemes, certes si les Peres de Trente auoient precisément defini la cause de cette iustice qui est en nous: & auoient determiné la doctrine de la grace, selon l'explication de S. Augustin, les Canons qu'ils ont dressez de cette doctrine: & qui contiennent leurs Anathemes, ne seroient pas tous aux termes qu'ils sont.

Ex his omnibus non obscurè intelligitur istius Auctoris iudicio, non solùm Thomistas cum Euangelicis eandem sequi doctrinam in hac disputatione, sed vtrosque etiam habere in definitionibus Concilij Tridentini quod deleri cupiant. Quod ille quamuis tribuat ei prudentiæ quæ necessaria videbatur ad retinendam Catholicorum vnitatem & Schisma vitandum; fallitur tamen, atque indignam tanto ac tali Concilio opinionem fouet: dum putat inani metu Patres adductos vt *Zizania venenique fermentum* admiscerent Catholicæ atque antiquæ doctrinæ. Ignoscendum id est ingenio nobili quidem & erudito, sed ad suam normam Philosophanti, nec adhuc subacto. *Medium* autem *Christianæ pacis* non sperabam ab eo proponendum adeò facile, nempe quod exigua tantùm paucorum in Tridentino verborum liturâ constat. Est verò illa præclara quædam ineundæ concordiæ ratio, veluti si chordam rumpat Citharœdus; quam adducere non potest. Quomodo nihil ille quidem dissonum canet, sed ne

consonum quidem. Ecquid tandem in mentem venit erudito viro atque solerti? Credendorum regulam quærit, an cudit ipse? Si quærit, inflexam cogitet, neu curuare velit: Si cudit, adeóne vel de se ipse benè, vel de orbe vniuerso malè sentit? Romanam fidem quare ambit si mutabilem putat? Si necessariam & eandem semper, quare corrigit? Thomistas verò quàm intempestiuo atque ingrato prosequitur officio, dum eorum ita sententiam commendat, vt expedire tamen putet ad eam tuendam de Tridentino aliqua tolli!

Nam quod priscam esse dicit eam fidem quæ non facilè patitur *voluntariam* dici donorum susceptionem, liberamque *dispositionem* & *cooperationem*, admodum fallitur. Antiquior enim illa est Augustino, Caluino etiam teste, qui cæteros Patres hoc loco damnat tanquam iniquos liberi arbitrij patronos. Et quòd Augustinum excipit, aliquo id quidem consilio, ne scilicet nullos haberet Auctores nisi Manichæos; sed nullâ ratione facit: cùm neque vsquam negata neque vsquam sæpius inculcata reperiatur liberi arbitrij cum gratia cooperatio quàm apud Augustinum vti antea monstratum est. Hoc tantùm addo, insanire Caluinum, dum ea in re Augustinum conatur diuellere à cæteris Patribus, in qua ille sese indiuulsum profitetur in libris contra Iulianum.

Hæc ego ad primam libri huius editionem tunc scribebam, quando scribi poterant sine cuiusquam iniuria. Nunc quæ ab eo tempore contigit mutatio, Milleterij conuersio ad fidem Catholicam scribendum aliter ac loquendum iubet. Communionem Caluinistarum abiurauit à multis annis Milleterius, vt Catholicam amplecteretur: estque modo Romanus totus, totus Pontificius. Nec contentus suo ipsius bono, proprium hoc Spiritus sancti munus omni studio curat vt commune fiat eorum quos reliquit, quâ scribendo, quâ disputando quâ vitæ omnino Christianæ veræque pietatis exemplo probando fidem suam ex operibus. Hoc ego testimonium debeo primum publicæ veritati, ac deinde amicitiæ Viri Clarissimi; qui propterea non exigit vt quod olim de illo

ſcripſeram retractem, quia ipſemet quod tunc erat luculentiſſimè retractauit.

Quid ſentiant alij Proteſtantes ex Campanella. Lib. de Prædeſt. ar. 1.

XCIX. Iſtorum Auctorum teſtimonio addi poſſunt illi quos Campanella memorat, qui de hac materia tractatus ſcribunt inſcriptos, *Concordia Caluini & D. Thomæ*, Chimærico videlicet titulo; ſed ſumptâ ex eo occaſione quòd Thomiſtæ ingeminant, quam hodie ſequuntur ſententiam, eſſe illam D. Thomæ genuinam. Quâ in re ſi non fallerentur ipſi: Caluiniſtæ ſibi videntur, ex eo quòd putent ſe neque aliter ac Caluinus, neque aliter ac Thomiſtæ in hac parte Philoſophari, cum aliquâ ratione concludere, conuenire igitur hìc inter Caluinum & D. Thomam, ex illo Euclidis principio, *Quæ ſunt æqualia vni tertio, &c.*

Et eò ſemper redeundum eſt, vt dicamus Hæreticos hodiernos, vel neſcire quid ſenſerit Caluinus: vel neſcire quid ſentiant Thomiſtæ: vel gratuitò mentiri, ac ſuam in hac parte fidem diſſimulare. Primum ac ſecundum parum probabile eſt: tametſi enim difficilis eſt eorum perſuaſio quæ ſeu Caluinus, ſeu Thomiſtæ docent hac in parte, apprehenſio tamen atque intellectio facilis eſt. Tertium igitur probandum erit, monſtrandumque eos qui ſe in cæteris diſſentire gloriantur, in hac parte videri velle conſentire Catholicis.

§. II.

Quid Sentiant Auctores Catholici de conſenſu doctrinæ Aduerſariorum & Caluiniſtarum.

Thomas Vvaldenſis.

C. ANtequam naſceretur Caluinus, Thoma Waldenſis Carmelitarum in Anglia Prouincialis tomo primo Doctrinalis fidei, querebatur magnos aliquos viros. periculosè Philoſophari in admittendâ neceſſitate agendi quæ foret extra hominis poteſtatem & penes Deum. Nec difficile eſt conijcere quod-nam eſſet illud

periculum, quiue illi magni viri. Wiclefum nimirum Waldensis impugnabat iam tum præludentem ijs quæ postea Lutherus & Caluinus amplificarunt: & affinitatem doctrinæ suspicabatur eorum qui necessitatem illam quæ non esset in hominis potestate, sed penes Deum admittebant. Magni verò illi viri qui fuerint, si quis inquirat diligentiùs, non dubito quin mecum facilè conjiciat pertinuisse ad eamdam Scholam ex quâ prodijt circa tempora illa Brauardinus is cuius doctrinam tantopere ac tam sæpe laudat TVissius, sicuti iam tunc nascituris faueret Caluinistis. Quare non immeritò Waldensem possumus inter eos recensere qui timent, ne absolutæ prædefinitiones, atque à Scientiâ Mediâ independentes nimium faueant alienæ à Catholicâ doctrinæ.

CI. Admodum etiam scire velim, qui nam illi sint, quos indigitat Dominicus Soto, dum dicit. Quin etiam sunt » inter Catholicos, quos viua voce dogma hoc asseren- » tes, nobisque reclamantibus defensantes audiuimus; pu- » ta, quod Deus quadam nos vi ac necessitate ad se per- » trahat; ita vt in nostrâ nos conuersione merè babeamus » nos passiuè, & receptiuè, de quo id circo Sacro-Sancta » Synodus sess. 6. Vbi vides ex hoc Auctore damnatos esse » à Tridentino, non Hæreticos tantùm, sed *quorumdam etiam Catholicorum* doctrinam. Quorum verò? Nempe quos Dominicus Soto audire solitus erat in Scholis: & contra quos habebat ius *reclamandi*. Quòd autem dicerent nos trahi *vi quâdam*, minimè intelligebant coactionem propriè dictam, quippe quam non nescirent implicare contradictionem: sicuti nec dum dicebant habere nos *passiue* ac *receptiue*, actionem excludebant aliam, quàm quæ à libero atque expedito dominio proficiscitur. Neque enim negabant dispositiones illas esse actus vitales. Nimirum ijdem erant sine dubio, quorum meminit idem Soto cap. 16. cum dicit. Sunt ergo inter Scho- » lasticos qui docent, posito concursu Dei, non esse » vtrumque in potestate voluntatis, agere & non agere. » Ob idque secundò aiunt, huiusmodi concursum non » connumerari inter requisita ad agendum: imò dicunt, vt »

Lib. de Natura & Gratia c. 15. Dominicus Soto.

» sua vtamur voce, concomitari actionem ipsam. Horum
Cap. 15. » autem duorum vel vtrumque nunquam intellexi; vel
» neutrum vnquam credam. Quid autem crederet expli-
» cuerat paulò antè his verbis. In adultis reddenda est
» proxima causa: cur cùm duos æque sit Deus paratissi-
» mus conuertere; præsentissimaque vtrumque misericor-
» diâ aspiret; hunc trahat, illum non trahat. Quæ re-vera
» reddi non potest, nisi quòd alter præbet assensum &
» cooperatur; alter verò minimè.

Hæc erat Soti fides, eadem omnino cum illa sententia quàm alij Thomistæ premere se putant interrogatione illa Pauli, *Quis te discernit?* Nam quod dicit postea, supposito Dei concursu requisito illo, voluntatem posse non agere in sensu diuiso tantùm; satis ipse significat se non loqui de concursu tantùm præuio: sed vt importat etiam simultaneum & operationi causæ secundæ identificatum. Distinguit enim duo auxiliorum genera: quorum alia præuia sunt, & illa fatetur esse posse etiam maiora in eo qui non conuertitur quam in eo qui conuertitur: & consequenter cum ijs etiam in sensu composito posse hominem non agere: alia *liberam*, inquit, *in nobis dicunt mutationem*, quibus proinde componi non potest ipsa non actio: ideòque tantùm in sensu diuiso potest homo cum ijs non operari.

Hæc est igitur illa Sententia cuius contrariam Dominicus Soto, *nec capere potest: nec credere.* Nempe id quod dicitur, auxilia præuia & quæ non dicunt, *liberam in nobis mutationem*, eiusmodi esse, vt cum ijs repugnet mutationis illius liberæ carentiam esse compositam: & hæc est illa *vis atque necessitas* contra quam ipse *reclamauit*, tum alias, tum maximè in Concilio Tridentino, si credimus Historiæ Concilij. Denique contra illam sententiam putat ipse conceptam esse definitionem quæ habetur sess. 6. (cap. 6. can. 4. & 5.)

(Bellarminus.) Atque hoc testimonium viri primarios inter Thomistas clarissimi facit vt credamus amore veritatis maiore quàm partium, scripsisse Bellarminum id quod legimus libro primo de libero arbitrio. (Cap. 12.) Cuius verba si referam, repetendum

repetendum erit illud Ioannis à Sancto Thoma, *Nos verba referimus, non censuramus, &c.* Frustra verò à quibusdam laboratur, vt ostendant alia quædam legi apud Bellarminum quæ videantur esse huic sententiæ contraria: quia neque id vnquam consequentur: & notissimum est ac testatissimum ex illius vita, quâ ille in sententia & consenuerit & mortuus sit: vt vel ex eo intelligi possit, quis fuerit hic affectus qui in homine citra inuidiam eruditissimo ac pijssimo exeruit sese viguitque eo tempore, quo profanis etiam, quæ ad hanc vitam spectant, omnia fastidio esse solent.

CII. Cardinalem Perronium idem sensisse probat Eugenius Philadelphus ex relatione Illustrissimi Cadurcensis Episcopi D. Habert, qui librum quo id refertur approbauit suis in oculis editum, Cadurci. Et fidem addit quod de illo refertur in Gallia Purpurata. Nam quod narrat P. Ioannes à S. Thomâ, cùm in Congregatione 38. quâ res ista disceptabatur coram Summo Pontifice, obiecisset Cardinalis Perronius nescio quid de sententiâ Caluini; tunc P. Lemos exorsum dicere de Caluino, atque ostendere quænam esset eius sententia, *ijsque explicatis tacuisse Cardinalem Perronium, & annuere visum*; vereor ne non faciant fidem apud eos qui de tanto viro aliquid inaudierint. Non nego consummatum fuisse Scholasticum P. Lemos; sed vt ab homine Hispano, qui ætatem contriuerat in vmbra Scholarum & pace, sine vllo cum Hæreticis commercio, Cardinalis Perronius disceret, quænam esset Caluini sententia, eius ingenij ac memoriæ vir, à puero cum Hæreticis versatus, continuoque cum illis bello exercitus, quâ publicis, quâ priuatis congressibus, quâ voce, quâ stylo; res est eiusmodi, quæ apud nostrates Gallos excitare risum possit.

Perronius.

Disp. 20. in 1. p. ar. 7. pag. 693.

Improbabilis narratio P. Ioannis à S. Th.

Et vide Amice Lector, quam peritus esset Caluinianæ doctrinæ P. Lemos hoc ipso in loco, in quo illum cum Perronio loquentem refert P. Ioan. à S. Thomâ. Ita enim incipit. Illustrissime Domine, ego dicam omnia quæ Caluinus dixit in hac materiâ..... De Adam enim ante peccatum dixit, habuisse libertatem: nec Deum determi-

P. Lemos in doctrina Caluini peregrinus.

Inst l 3 cap. 23. f. 5 6. nasse quid esset acturus. En vt negat Caluinus referente P. Lemos, decretum Dei antecedens peccatum Adami. Iam verò Caluinum audi. Equidem præscientiam » solam nullam inferre necessitatem libenter concessero, » tametsi non omnes assentiantur..... Verùm mihi acutiùs » ac prudentiùs videtur perspexisse Valla, qui superuacaneam esse hanc contentionem ostendit, quoniam & vita » & mors diuinæ magis voluntatis quàm præscientiæ sunt » actiones. Si hominum euenta præuideret Deus dumtaxat, non etiam suo arbitrio disponeret ac ordinaret: tum » non abs re agitaretur quæstio, ecquid ad rerum necessitatem valeat eius prouidentia; Sed cum non aliâ ratione » quæ futura sunt præuideat, nisi quia ita vt fieret decreuit; Frustra de præscientia lis mouetur, vbi constat ordinatione potius & nutu omnia euenire. Inficiari ergo » non poterit, quin præscierit Dominus quem exitum » esset habiturus homo antequam illum conderet: ET » IDEO PRÆSCIERIT QVIA DECRETO SVO SIC ORDINARAT..... Nec absurdum videri debet quod Dico, » Deum non modo primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam præuidisse; SED ARBITRIO QVOQVE » SVO DISPENSASSE &c. Decreto suo Deus ordinauit quem exitum esset habiturus primus homo, inquit, Caluinus: nec aliter præuidit illius casum & totius generis humani ruinam, quàm quia id ipse decreuerat: Et tamen P. Lemos Cardinalem Perronium docet, sensisse Caluinum, Deum ante casum illum non determinasse » quid Adam esset acturus. Audi iterum. Disertis verbis » hoc extare negant *(Papistæ)* decretum fuisse à Deo vt

Ib. c. 7. » suâ defectione periret Adam *Et postquam extare probauit, subdit*, Decretum quidem horribile, fateor, inficiari » tamen nemo poterit quin præsciuerit Deus quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet: » ET IDEO PRÆSCIVERIT QVIA DECRETO SVO SIC ORDINARAT. Atque hoc sæpius repetit Caluinus tum cap. illo 23. libri tertij, tum præcedenti cap. 21. & 22. Vbi negat reprobationis quærendam esse causam vllam ex parte hominum: ad solum Dei placitum recurrendum:

vbi regnat hoc Dei placitum nullam in considerationem venire opera : si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur nisi quoniam illi ita placet ; neque etiam in aliis reprobandis aliud habendum, quàm eius voluntatem : nec esse consentaneum vt aliò transferatur præparatio ad interitum. Quæ omnia minimè ab illo dicerentur, si crederet originale peccatum, quod illi esse poterat reprobationis ratio sufficiens, aliò referendum quàm ad decretum illud antecedens ex quo sequutum est Adami peccatum. Ergo non satis perspectam habuit P. Lemos Caluini doctrinam, cùm negauit, ex illius sententia *determinasse Deum quid Adam esset acturus* : neque vnquam nisi ridendo talia narranti *annuerit* Cardinalis Perronius, quippe cui longè notior erat Caluinus quàm Patri Lemos. Sed redeo ad institutum.

CIII. Illustrissimus Bellicensis Episcopus, in Opusculo nuper edito Parisiis de Accessu Protestantium ad Ecclesiam Romanam, ingenuam admodum eius rei quam tractamus confessionem edidit. Cum enim duas attulisset sententias Romanorum, Thomistis videlicet ac Iesuitis inhærentium, subdit, Protestantes libenter se adiungere illi parti Romanorum in qua sunt Thomistæ : sed in eo differre, quod erroris in fide partem aliam accusent, quod illi ipsi Romani quos sequuntur non faciunt, qui vtramque sententiam probabilem putant, donec aliud statutum sit ab Ecclesia.

Bellicensis Episcopus. Tit. 4 s. 1. nu 11. & 13.

Les Protestans se iagent assez volontiers vers l'opinio de ceux qui tiennēt la pure determinatiō Physique de la grace : En quoy ils conuiennent auec ceux des Romains qui la soustiennent aussi : mais ils disconuienuent en ce qu'ils accusent d'erreur en la Foy ceux qui appuyent & maintiennent la Predetermination Morale, ce que ne font pas les Romains qui tiennent l'vne & l'autre Opinion pour probable, iusqu'à ce que l'Eglise en ait definy

Vide quid discriminis ponat inter doctrinam Protestantium & Thomistarum. Quòd scilicet Protestantes erroris accusent eos qui dissentiunt ; Thomistæ verò similiter accusare neque velint neque possint. Quòd si accessisset ea quæ tantopere vrgebatur condemnatio, quia iam licitum esset Thomistis errorem Aduersariorum accusare, nullum consequenter esset inter ipsos & Protestantes descrimen ex Illustrissimo Bellicensi. Atque ita

cum peteretur huius ſententiæ definitio in gratiam Thomiſtarum, hoc petebatur. Nempe vt declararet Pontifex eandem ipſorum & Proteſtantium eſſe doctrinam. Quam ego conſequentiam ita probo. Quia facere vt Thomiſtæ poſſint erroris accuſare Ieſuitas, eſt facere vt tollatur diſcrimen quo Thomiſtæ diſtinguntur à Proteſtantibus, ex Illuſtriſſimo Bellicenſi: ſed pronuntiare in gratiam Thomiſtarum, eſt facere vt Thomiſtæ erroris poſſint accuſare Ieſuitas: Ergo pronuntiare in gratiam Thomiſtarum, eſt facere vt tollatur diſcrimen quo Thomiſtæ diſtinguuntur à Proteſtantibus. Inculcandum ſubinde illud. Nos aliorum tantum ſententiam referre, ad imitationem P. Ioan. à S. Thoma.

Campanella. CIV. His iuuat addere Campanellam. Cuius auctoritas etſi minor eſt quàm vt conſtituere poſſit locum Theologicum; vbi tamen non tam attenditur iudicium quàm fides: nec quid ille ratiocinetur, ſed quid narret; neſcio an ſit alicuius prudentiæ, ita rejicere illius teſtimonium vt dicere non verearis eſſe mentitum. Et creſcit narrationis auctoritas ex approbatione Sociorum Thomiſtarum. Librum enim illum Fr. Iulianus Ioubert Vicarius Generalis Congregationis Gallicanæ non tantùm commendat ipſe, ſed viſum etiam refert commendatione dignum Sorbonicis Doctoribus. Accedit quoque ſuffragium Fr. Antonij Mallet eiuſdem Ordinis, qui *ſtudioſorum omnium manibus aſſiduè teri* cupit lucubrationem hanc, *plurimum profuturam doctrinæ fidei ac bonorum morum*. Pariſiis in Collegio S. Iacobi 21. Iulij an. 1635.

Ergo Fr. Thomas Campanella in libro de Prædeſtinatione & reprobatione ar. 1. ita ſe accingit ad impugnandam communem hodiernorum Thomiſtarum doctrinam.
„ Attente amabo te, Amice Lector; Et quoniam ex D.
„ Thomâ Scholaſticorum Principe putant nonnulli has
„ ipſorum probari ſententias, eumque miris lacerant modis
„ inuitumque trahunt: & Caluiniſtæ iam gloriantur ſcri-
„ bentes typiſque mandantes concordiam inter D. Thom.
„ & Caluinum; ſtatuimus ex dictis D. Thomæ ſolius, qui
„ ex cunctorum Doctorum alibi proceſſimus, procedere

ad inductionem errorum: ac proinde centonem efficere Thomisticum aduersus pseudo-Thomistas, veluti sanctissimo ac sapientissimo Domino Papæ Vrbano VIII. dum valde anxiaretur & arderet contra tantum nostri temporis malum, pollicitus eram: ac simul Excellentissimo Christianissimæ Maiestatis Oratori Comiti de Brassac, qui se aliunde non posse respondere hugonotis, neque nostratibus qui etiam nolentes fauent illis, nisi ex opusculo isto & altero quod eius nomine super caput 9. ad Romanos scripseram, fatebantur. Et de hoc sæpe consuluit Romæ Summum Pontificem, & consolatus est vt testatur (sicut ego) qui ab aliis Theologis in desperationem agebatur.

Ad idem me quoque Doctissimus Cardinalis Scallia aliquando animauit, putans sic intellectum D. Thomam confringere posse nedum hæreticorum, sed nostrorum quoque sophistarum technas vniuersas.

Nostratibus quoque satisfaciendum fuit, vt à S. Doctoris penu arma sub ministraremus, vnde hostes sibi auxilium nostrorum incuria pollicentur. Idque à me poposcerunt quam plurimi præcipuè discipuli veritatis amatores Dominicani, & Minimi, & Clerici & viri principes Romani præsertim Columnenses id fategerunt. Sed inter Magistros præcipuè P. Cosmas Morellus doctrina & probitate insignis Inquisitor hæreticæ prauitatis multo tempone in Colonia Agrippina, dicens se non potuisse absque hac doctrina Caluinistis respondere: & promisit libellum de hoc edere. Similiter Magister Augustinus Russus Dominicanus Regens studij Panormitani, & P. Forest eius socius & Dominus Simon Raus secum, quibus huius libelli copiam feci. Et olim M. Seraphinus Riualdus postea Episcopus sæpe à me hoc opus, vel pro D. Thomæ honore postulabat, quod iuxta Comitis de Brassac desiderium expositioni capitis noni ad Romanos connectendum volumus. Hactenus Campanella.

Ex quibus facilè intelligas inter ipsos quoque S. Thomæ discipulos, nonnullam esse huius de quâ disputamus cum Caluinistis concordiæ suspicionem: nec adeò expe-

ditam esse solutionem huius difficultatis, vt *stupidus* sit qui eam statim non perceperit. *Nos verba referimus, &c.*

Supra n 95

Gonzales de Albelda. 1. p. q 19. disp 58. 2. num. 10.

CV. Quod si est aliqua exceptio contra testimonium Campanellæ, quid dicemus ad Gonzalem de Albelda qui *Iuniores Thomistas* interdum impugnat? impugnat autem eâ ratione *quod eorum sententiâ destruatur libertas, nec saluetur veritas definitionis Tridentinæ.* Auctore igitur Gonzale *Iuniores Thomistæ* inuoluuntur eâ Tridentini condemnatione quæ in Caluinistas concepta est. Et constat illâ *Iuniorum Thomistarum* designatione comprehensum Didacum Aluares, qui magnam familiæ partem ducit in hac disputatione.

Disp. 59 c. 2. n 4.

Atque ille ipse est quem iterum impugnat, & quidem nominatim idem Gonzales cùm dicit. Mirum est quod „ Reuerendissimus Aluarez vbi supra, ex vna parte fatea„ tur sæpius, Deum solum concurrere ad actum peccati vt „ vniuersalem motorem per concursum generalem, ex alia „ verò parte asserat Deum concurrere producendo in vo„ luntate qualitatem physicè præmouentem, & inclinan„ tem efficaciter illam determinatè & per se ac directè ad „ talem actum hîc & nunc. Hæc enim duo inter se non vi„ dentur cohærere. Vnde primum ex mente D. Thomæ „ dictum est, non verò secundum. Hoc autem secundum eâ ratione, quatit, *Quod* VIDEATVR SEQVELA MANIFESTA, DEVM ESSE AVCTOREM PECCATI, quod ipsum opponere solemus Caluini sententiæ. Vnde vides Aluaris & Aluaristarum, hoc est, magnæ partis recentium Thomistarum doctrinam, vt Gonzales quidem putat, necessariâ sequelâ ruere in illum Caluini errorem, quo Deum fecisse creditur Auctorem peccati.

Ioannes Vincentius apud Ledesmam de Auxilijs. pag. 228. & 253. & 290. 415.

CVI. Quid etiam ad Ioannem Vincentium Doctissimum & Sapientissimum eiusdem Ordinis Magistrum Auctore Ledesmâ, qui putat communem iam Thomistarum sententiam conciliari non posse cum verbis Concilij Tridentini? Esse in eâ *maximam* quandam *difficultatem, & apud ipsum indissolubilem.* Tridentini locum *conuincere* contra prædefinitionem actus mali etiam secundùm entitatem (cuius tamen præscientia conditionata non negatur) se-

que à contraria ſententia non poſſe diuelli niſi *ſolâ Eccleſiæ Auctoritate?* Nullus igitur *ſtupor* eſt in ea ſuſpicione quæ timet affinitatem contrariæ ſententiæ cum ſententiâ Nouatorum: aut ſi aliquis eſt, cadit etiam in quoſdam Thomiſtas, & quidem inſignes. Quorum nos verba ſenſaque tantùm referimus, &c. vt ſupra. Supra n. 95.

§. III.

Quid reipsâ Sentiendum videatur.

CVII. INquirere iuuat ecquod eſſe poſſit fundamentum opinionis illius quâ Heretici de conſenſu Thomiſtarum gloriantur: & illius etiam timoris, quo inſignes Catholici ſuſpicantur, vt dixi, nimiam vtriuſque ſententiæ affinitatem. Quâ in re præmitto in primis me nihil protſus definire, ſed ſuſpenſo iudicio difficultatem aperire more dubitantium expectando ſolutionem. Ergo duo ſupponenda ſunt. Primum eſt, Caluini & Caluiniſtarum errorem fuiſſe duplicem, alterum circa liberum arbitrium, quo illud deſtruxerunt: alterum circa peccati cauſam, quo illam in Dei voluntatem refuderunt Auctorem illum mali conſtituentes. Eſt verò res illa adeò certa, vt ſi repugnare aliquis velit, ac dicere, in neutro vel in altero tantùm Caluinum erraſſe: accuſare illum neceſſe ſit Eccleſiam Romanam, cuius hactenus communis ea fuit atque indubitata perſuaſio: nec ſtabit auctoritas Tridentini, cuius decreta & anathematiſmi pro tuendâ libertate arbitrij, & æquitate atque innocentiâ diuinæ prouidentiæ circa malas hominum actiones, non aliunde ortum habuere quàm ex præiudicata erroris vtriuſque opinione. Neque id aliter eſt acceptum ab Hæreticis, qui ſe non diffitentur petitos illis Tridentinorum Patrum fulminibus, vt conſtat, tum ex Antidoto Caluini, tum ex alijs paſſim eorum ſcriptis. Et iam vidimus illum qui de concordia laborat, non aliter eam hîc inuenire, quàm inductione paucorum verborum quibus Concilium neceſſariam hominibus libertatem ex-

Errauit omnino Caluinus & circa liberum arbitrium & circa prouidentiam quam habet Deus peccatorum.

Supra §. 2. num. 98.

preſſit. Eſſet verò non mirabilis modò, ſed ridiculus etiam ille, qui contenderet eo loco vbi & Eccleſia Romana tonare ſe in Hæreticos, & Hæretici ſe feriri ab Eccleſia Romana confitentur; eſſe tamen conſentientem amborum doctrinam: nec aliam eſſe pugnam hanc quam fortè concurrentis per incerta tenebrarum contra ſemetipſum exercitus, deſituram in amplexus cùm primùm aurora ſocios eſſe monſtrauerit, qui hoſtes eſſe putabantur. Hunc inquam phoſphorum, qui ſuam mundo neceſſariam fuiſſe lucem crederet, vt Eccleſia Romana intelligeret nihil eſſe in placitis Hæreticorum circa libertatem arbitrij quod ipſa meritò improbaret; & Hæretici, nihil eſſe in Eccleſiæ Romanæ doctrinâ circa eandem quæſtionem, quod admodum repugnaret ipſorum placitis: totumque vtriuſque partis ex ignorantiâ natum eſſe diſſidium; quis non videt ſapientum omnium riſu excipiendum eſſe? Hoc igitur primum ſupponimus.

Error Caluini nō fuit tantum error orationis ſed & ſententiæ iudicijque.

CVIII. Secundum eſt, huiuſmodi errorem non verſari tantùm circa loquendi modum, ſed circa rem ipſam. Hoc eſt, Hæreticos non tantùm negaſſe, rem illam quæ à Catholicis vocatur liberum arbitrium, eſſe ita vocandam; ſed eſſe omnino: Item non tantùm aſſeruiſſe nomen Auctoris peccati conuenire cuidam modo concurrendi ad malum quem non negant Catholici; ſed aſſeruiſſe omnino eſſe modum illum, quem negant Catholici, & quo conceſſo ſequuturum putant Deum eſſe Auctorem peccati. Quaſi dicerem, cùm duobus modis fieri poſſit vt erret qui alteri contradicit; vel quia rem negat aſſertam ab alio, vt ſi quis Æthiopem negaret eſſe animal rationale: vel quia pertinaciter neget eſſe ita vocandam, vt ſi quis fateretur quidem Æthiopem hoc eſſe, negaret tamen eſſe hominem, quòd vellet eo nomine ſignificari tantùm animal rationale album; Hæreticos non hoc ſolùm poſteriori modo à Catholicis diſſentire atque damnari, ſed potiſſimùm priori.

Probatur hoc primò ex ipſo Catholicorum communi ſenſu, quorum conſcientiam ſi quis interroget, adduci non poterunt vt fateantur, rectam quidem eſſe Caluini ſententiam,

sententiam, sed impropriam tantùm orationem: neque damnandum esse aut damnabile illius iudicium de rebus ipsis; sed solùm de modo loquendi, quasi non aliter esset Hæreticus hoc loco, quàm v. g. quomodo is qui negaret secundam in Trinitate personam generari, cum concederet procedere viuentem à viuente in similitudinem naturæ: quâ ratione non tam contradicitur Ecclesiæ doctrinæ quàm phrasi: nec Theologia desideratur, sed grammatica.

Probatur secundò, quia Concilium Tridentinum in suis decretis & anathematismis contra Hæreticos, perspicuè significat, se non eos damnare qui nomen tantùm liberi arbitrij negant; sed verò etiam eos qui negant ipsam rem: neque de nomine contendit, sed de re ipsa, Sess. 6. c. 6. cùm eam ita explicat vt hoc quod est *hominem cooperari liberè gratiæ Dei*, sit ipsum *agere*: & ita agere, vt illuminationem illam *abijcere* possit. Quod est agere cum dominio Can. 4. & potestate non agendi. Vnde postea dicit anathema neganti liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari Deo mouenti & excitanti, *& posse dissentire si velit*. Vbi vides rem ipsam exigi significatam nomine liberæ cooperationis, *nempe agere voluntatem* & agere *cum potestate non agendi*. Sed nihil euidentius quàm quod subdit Can. 5. Anathema, in eos qui dicunt liberum arbitrium *esse rem de solo titulo*, immò titulum sine re. Quo enim modo disertiùs potuit Concilium significare, se non de titulo liberi arbitrij, sed de re ipsâ disputare? Et ideò, vt quam requirit ad peccandum libertatem explicet, subdit anathema in negantes *esse in potestate hominis vias suas malas* Can. 6. *facere*. Dicitur autem esse in potestate alicuius hoc tantùm, quod ita facit vt possit non facere. Vnde nemo putat esse in equi potestate appositam auenam mandere cùm esurit: abstinere enim non potest. Quod Damascenus expressit cùm dixit *Ea in nobis esse quorum sumus liberam* 2. de fide cap. 26. *adepti potestatem* FACERE ET NON FACERE, VT MENTIRI ET NON MENTIRI.

Patet hoc ipsum in altera quæstione de Auctore peccati. Numquam enim definit Concilium, Deum non

debere dici Auctorem peccati, sed non debere credi rem quæ designatur eo nomine, cùm definit Deum non ope-
Sess 6 can. 6. & 17. „ rari mala opera ita vt bona: *nec* propriè ac per se, sed „ tantùm permissiue. *Item*, neminem diuinâ potestate præ- „ destinatum esse ad malum. His enim decisionibus clarè constat rem ipsam potissimùm Concilium spectauisse, non voces.

2 Inst. cap. 2. f. 7. & 8. Probatur tertiò ex Hæreticorum confessione. Caluinus enim in hac ipsa disputatione de libero arbitrio testatur se *Logomachias odisse*: quod est, se nolle de verbis » contendere. Subjicio illius verba. Liberi ergo arbitrij » dictus est homo (*ab Antiquis Scholasticis & Lombardo vt* » *ipse putat*) non quia liberam habeat boni æquè ac mali » electionem; Sed quia voluntatè male agit non coactione. » Optimè id quidem: sed quorsum attinebat rem tantulam » tam insigni titulo insignire? Egregia verò libertas, Si » homo quidem non cogitur ad seruiendum peccato, sic » tamen est ἐθελόδουλος vt vincta teneatur peccati compedi- » bus eius voluntas. Equidem λογομαχίας, abominor, qui- » bus frustra Ecclesia fatigatur. Sed religiosè censeo ca- » uendas eas voces quæ absurdum aliquid sonant, præser- » tim vbi perniciosè erratur. Quotus autem quæso quisque » est, qui dum assignari homini liberum arbitrium ambit, » non statim concipit illum esse & mentis suæ, & volunta- » tis Dominum, QVI FLECTERE SE IN VTRAMVIS PAR- » TEM A SEIPSO POSSIT? Atqui sublatum erit huiusmodi » periculum, si de significatione diligenter plebs admonea- » tur. *Ac deinde*. Ita si quis dictionis huius vsum, non prauâ » intelligentiâ sibi permittat; per me quidem non vexabi- » tur ob hanc rem. Sed quia sine ingenti periculo non » posse retineri censeo, magno contra Ecclesiæ bono futu- » rum, si aboleatur; neque ipse vsurpare velim, & alios si » me consulant, abstinere optarim.

Vbi vides primò Caluinum nolle resistere vsum vocis & titulum liberi arbitrij retinenti, quamuis in eam partem magis inclinet vt hoc nomen aboleatur. Non est igitur in eo pertinax Caluinus: nec proinde tanquam Hæreticus damnandus, quòd animo sit obfirmato ad

illud nomen negandum: Ergo si qua est illius pertinacia, erit in eo potiùs, quòd vt ipse loquitur, *prauam* esse credat, quæ apud Catholicos illi nomini subest, *intelligentiam.* Quænam verò sit illa Catholicorum intelligentia *praua* atque periculosa, explicat Caluinus cùm dicit excitari eo nomine cogitationem *dominij, quo voluntas flectere se in vtramuis partem à seipsa possit.* Hæc est igitur illa res quam asseri putat Caluinus à Catholicis, cum ab illis asseritur liberum arbitrium: & quam ipse negat, dum illud quoque negat, voluntatem scilicet, quæ libera dicitur, non tantùm non cogi aut vim pati; sed ita esse sui compotem, vt possit ipsa vtrumuis, agere, vel non agere. Ergo si quid visum est condemnatione dignum in Caluino, fuerit illud, quòd negauerit *voluntatem habere dominium sui actus: & posse agere vel non agere.* Quæ res est significata liberi arbitrij nomine.

CIX. Idem dicendum de Auctore peccati, Caluinum scilicet minimè damnatum quod contenderet nomen illud esse Deo tribuendum: quin potius id apertè negat multis locis, queriturque se grauari Catholicorum calumnia id ei tribuentium. Nam vt omittam id quod est in cap. 2. Instit. iuxta formam & partitionem antiquam anni 1545. *Cauendum esse, ne dum naturalia hominis mala demonstramus, ea videamur ad naturæ auctorem referre,* ita interpretatur illud Apostoli 2. Eph. vers. 3. *Eramus natura filij iræ, &c.* vt natura illic intelligatur, *non qualis à Deo condita est, sed vt in Adam vitiata fuit* quod *minimè consentaneum sit Deum fieri mortis Auctorem.* Et cum de irruptione Chaldæorum in Pastores ac greges Iobi disputat, 2. Inst. cap. 1. §. 6 & 10. Ib. c. 4. §. 1.
„ Quomodo, *inquit*, idem opus ad Deum, ad Sathanam,
„ ad hominem Auctorem referamus quin vel Sathanam
„ excusemus Dei consortio, vel Deum mali Auctorem
„ prædicemus? Facilè, si finem agendi primum inspicia-
„ mus, deinde modum. Et vbi finem hunc agendique modum in Deo, Dæmone, ac Chaldæis distinxit; ita concludit. Idem ergo facinus Deo, Sathanæ, homini assi-
„ gnari videmus non esse absurdum: sed varietàs in fine &
„ modo facit vt illic inculpata Dei iustitia reluceat; Sathanæ

„ hominisque nequitia cum sua confusione se prodat. Quibus patet Caluino minimè placere quòd Deus Auctor peccari esse dicatur. Quod si quando significat Auctorem illum esse suæ vindictæ, dum peccatum peccato punit; eodem id sensu dixerit quem Aduersarij non negant, nempe vt ei tribuatur *iustus ac legitimus malitiæ vsus* vt ipse loquitur, *totum autem malum in hominibus deprehendatur.* Hæc ipsa est fidei confessio Caluinistarum art. 8. „ Non quod Auctor mali sit, aut quod ei culpa imputari „ possit..... Sed admirabiles ei suppetunt rationes Dæmo- „ nibus sceleratisque ita vtendi, vt malum quod faciunt „ cuiusque rei sunt, conuertere nouerit in bonum.

1. Iust. cap 17. §. 6.

Non qu'il soit Autheur du mal, ou que la coulpe luy en puisse estre imputée..... Mais il a des moyens admirables de se seruir tellement des Diables & des meschans qu'il sçait conuertir en bien le mal qu'ils font & duquel ils sont coulpables

Ex quibus liquet, si quidem ad vsum vocum tantùm respiciamus, satis religiosum esse tum Caluinum tum Caluinistas, vt caueant ne Deum Auctorem peccati esse dicant. Ergo si errant hac in parte, vt errare consentiunt Catholici hactenus omnes; superest vt hic esse dicatur eorum error, quòd id quod verbo negant, reipsâ fateantur: & dum vocem reformidant, praua quæ illi subest intelligentiâ non terreantur. Neque hoc diffitentur Salmanticenses post Didacum. Dicunt enim Caluinum *quoad verborum sonum* sentire Deum non esse Auctorem peccati, re tamen verâ ei rationem prædictæ causæ tribuere.

Tract. 4 de vol. Dei disp. 10 n. 163. disp. 14 de Auxiliis.

CX. Probatur Quartò, quia nemo iure negauerit damnatam esse Caluini de libero arbitrio sententiam, vt antea probatum est. Sed hoc quod est voluntatem non debere dici liberam, quòd agat sine coactione, si nihilominus agat cum aliquâ necessitate extrinsecus immissâ, non est damnatum: Ergo non hoc tantùm dixit Caluinus: atque adeò non tantùm negauit vsum vocis, sed rem ipsam voce significatam. Assumptum probatur. Quia magna pars Catholicorum liberè atque impunè hoc asserit, nempe non esse dicendam liberam operationem illam, quam elicit voluntas sine coactione quidem, sed non tamen sine aliquâ necessitate extrinsecus immissâ, seu si mauis ex diuinâ prædefinitione sequuta. Vnde sequitur euidenter, nullam esse definitionem Ecclesiæ,

quâ damnetur iudicium illud, quod hoc non sit vocandum libertas, seu libera agendi facultas. Ergo vel nihil est damnatum in Caluino, vel aliquid aliud damnatum est.

Similiter cùm sit certum damnatam esse Caluini sententiam illam quâ Deum fecit Auctorem peccati: Si quis ita interpretetur vt dicat, hoc tantùm in Caluino esse damnatum, quòd illum agendi modum quem concipiebat putauerit ita esse exprimendum, vt ex eo diceretur Deus Auctor mali; non verò quòd reuera falsus sit ille modus, aut diuinâ bonitate sapientiaque indignus, eâdem ratione conuincetur. Quia scilicet maior pars Catholicorum idem iudicat, nec tamen errat aut Ecclesiæ repugnat. Maior, inquam, pars Catholicorum, censet rectè tribui nomen Auctoris peccati cuicumque causæ quæ ita concurrat ad malum, quo modo censet Caluinus Deum concurrere: Ergo si quid est damnatum in hac parte in Caluino, damnatum est iudicium de modo quo putauit Deum concurrere ad actus malos, non de vocibus queis putauit modum illum exprimendum esse.

CXI. His positis, postulamus iam ab Aduersariis, vt ostendant ecquæ sit differentia inter rem illam quam ipsi vel asserunt vel negant, & illam quam asserunt vel negant etiam hæretici. Si enim nulla est; nec est igitur vlla inter ipsorum doctrinam & illam quæ damnata est.

Et Primò circa rationem liberi agentis vel liberæ actionis, postulamus quid tandem rei sit hominem esse liberum in agendo, vel actionem eius esse liberam? Et postquam excussimus omnia, ex Aduersariorum sententia nihil aliud inuenimus, quàm esse Dei prædefinitionem absolutam, efficacem, infallibilem, infrustrabilem, ex quâ sequatur actio voluntatis seclusâ coactione omni ac violentiâ, & suppositâ cognitionum mediocritate tali, quæ neque ratione obiecti quod repræsentant, neque ratione modi quo repræsentant, necessitatem agendi vllam inuehant, quam aliter vocant indifferentiam iudicij. Hæc est species libertatis quæ tum in voluntate reperitur, tum in eius actione; & hoc stante, stat res illa

tota quæ dicitur libertas. Interrogo autem quid ex illâ tabellâ deleat Caluinus, & consequenter, quid tollat eiusce rei quæ apud Thomistas libertas est? Nihil enim si tollat, errat tantùm quòd eam rem quæ libertas est nolit vocare libertatem, in quo tamen vt ostendi non est pertinax.

CXII. P. Ioannes à S. Thomâ variè respondet tum ar. 5. disp. 20. tum potissimùm art. 7. Vbi ea refert quæ olim P. Lemos edisseruit coram Summo Pontifice, dum hæc causa disceptaretur. Expendamus ergo paucis huiusmodi solutiones: & videamus quam scite P. Lemos hanc difficultatem in grauissimâ illâ disputatione diluerit.

Loco citato pag. 677.

Caluinus non aliam inducit necessitatem in actus liberos quam consequentiæ. 2. Inst. c. 16. §. 9.

Caluinus, inquit, P. Ioan. à S. Thoma, posuit decretum Dei non *quomodocumque antecedens*, *sed necessitans voluntatem*. Quam verò necessitatem intelligat explicat
,, deinde P. Lemos cum dicit, Errasse Caluinum, quia non
,, distinxit inter necessitatem consequentis tollentis liber-
,, tatem, & necessitatem consequentiæ saluantis liberta-
,, tem. Audiamus igitur Caluinum, Interea quod statuit
,, Deus sic necesse est euenire, vt tamen neque præcisè
,, neque suapte naturâ necessarium sit. Exemplum in Chri-
,, sti ossibus familiare occurrit. Cum induerit corpus no-
,, stro simile, fragilia fuisse eius ossa nemo sanus negabit,
,, quæ tamen frangi fuit impossibile. Vnde iterum vide-
,, mus non temerè in scholis inuentas fuisse distinctiones
,, de necessitate SECVNDVM QVID ET ABSOLVTA: ITEM
,, CONSEQVENTIS ET CONSEQVENTIÆ. En vt Caluinus & distinctionem illam cognoscit quâ se Aduersarij saluos putant: & iuxta illam docet diuinum decretum non influere necessitatem consequentis in actionem ex eo sequutam, sed tantùm necessitatem consequentiæ, quo modo nec induxit in ossa Christi firmitatem quâ non essent in seipsis absolutè fragilia, sed eam tantùm quâ ex suppositione decreti & *secundùm quid* fragilia non essent. Quasi diceret, in se ipsa & *absolutè* seu *præcisè* à Dei decreto contingentem esse actionem prædefinitam: *secundùm quid* & ex suppositione decreti esse necessariam: at-

que ita esse quidem necessariam actionis ex prædefinitione consequentiam ; sed esse illam consequentiam rei contingentis, seu non necessariæ in seipsa *præcisè* & *suapte naturâ* & *absolutè*, quæ doctrina quomodo differat ab Aduersariorum doctrina in hunc modum argumentando quærimus.

Necessitas consequentiæ quæ excludit necessitatem consequentis, est necessitas non destruens, sed seruans libertatem, vt loquitur P. Lemos : Necessitas quam Caluinus ex Dei decreto in nostras actiones deriuari putat, est necessitas consequentiæ, quæ necessitatem consequentis excludit, vt iam visum est. Ergo necessitas quam Caluinus deriuari putat in nostras actiones ex Dei decreto, non est destruens sed seruans potiùs libertatem.

At, inquiunt, Caluinus tamen putat hac necessitate libertatem destrui. ℞. Destrui putat libertatem vestram, siue rem illam quæ apud vos est libertas; negatur : illam enim totam supponit, si quidem hæc nihil aliud est quàm operari voluntatem cum indifferentiâ cognitionum ex prædefinitione inferente tantùm necessitatem consequentiæ: destrui putat libertatem aliorum Catholicorum, siue rem illam quæ apud illos libertas est; conceditur. Vnde istis aduersari videtur re ipsa; illis verò non apparet quomodo aduersetur, nisi tantùm contrario vocum vsu, & quidem sine pertinacia.

CXIII. Sed pergit P. Ioannes à S. Thoma. Caluinum " ponere decretum non prædeterminans seruando liber- " tatem, vt dicunt Thomistæ & aperiendo cor, sed co- " gendo voluntatem & claudendo eius indifferentiam. Et " deinde refert Archiepiscopi Armacani verba, illius qui disputationibus interfuit coram Summo Pontifice. Hic enim cùm P. Lemos hunc nodum explicaret in Congregatione 38. subiecit, In hoc præcipuè Caluinum er- " rasse, quòd non admiserit efficaciam gratiæ nisi Co- " GENTEM ET NECESSITATEM. Sed de necessitate iam dictum est, de coactione Caluinum audiamus. Obtinuit autem in scholis distinctio quæ triplicem libertatem nu- " merat, à necessitate primam, secundam à peccato, ter- "

Ib pag. 677. Caluinus negat coactionem

Pag. 694.

2. Inst. c. 2. ſ. 6 7. 8.

» tiam à miseria. Quarum prima sic homini naturaliter in-
» hæreat, vt nequeat vllo modo eripi, duæ alteræ per pec-
» catum sint amissæ. Hanc distinctionem ego libenter re-
» cipio, nisi quòd illic NECESSITAS CVM COACTIONE
» perperam confunditur, inter quas quantum sit discrimi-
» nis & quàm necessariò considerandum, alibi apparebit.
En vt admittit Caluinus libertatem à necessitate quatenus necessitas cum coactione confunditur, quod est admittere libertatem à coactione, & quidem talem quæ non possit eripi. Vnde subdit postea, quod antea retulimus. Liberi ergo arbitrij dictus est homo, non quia li-
» beram habeat boni æquè ac mali electionem: Sed quia
» voluntate malè agit non COACTIONE. Optimè id quidem &c. Deinde refert & approbat quod est ab Augustino dictum *Deum homines suis voluntatibus trahere* & vt Gallicè loquitur *Sans constrainte* quod est, *sine coactione*. Vnde illam similitudinem alibi reiicit, quâ dicuntur homines à Deo moueri lapidum instar. Nullus est igitur ex hoc capite Caluini error. Neque dici potest coactionem vsquam aliter admisisse quàm prout coactio latè sumpta cum necessitate conuertitur, neque necessitatem, quàm vt vidimus, consequentiæ, in quo quantum ab Aduersarijs dissentiat, expectamus vt explicent.

Lib. de Corept & Gratia c.14

CXIV. Iam quod dicit P. Ioannes à S. Th. Caluini decretum *non esse prædeterminans seruando libertatem*, hoc est, non esse prædeterminans ad liberè agendum, & in eo differre à decreto Thomistarum; ad illud pertinet quod Thomistæ dicunt, Deum non prædefinire tantùm actiones voluntatis quo-ad substantiam, sed etiam quo-ad modum libertatis: ac proinde tali prædefinitione libertatem nequaquam tolli, sed seruari potiùs. Sed in primis cauendus hic est ineptus verborum & cogitationum circulus, qualis esset, si dum interrogo quid rei sit apud Thomistas voluntatem esse liberam; responderent, id demum esse, voluntatem non subesse in agendo alteri prædefinitioni quàm ei quâ impellatur ad agendum liberè. Hoc enim ipsum peto quid sit in re ipsa, voluntatem impelli prædefinitione ad agendum liberè; seu præ-

definiri actionem vt liberam, vel cum modo libertatis? Ad quod illi nihil habent aliud quod respondeant, nisi, hoc quod est voluntatem sic agere, vt nec ex obiectis eorum-ve propositione trahat vllam necessitatem, nec ex præuio Dei decreto aliam, quàm quæ dicitur, *consequentiæ*; non verò quam vocant *consequentis*; hoc, inquam, esse agere liberè, & prædeterminari ad sic agendum, idem esse cum eo quod est prædeterminari ad agendum liberè. Atqui Caluinus non agnoscit vllum decretum quàm quod ad sic agendum prædeterminat: quia totam semper agendi necessitatem petit ex diuina voluntate, nusquam verò ex obiectis, aut ex modo quo illa representantur: & illam necessitatem quam oriri putat ex Dei voluntate, negat esse necessitatem consequentis, sed esse necessitatem consequentiæ tantùm, vt ipsemet dicit & explicat exemplo fragilitatis ossium Christi, vt paulo antè retulimus: Ergo Caluinus reipsâ putat Deum prædeterminare voluntatem ad agendum liberè, eo libertatis modo qui superesse potest in sententiâ Thomistarum: & in vsu vocum tantùm ab ijs differt, idque non pertinaciter. Quod semper moneo à me dici more obiectantium & interrogando potiùs quàm affirmando.

Et quia quod Thomistæ dicunt *Deum aperire cor*, nec, *claudere illius indifferentiam*, eâ quam admittunt prædefinitione, sepositis verborum inuolucris ac tropis, & nudè sumptum, nihil est aliud reipsâ quàm quod dixi; nempe Deum prædefinire vt voluntas circa obiecta proposita ita necessariò versetur, vt hæc necessitas oriatur tantum ex prædefinitione, sitque necessitas consequentiæ non consequentis; sequitur in Caluini sententiâ, id ipsum sentiente, *aperiri etiam cor: nec claudi eius indifferentiam*, non secus atque in sententiâ Thomistarum quippe cum vtrisque esse videatur eadem clauis.

CXV. Nimirum habendum est præ oculis semper, id quod Thomistæ & olim & nuper docent de indifferentiâ iudicij, de qua Bannez ita loquitur. Quotiescumque actus „ voluntatis oritur ex prædicta radice iudicij, semper erit „ liber. Vnde rursus colligo, quidquid antecesserit, vel „ Caluinus non tollit indifferentiam iudicij. 1.p.q.19. art. 10.

CCcc

» comitabitur, vel superuenerit ad actum voluntatis; si
» non tollat iudicium illud circa medium respectu finis,
» non destruet libertatem operationis. Hæc consequentia
» euidens est, quia stante definitione actus liberi, necesse
» est actum esse liberum: Atqui Caluinus decreto suo seu
prædefinitione, non tollit iudicium illud: Ergo stat in eius sententiâ definitio actus liberi, atque adeo actum esse liberum.

Disp. 18. num. 23. Didacus Aluarez dum explicat quomodo cum prædefinitione ad agendum stet simul potentia voluntatis ad non agendum, rationem hanc affert Quia quamuis libertas sit formaliter in voluntate; radicaliter tamen est in intellectu: & fundatur in indifferentiâ iudicij, quo intellectus iudicat bonum propositum voluntati non habere necessariam seu naturalem connexionem cum bono in communi ad quod naturaliter determinatur voluntas. Et quoniam intellectus pro isto statu quodcumque bonum proponat voluntati, illud proponit cum indifferentiâ iudicij, ideo manet libera respectu talis obiecti quoad exercitium. Iterum dum causam affert quare sit necessarius & non liber amor beatificus, eam esse dicit.

Disp. 21 num. 43. » Quia fertur in Deum medio iudicio quo intellectus iudi-
» cat summum illud bonum habere necessariam conne-
» xionem cum bono in communi, ad quod naturaliter de-
» terminatur voluntas..... Hæc autem ratio non procedit
» de actibus quos voluntas producit in via, quamuis sint
» necessarij ex suppositione diuinæ voluntatis. Etenim de-
» cretum Dei non prædeterminat, nec mouet voluntatem
» ad illos medio iudicio naturaliter ad vnum determinato;
» sed medio rationis iudicio indifferenti, quo videlicet in-
» tellectus iudicat bonum illud prosequendum non habere
» necessariam connexionem cum bono ad quod amandum
» est naturaliter determinata voluntas, &c.

Disp. 58. §. 1. num. 3. CXVI. His similia legere est apud Gonzalem. Cui Suarez *licet*, inquit, *in vtrumque latus se vertat* probare non potest, amitti posse libertatem, stante indiffe-
» rentiâ iudicij. Iudico enim, *inquit*, prorsus impossibi-
» le voluntatem etiam ab extrinseco necessitari posse,

circa obiectum indifferenter ei propositum.

Ex quibus facile est in hunc modum argumentari, Prædefinitio actuum eliciendorum stante indifferenti ex parte intellectus propositione obiectorum, circa quæ illi actus versantur, est prædefinitio actuum vt liberorum, seu cum modo libertatis re-ipsa, & est prædeterminatio ad agendum liberè re-ipsa : Sed prædefinitio Caluini, est prædefinitio actuum stante indifferenti ex parte intellectus propositione obiectorum circa quæ illi actus versantur : Ergo prædefinitio Caluini, est prædefinitio actuum vt liberorum, seu cum modo libertatis, & prædeterminatio ad agendum liberè re-ipsa. Maior est Aduersariorum, minor patet. Tum quia Caluinus nullo vnquam loco negauit indifferentem illam obiectorum propositionem: tum quia semper in Dei decretum & non in nostras cogitationes retulit agendi necessitatem illam quam admittebat, quod est supponere nullam ex cognitionibus nostris seu iudicijs oriri agendi necessitatem: ac proinde obiecta indifferenter ab illis proponi: nec ignorauit id quod dicit Didacus, *pro isto statu quodcumque bonum proponatur, illud proponi cum prædicta indifferentia.*

CXVII. Addit P. Ioannes à S. Th. ex explicatione Patris Lemos, Thomistas admittere decretum, *non solum excitans, sicut Pelagius: non solum mouens sicut Caluinus; sed simul excitans, & mouens.* Est igitur hoc aliud discrimen, Quod Caluinus decretum inducat mouens tantum, non autem excitans. Ipsum audiamus. Hunc itaque in modum, & inchoat & perficit dominus bonum opus in nobis, vt illius sit quod recti amorem concipit voluntas, ,, quod in eius studium inclinatur, quod ad eius sectandi ,, conatum INCITATVR & mouetur. Quod si cui videatur ,, non idem esse *incitare* quod *excitare*, loquitur iterum Caluinus. Bifariam Deus in electis suis operatur, intus per ,, spiritum, extra per verbum. Spiritu mentes illuminan- ,, do, corda in iustitiæ amorem cultumque formando, no- ,, uam eos creaturam facit, Verbo ad eandem renouatio- ,, nem expetendam, quærendam asserendam EXCITAT. ,, vtroque manus suæ efficaciam pro dispensationis suæ ,,

Loc. cit. pag. 694. Caluinus admittit decretum non solum mouens sed etiā excitās.

2. Inst. c. 3. c. 9.

modo excitet &c. An non hic Caluinus apertè *excitationem*, quam Pelagiani solum agnoscebant per legem & & prædicationem exterius sonantem cum sua motione coniungit? Quænam igitur est vtriusque sententiæ differentia: & quid peccat Caluinus? Nam in Caluinistis nihil esse in hac parte quod Aduersarij meritò desiderent ostendit TVissius, cùm dicit prædeterminationem physicam Angelo datam *fuisse cùm* MORALI EXCITATIONE *coniunctam*.

Suprà disp. 4. n. 73.

Caluinus non errat in conclusione si non errat in præmissis, in illis autẽ videtur verbo tenus dissentire ab Aduersarijs.

„CXVIII. Respondet P. Ioannes à S. Th. Totum errorem Caluini consistere, non in illo antecedente, quòd datur decretum efficax & antecedenter mouens voluntatem, dum modo etiam excitet: Sed in illâ illatione, quòd tale decretum tollit libertatem. Directè autem illi contradicere Thomistarum sententiam, quæ affirmat, quòd etiam dato tali antecedenti, non sequitur quòd libertas tollatur: Sed quòd à diuino decreto conseruetur. Verum illationis huiusmodi error non est error contra summulas dialecticorum; sed contra veram philosophiam, & contra fidem. Qui propterea reduci debet in errorem alicuius ex præmissis, quæ tales quædam esse possunt apud Caluinum. Aliquam actionem oriri necessario necessitate consequentiæ ex antecedenti prædefinitione Dei, est illam non esse liberam: Sed de facto nostræ omnes ita oriuntur: Ergo de facto non sunt liberæ. Cuius conclusionis errorem, quia Thomistæ nolunt aliò reducere quam in errorem maioris; peto vt ostendant, inter ipsos negantes illam maiorem, & Caluinum asserentem, aliam esse quæstionem quàm de nomine solo. Tota enim quæstio in eo posita est, vtrum actio quæ talis est qualis ibi describitur, sit vocanda libera. Estque ille discursus huic omnino similis quo dico verbi gratia. Æthiopem esse animal rationale nigrum, est Æthiopem non esse hominem: Sed reuera Æthiops est animal rationale nigrum: Ergo reuera Æthiops non est homo: vbi vides conclusionis errorem, refundendum esse in errorem maioris, quam qui affirmant de vocum intelligentiâ tantum contendere possunt cum negantibus. Alteri

enim putant hominem significare animal rationale album: alteri præcisè animal rationale. Vnde fit vt ille qui concludit Æthiopem non esse hominem, nihil ab eo tollat eorum quæ alius ponit, quia nihil hominis illi deesse putat præter albedinem. Et qui concludit esse hominem; nihil pariter in eo ponit quod alius quoque non ponat, quia præcisè ponit tantùm animal rationale. Eâdem omnino ratione Caluinus, dum superiore discursu concludit non esse liberas hominum actiones; nihil libertatis tollit, præter id, quod ne ipsi quidem Thomistæ ponunt, carentiam videlicet necessitatis consequentiæ prouenientis ex antecedenti Dei decreto; atque ita semper peto in quo illis contradicat, nisi quòd putet nomen liberæ actionis non esse vsurpandum vbi adest talis necessitas. Id quod ille vt sæpè moneo, se dicere testatur sine pertinacia, proindeque sine hæresi.

Frustra etiam est quod refert. P. Ioannes à S. Thomâ ex P. Lemos, Caluinum errare *quod negauerit gratiam sufficientem.* Quia non quærimus iam qui sint alij Caluini errores; sed in quo propriè consistat ille, à quo nemo Catholicorum hactenus Caluinum absoluit, quo videlicet liberum arbitrium Dei prædefinitione destruitur. Loco cit. pag. 693.

CXIX. Denique iidem Auctores Caluino vitio vertunt, quòd dixerit; Nullam dari gratiam excitantem, „ seu moraliter trahentem: sed solùm vi physicâ mouen- „ tem, sicut bruta mouentur & sicut equus mouetur à ses- „ sore, hoc enim exemplo eum vti. De gratia excitante „ moraliter iam dictum est. De illâ vero physica vi, deque similitudine sessoris & equi, audiamus Caluinum. Tum soluenda quæstio, an aliquid in malis operibus Deo sit „ tribuendum. In quibus nonnullam eius actionem inter- „ cedere scriptura insinuat. Alicubi Augustinus humanam „ voluntatem equo comparat sessoris nutum expectanti, „ Deum ac diabolum sessoribus..... Quâ similitudine „ QVANDO MELIOR NON OCCVRRIT in præsentiâ, con- „ tenti erimus. Vides ab Augustino sumptam esse similitu- „ dinem illam: ac proinde, si sufficeret ad iustam suspicionem, Augustinum ipsum fore suspectum. Vides insuper

Caluinus non censet homines moueri brutorum instar.

2. Inst. cap. 3.

ne illam quidem Caluino satis probatam, quando melioris defectum queritur, minus idoneam eo ipso testatus.
2. Inst cap 3. §. 14. Vt omittam agere tantum de actibus malis. Sed vt constet, quæ sit eius mens, nec dicere possit, se fictis accusari, cum tot sint vera eius crimina; illum iterum audiamus.
» Quod autem dicit alibi, *Augustinus*, non tolli gratia vo-
» luntatem, sex ex mala mutari in bonam, & cum bona
» fuerit adiuuari; significat tantùm hominem non ita tra-
» hi, vt sine motu cordis quasi extraneo impulsu feratur,
Cap. 2. » sed intus sic affici vt ex corde obsequatur. Et iterum de bonis operibus Augustini locum ex libro de corrept, &
» gr. sic proponit. Qua ratione Augustinus, dicis mihi,
» inquit, ergo agimur non agimus. Imò agis & ageris. &
» tunc benè agis, si à bono agaris. Spiritus Dei qui te agit,
» agentibus adiutor est; nomen adiutoris præscribit, quòd
» & tu aliquid agas. *Tum suum Caluinus Commentarium ad-*
» *hibet* Priore membro admonet actionem hominis non
» tolli Spiritus sancti motu: quia à natura est voluntas quæ
» requiritur vt ad bonum aspiret. Quod autem mox adiun-
» git, ex nomine auxilij posse colligi, nos etiam aliquid
» agere; non conuenit ita accipere quasi seorsim aliquid
» nobis tribuat: sed ne foueat in nobis ignauiam, sic Dei
Ib. §. 15. » actionem cum nostra conciliat, vt velle sit à natura, be-
» nè autem velle à gratia.

Et deinde cùm dixisset diuinæ gratiæ in solidum esse
» quidquid agimus boni, subdit. Interim non negamus
» verissimum esse quod Augustinus docet, non destrui gra-
» tia voluntatem, sed magis reparari. Et mox. Nihil iam
» obstat quo minus rectè agere dicamus, quod agit Spiritus
» Dei in nobis, etiamsi à seipsa nihil conferat nostra volun-
» tas, quod ab eius gratia separetur: ideoque memoria te-
» nendum quod alibi ex Augustino citauimus, frustra
» quosdam satagere vt in hominis voluntate quidquam
» boni proprium reperiant. Quidquid enim mixturæ ex
» liberi arbitrij virtute afferre student homines ad Dei
» gratiam, nihil aliud quàm eius corruptio est..... Etsi au-
» tem quidquid in voluntate boni est, ex mero Spiritus in-
» stinctu prouenit; quia tamen nobis naturaliter ingeni-

tum est velle; non abs re ea agere dicimur, quorum lau- »
dem sibi iure Deus vendicat: primò quia nostrum est »
eius benignitate quidquid operatur in nobis modò non à »
nobis esse intelligamus. Deinde quia nostra est mens, »
nostra voluntas, nostrum studium quæ à Deo in bonum »
diriguntur. Non tolli actionem hominis: non destrui eius voluntatem, sed reparari: agere ipsum & non tantùm agi: affici ad agendum ex corde; sic etiam agere vt cum voluntate mens concurrat; an est agi more brutorum?

CXX. Hæc sunt omnia ferè capita responsionis illius, quæ coram Summo Pontifice à P. Lemos tradita est. Quibus recensitis P. à S. Thoma sic concludit. Ecce
quomodo exposita fuit sententia Caluini coram Summo »
Pontifice: vt ex hoc scire possimus quàm sine fundamen- »
to nostra sententia sugilletur, ex eo quòd in aliquo con- »
uenit vel non repugnat Caluinianæ, cùm tamen nulla »
doctrina magis è diametro illi repugnet quàm nostra. »
Sed iam liquet ex dictis, contrariâ potius demonstratione claudendam fuisse narrationem hanc, dicendumque, Ecce quàm incognita fuit Caluini doctrina Patri Lemos: & quam parum probabile est, quod narrat P. Ioannes à S. Thoma, cùm ille perorasset, ita conticuisse Cardinalem Perronium, à quo fuerat interruptus, vt etiam annuere sit visus. Quin etiam hoc quoque addendum fuit. Ecce quàm iusta est Defensorum Scientiæ Mediæ petitio, qui post tam longam tot annorum altercationem, adhuc quærunt; quæ sit re-ipsa differentia inter Aduersariorum & Caluini doctrinam in ea præcisè dubitatione quâ petitur, sit ne aut non sit in homine liberi arbitrij vsus aliquis?

Quare concludo caput hoc, eo Syllogismo cuius maio- Loco cit.
rem propositionem suggerit P. Lemos apud P. Ioannem Pag. 693.
à S. Thomâ. Si Caluinus admitteret necessitatem conse- »
quentiæ ortam ex Dei efficaci voluntate, optimè consi- »
stere cum humanâ libertate; non erraret sed verè Ca- »
tholicam doctrinam teneret. Atqui admittit necessita- »
tem consequentiæ illam optimè consistere cum liberta-

te, hoc eſt, cum eâ re quam Thomiſtæ vocant libertatem, quamque ipſe ita vocari permittit, vt multis iam oſtenſum eſt: Ergo vel ea res non eſt vera libertas, vel Caluinus non errat ſed eſt hac in parte Catholicus. Quod vt ſemper moneo non tam aſſerendi gratiâ, quam inquirendi à me proponitur.

De Auctore peccati ſententia Caluini.

CXXI. Sed reſtat aliud caput de Auctore peccati, de quo etiam petunt propugnatores Scientiæ Mediæ, quid minus ea de re Aduerſarij quàm Caluiniſtæ dixerint. Atque hæc propriè eſt obiectio illa quam *ſtupidam* vocat P. Ioannes à S. Thomâ. Ait autem Caluinum ex Belcario Epiſcopo Metenſi cenſuiſſe, *Deum neceſſitare miſeros ad flagitia*: Bezam autem dicere omnia *neceſſariò* euenire ex immutabili Dei decreto: Chriſtum *neceſſariò* proditum à Iuda, damnatum à Pilato &c. Sed hæc iam expedita ſunt dum oſtendimus Caluinum non aliam intelligere neceſſitatem, quàm eam quam Aduerſarij non negant, nempe neceſſitatem conſequentiæ.

Caluinus ſciuit diſtinguere inter materiale peccati & formale. 1. Inſt. c. 18. ſ. 4.

CXXII. Addit autem P. Lemos, erraſſe Caluinum „ quia dixit, Deum ita mouere ad malum ſicut ad bonum: „ quòd neſciret diſtinguere inter actionem & entitatem vt „ eſt entitas & actio; & inter peccatum: non erraturum ſi „ diceret concurrere Deum ad entitatem, nullo autem „ modo mouere ad peccatum. Sed Caluinum audiamus „ qui ſibi obiectionem hanc ita proponit, Hoc modo ſol„ uitur, imò ſponte liqueſcit altera obiectio. Si non modo „ impiorum operâ vtitur Deus; ſed etiam conſilia & affe„ ctus gubernat, ſcelerum omnium eſſe Auctorem: ac pro„ inde immerito damnari hominem ſi exequatur quod decreuit Deus. Hanc obiectionem ſoluit propoſito exemplo defectionis decem tribuum à filio Salomonis ad Ieroboam, quam Deus tum decreuiſſe Caluino, tum con„ demnaſſe videtur: & ſic loquitur. Videmus ergo vt Deus „ perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine iuſte velit. En vt acutè diſtinguit *perfidiæ* malitiam, & *defectionis* entitatem: & conſequenter eo ſenſu negat Deum ita mouere ad malas actiones ſicut ad bonas; quod non

intendat

intendat illarum malitiam, sicut intendit istarum bonitatem.

Sed age, producamus alia huius distinctionis testimonia Quorum illud in primis videtur manifestum, quo „ dicit. Etenim QVATENVS MALA SVNT quæ malo animo „ perpetrant homines, Deo minime placere fateor. Eá „ enim reduplicatio perspicuum est distinctionis signum inter *materiale* & *formale* alicuius actionis. Hoc etiam expressum est. Excæcatio impiorum, & quæcumque inde „ sequuntur flagitia, opera Sathanæ nuncupantur: quo- „ rum tamen causa extra humanam voluntatem quærenda „ non est, ex qua radix mali surgit, in qua fundamentum „ regni Sathanæ, hoc est peccatum residet. Longè est alia „ ratio diuinæ in talibus actionis, quæ vt certiùs nobis pa- „ teat, exemplo sit calamitas à Chaldæis sancto Iob illata. „ *Tum descripta Iobi vastatione.* Quomodo', *inquit*, idem „ opus ad Deum, ad Sathanam, ad hominem Auctorem „ referamus, quin vel Sathanam excusemus Dei consortio, „ vel Deum mali Auctorem prædicemus? Facilè, si finem „ agendi primum inspiciamus, deinde modum. Domini „ consilium est serui sui patientiam calamitate exercere: „ Sathan molitur eum ad desperationem adigere: Chal- „ dæi ex re aliena præter ius & fas lucrum quærere affe- „ ctant. TANTA IN CONSILIIS DIVERSITAS OPVS IAM „ VALDE DISTINGVIT. IN MODO NON MINVS EST DIS- „ CRIMINIS. Sathanæ affligendum seruum suum Dominus „ permittit &c..... Proprie ergo agere dicitur Sathan in „ reprobis, in quibus regnum suum, hoc est nequitiæ „ exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quòd Sathan „ ipse instrumentum cum sit iræ eius nutu ac imperiò huc „ atque illuc inflectit ad exequenda eius iusta iudicia..... „ Idem ergo facinus Deo, Sathanæ, homini assignari vi- „ demus non esse absurdum. SED VARIETAS IN FINE ET „ MODO FACIT VT ILLIC INCVLPATA DEI IVSTITIA „ RELVCEAT, Sathanæ hominisque nequitia cum suâ con- „ fusione se prodat. „

Lib. de æterno Dei præd.

2. Inst. c. 4. §. 1. & 2.

Tribuere actionem Deo, nequitiam homini, vel Sa-

thanæ, non est distinguere malitiam ab entitate actionis? Distinguere idem opus, & prout à Deo est assignare illi & *finem* & *modum* honestum; è contrario prout est ab homine ac diabolo assignare illi & finem & modum turpem, hoc est confundere turpitudinem cum actione? Deum quando cum dæmone concurrit agere *suo modo*, & exequi *iusta iudicia*: dæmonem quoque agere suo, & *exercere nequitiæ regnum*, hoc est concurrere vtrumque indistinctè: & Deum quidem ad illam actionem etiam vt mala est, aut dæmonem ad eandem vt est bona? Illud opus vt malum à Deo dicetur respici, in *quo inculpata eius relucet iustitia*? Respicietur igitur à Dæmone vt bonum, quamuis in eo illius *nequitia cum suâ confusione se prodat*. Et post tam disertam actionis & malitiæ distinctionem apud Caluinum, P. Lemos in facie solis huius, dicere non est veritus, ideo illum errasse quòd nesciret distinguere inter actionem & entitatem, vt est entitas & actio; & inter peccatum? Videat æquus Lector & iudicet: atque hoc etiam recolat quod dicit P. Ioannes à S. Thom. audito P. Lemos qui sic erat exorsus ad Cardinalem Perronium, *Illustrissime Domine ego dicam omnia quæ Caluinus dixit in hac materiâ*, tacuisse Perronium & annuere visum.

Loco cit. pag. 693.

Mitto alium præterea locum ex Caluino, cùm dicit, „ Homines mala agendo iustæ Dei ordinationi seruire, qui „ pro suæ sapientiæ magnitudine ad benè agendum malis „ instrumentis vti benè probéque nouit. Et, Totum in se „ malum homines deprehendere; penes Deum non esse nisi legitimum malitiæ vsum. Quibus idipsum quod antea diximus significat; in actione hominis malâ bonitatem esse, vt actio Dei est; malitiam tantùm vt est hominis. Quare nullum ex hoc capite discrimèn peti debet inter ipsius & Aduersariorum sententiam.

1. Inst. c. 17. §. 5. & 6.

2. Inst. c. 3. §. 5.

Ib. c. 2. §. 7.

Sed nec ex eo quod putauerit hominem peccare necessariò & non liberè. Quia vt antea ostensum est, necessitatem non aliam intelligit, quàm consequentiæ ab Aduersarijs etiam approbatam: de cætero peccare non inuitum, nec coactum, affectione animi propensissima

non violentâ coactione. Et si cui videatur id demum esse liberè peccare; non resistit, quòd logomachias oderit. Hæc igitur sit huius argumenti summa.

CXXIII. Caluinus verbo negat, re autem ipsa fatetur Deum esse Auctorem peccati, quod facere non potest nisi concipiendo in Deo quendam modum se habendi circa malas actiones, cui propriè conueniat hoc quod est *esse auctorem peccati*. Quærimus ergo quis sit ille modus, & quid super-addat ad eum etiam modum quem Aduersarij maximam partem concipiunt. Dicunt enim illi Deum decernere antecedenter & absolutè atque efficaciter vt homo faciat actionem quæ mala est: & vt necessariò necessitate consequentiæ orta ex tali decreto illam faciat: & vt faciat cum cognitione prohibitionis & malitiæ: ac proinde in omnibus circumstantiis à quibus est impossibile malitiam abesse: atque in eum finem imprimere homini motionem efficacem. Et licet homo nequiter sequatur illam motionem, Deum tamen iustè id facere ac sanctè, quòd & idoneas habeat in adytis sapientiæ suæ ita faciendi rationes, idoneosque fines intendat: & modos etiam idoneos seruet in huius operis executione. Quærimus, inquam, quid vltra citra-ve Caluinus dicat. Nam quòd negat liberam esse hominis actionem hanc; constat non rejicere rem illam quæ apud Aduersarios est libertas, quæ scilicet excludit tantùm coactionem & vt ipsi putant necessitatem consequentis, seruatque indifferentiam iudicij. Cætera verò vtriusque sententiæ inter se in quo discrepent, inquirimus.

CXXIV. Nec quisquam dicat, vt est varium incertumque ac versatile ingenium hæreticorum, Caluinum dicere contraria: & quæ adstruit iis locis quæ à nobis allata sunt, aliàs destruere. Proponenda enim essent testimonia illa priorum destructiua, quæ nusquam extant. Et cùm nos contradictionis alteram partem apertè producamus; Aduersarij nisi producant alteram; causa nobis erit adiudicanda. Præsertim cùm & Caluinistæ rigidi, qui contra Molles Caluino inhæserunt, soluendæ huius difficultatis

rationem quam illi exhibuerunt contra quos disputamus, ardenter amplectantur; vt videre est apud Amesium contra Bellarminum: & Molinæum in Anatome Arminianismi (quos diceres dum quæstionem hanc tractant audiisse in Schola Didaci Aluarez) & recentiores aliqui Thomistæ fateantur se laborare in inueniendâ illius vtriusque sententiæ distinctione, vt constat ex Ioanne Gonzales suprà citato.

Sup. n.105

Gonzalis sententia de concursu ad actus malos.

CXXV. Sed neque Gonzales ipse sociorum doctrinam satis aptâ ratione corrigere videtur cùm dicit, ideo Deum non esse Auctorem peccati, tametsi prædefiniat malas hominum actiones, quatenus actiones sunt; quia non prædefinit *purè positiuè sed positiuè simul & permissiuè: & non per se directè ac determinatè; sed vt vniuersalis motor cooperando alicui causæ creatæ*. Non est, inquam, idonea hæc ratio. Quia recurrimus statim ad primum Angeli peccatum, atque Adami, & quærimus, quænam fuerit causa illa creata quæ postulauit vt Deus tanquam Motor vniuersalis prædefiniret actum malitiæ substratum? An illam negauerit Caluinus: ac proinde an negauerit eo sensu Deum positiuè simul ac permissiuè concurrere? Quod si quæ natura fuerit, quæ requireret determinationem ad malum ab vniuersali Motore; an non ipsa mala fuerit ante peccatum? Et consequenter an non fuerit Deus qui talem condidit, malarum Auctor naturarum, vt displicere nequeat Caluinus, nisi Manichæus arriserit? Sed si verum dixisset P. Lemos, dum dixit Caluinum asseruisse prædefinitiones malorum actuum, tantùm post præuisum Adami peccatum; nonne ille obtendere iam posset eandem esse suam & Gonzalis sententiam; quippe qui supposita tantùm naturæ deprauatione diceret Deum subire rationem vniuersalis Motoris, & non prædefinire malas actiones nisi cooperando alicui causæ creatæ, quæ videretur illi ad hoc esse disposita? Vna scilicet esse posset difficilis huius nodi expediendi via; si sequeremur illorum Thomistarum sententiam quos Gonzales memorat, quosque Ledesma dicit esse *sapientissimos viros* qui

1 p. disp 59. num 18.

Loc. cit. n. 3.

prædeterminationem diuini decreti respectu actus peccaminosi præcisè negant: & Franciscum Cumel audiremus dicentem illam sententiam, neque *veram esse neque sanæ doctrinæ consonam* apud eundem Ledesmam. *Nos tantùm aliorum verba referimus, non censuramus*, ad imitationem Aduersariorum. De Auxiliis art 18. p 393

CXXVI. Sed quia P. Ioannes à S. Thoma illius quam obiecimus conspirationis suspicionem non repellit modò, sed aspergere in nos conatur; expendenda breuiter sunt quæ regerit. Dicit ergo in Congregatione 37. coram Summo Pontifice P. Lemos ostendisse nostram sententiam *minùs repugnare minusque opponi Caluino* quàm Thomistarum, hoc ferè argumento, quo concluditur nos ire in extremos errores tum Pelagij tum Caluini. Ea enim sententia cuius est principium illud ad quod reducuntur & Caluini & Pelagij errores, vtrique magis fauere censenda est: Sed talis est sententia Defensorum Scientiæ Mediæ: Ergo &c. Probatur minor. Hoc enim principium, *Voluntas Dei efficaciter mouens antecedenter, & hominum libertas non stant simul*, est principium quo vtuntur Defensores Scientiæ Mediæ: Sed in illud resoluitur error Pelagij, qui subsumit istam minorem quæ est de fide, *Sed stare debet hominum libertas*: Vnde sequitur conclusio ista *hæretica*, inquit, P. Ioannes à S. Thomâ, *Ergo non datur Dei voluntas efficaciter mouens antecedenter.* Resoluitur in id ipsum error Caluini, qui subsumit istam minorem, *quæ ponitur esse de fide, Sed datur Dei voluntas efficaciter mouens antecedenter*: vnde sequitur *conclusio hæretica*: Ergo non saluatur hominum libertas. Loco cit. pag. 694.

℞. Cogitandum esse Aduersariis quâ ratione impediri possit ne hoc argumentum desinat vel in temerariam censuram, dum hæreticam vocat propositionem quam Sancta Sedes eodem iure donauit quo eius contradictoriam, prohibitâ quacumque notâ; vel in æquiuocationem inutilem, dum τὸ *mouens efficaciter & antecedenter* alio atque alio modo sumit: vel in palpabilem ignorationem, dum Caluinum sensisse putat quæ nunquam cogitauit. An possit in nos retorqueri superior obiectio.

DDdd iij

Accipio enim conclusionem illam, quam vocant *Pelagianam* & *Hæreticam*, *Non datur Dei voluntas efficaciter mouens antecedenter:* & cum sit duplex motionis modus, vnus physicè prædeterminatiuus necessariò inferens actionem creatæ voluntatis independenter ab omni eius præuisione etiam conditionatâ, qualem admittunt Thomistæ; alius qui nec illum prædeterminationis, nec illum illationis modum habet, qualis admittitur à Defensoribus Scientiæ Mediæ; quæro quo modo intelligant conclusionem illam, *Non dari voluntatem Dei mouentem antecedenter & efficaciter?* An primo tantùm modo, an etiam secundo? Si primo; temeraria vt dixi censura est, quòd cautum sit ne inuratur nota negantibus hoc in loco doctrinam Thomistarum: Si secundo; ascendamus iam ad maiorem, quod est Principium illud in quo Caluinus cum Pelagio conuenire dicitur, *Voluntas Dei efficaciter mouens antecedenter, & hominum libertas non stant simul?* & interrogo vtrum τὸ *mouens* hîc quoque significet illum motionis modum quem intelligunt Defensores Scientiæ Mediæ? Si non illum, laborat igitur argumentum in æquiuoco vt dici solet, sumiturque *mouens* alio sensu in maiori & alio in conclusione: Si etiam illum; falsum est igitur hoc esse principium Caluini. Motio enim quam ipse intelligit, & quâ destrui putat libertatem, non est illa mitior ac temperatior quam putat multis ante sæculis approbatam à Patribus & Scholasticis, *Voluntatem,* inquit, *sic mouet Deus, non qualiter multis sæculis creditum est, vt nostræ postea electionis sit consentire*, &c. Vbi vides non quamuis motionem videri Caluino contrariam libertati, sed eam tantùm quam vnam ipse putat veram, reiectâ quam sectabantur Catholici. Atque hæc de priore argumentatione quæ dicebatur esse Pelagij.

2. Inst. c. 3. §. 10.

De posteriore quæ est Caluini, similiter peto designatâ illâ minore quam dicunt esse de fide, *Sed datur antecedens voluntas efficaciter mouens*, quem modum motionis intelligant, an eorum qui negant Scientiam Mediam; an eorum qui affirmant; an indifferenter alteru-

trum? si primum, excedunt Aduersarij dum dicunt suam doctrinam hac in parte esse de fide: si secundum, aut tertium; aut æquiuocè argumentantur quòd eo modo non possit maior intelligi, vt dixi: aut si contendunt etiam eodem modo intelligi maiorem; Caluini doctrinam ignorant, qui vt ostensum est, nunquam eo sensu negauit stare Dei motionem cum libertate.

CXXVII. Restabat examen eorum quæ Salmanticenses afferunt, vt ostendant illud quod tantopere quærimus discrimen, inter Aduersarios & Caluinistas in hac quæstione de Auctore peccati. Sed sufficiunt ea quæ diximus ad hos quoque confutandos. Tr. 4. d. 10.

Summa videlicet doctrinæ huius est, malum actum distingui primum in materiale, quæ est ipsa entitas, & formale, quæ est ipsa malitia: tum ipsum materiale iterum distingui. Sumi enim posse vel materialiter, vt sit entitas præcisè & specificatiuè, vel formaliter vt intelligatur entitas, non præcisè sed prout fundans malitiam reduplicatiuè: Ergo in formale peccati, neque Deum prædefinitione, neque hominem actione suâ directè ferri: In materiale materialiter sumptum, Deum ferri suâ prædefinitione iuxta Thomistas: In materiale formaliter sumptum, iuxta veram sententiam hominem ferri actione suâ, propptereaque indirectè in malitiam ferri: In idem etiam materiale formaliter sumptum iuxta sententiam Caluini Deum ferri suâ prædefinitione: ac proinde in ipsam etiam malitiam tendere indirectè sicuti hominem: licet ideo non peccet, quia non est legi subtus vt homo. Atque ita differentiã in inter Thomistarum & Caluini sententiam eam esse, Quod etsi Caluinus neget Deum prædefinire formale peccati; dicit tamen prædefinire materiale peccati formaliter sumptum, Thomistæ autem dicunt tantùm Deum prædefinire materiale peccati materialiter sumptum. Hæc illi. Salmanticensium cogitatio vt negetur Deus esse Auctor peccati.


CXXVIII. Verum quia longum esset persequi cætera illius distinctionis vitia, hoc tantùm dico. In primis Caluinum eiusmodi verbis nunquam vsum: esse ve-

rò vsum æquiualentibus Salmanticensium erit ostendere: ego interea non esse vsum euidenter monstro. Quia Deum & homine tendere in materiale peccati formaliter sumptum, quod est tendere indirectè in malitiam, est tendere eodem modo, vt per se patet: atqui ex Caluino Deus & homo non eodem modo tendunt: Ergo, &c. Probatur assumptum ex loco iam allato, in quo manifestum est in irruptione Chaldæorum in greges Iobi, Caluinum ex *diuerso fine* atque *agendi modo*, sic Deum à Chaldæis distinguere, vt ex eo *inculpata maneat Dei iustitia*, Chaldæorum autem *nequitia, cum sua confusione se prodat.* Quâ igitur fide iam dicemus ex Caluino Deum ac Chaldæos circa prædationem illam eodèm se modo habuisse?

Sed de his satis, deque totâ Scientiæ Mediæ Defensione quam irruentium confertim Aduersariorum impetus extorsit. Superest vt quæ sparsim agitata sunt breui Epilogo complectamur.



EPILOGVS



EPILOGVS SVPERIORVM DISPVTATIONVM,

ET BREVIS SVMMA DOCTRINÆ De Scientiâ Mediâ.

I. QVÆRITVR Vtrum Deus antequam sit constitutum an Paulus verbi gratia ad talem concionem iturus sit, vel etiam postquam constitutum est reipsa non iturum, certò sciat quem affectum liberè conciperet illius voluntas, si tamen iret: Item, vtrum antequam sit constitutum an Ioannes ad talem comœdiam iturus sit, vel etiam postquam constitutum est re verâ non iturum; certò sciat quem affectum liberè conciperet illius voluntas, si tamen iret.

Assertores Scientiæ Mediæ contendunt Deum vtrumque certò scire, quin & Thomistæ passim videri nolunt id vnquam negauisse. Vnde tota restat controuersia de ratione quâ nititur illa Dei scientia. Thomistæ siquidem contendunt, Deum hoc tantùm scire per decretum con-

ditionatum ex parte obiecti, absolutè autem existens ex parte actus, quo dicit, *Volo vt si talem concionem ille audiat talem affectum liberè concipiat*, &c, *si tali comœdiæ ille assistat, tali etiam motu liberè moueatur.* Et hanc Dei scientiam licet fateantur esse *conditionatam*, negant tamen esse *mediam*, ex eo tantùm quòd sit decretis illis posterior. E contrario alij putant nulla esse huiusmodi decreta scientiam illam conditionatam antecedentia, & quia hoc est scientiam conditionatam esse mediam ex communi consensu, ideo absolutè dicunt in Deo dari Scientiam Mediam.

II. Eò igitur, vt vides, Lector, tota hæc controuersia vergit, sint-ne an non sint isthæc decreta. Non esse contendunt Assertores Scientiæ Mediæ sequentibus argumentis.

Primum petitur ex nouitate doctrinæ adstruentis huiusmodi decreta: quam nouitatem probamus interrogando, quis ante hos annos ineuntis huius sæculi vel superioris exeuntis, theologiam hanc vel expresserit vel supposuerit? Quis, inquam, Deum cogitauit de nusquam existentibus ita sollicitum, vt pars quædam eius prouidentiæ illos etiam hominum actus dirigeret, qui numquam erunt, faceretque alios conditionatè futuros, alios non futuros? Quis has Deo curas hactenus imposuit, *Volo vt si vellem Petrum ire in talem concionem, determinaret se liberè ad talem affectum. Volo vt si vellem Paulum interesse tali comœdiæ, conciperet liberè talem voluntatem?*

Eâdem verò ratione probamus antiquitatem Scientiæ Mediæ. Esse enim antiquam huius scientiæ doctrinam non est aliud, quàm olim esse creditum esse scientiam liberorum actuum conditionatè futurorum, & non esse credita decreta ex quibus illa pendeat: Atqui reuera creditum est olim esse illam scientiam, & non est creditum esse decreta hæc: Ergo, &c. Maior patet. Minoris prima pars, quòd scilicet cognita fuerit olim & approbata scientia illa, iam vltrò conceditur ab Aduersariis: secunda pars, quòd non fuerint cognita decreta, probamus exigendo vt aliqua eorum vestigia nobis ostendantur: si nulla enim apparent apud veteres scriptores, restat vt iam

mirari meritò possimus sicuti ad conspectum nouorum fructuum.

Et hoc modo rejicimus in Aduersarios totum onus conciliandæ authoritatis. Cum enim duo capita contineat nostra sententia, quorum primum est affirmatiuum scientiæ conditionatæ, vt olim cognitæ; secundum est negatiuum decretorum illorum: Primum, quod solùm probationem requirebat à testimoniis antiquorum, iam conceditur: Secundum, de quo tota est controuersia, quodque sola negatione à nobis defenditur, probationes Aduersariorum expectare debet, quæ nullæ adhuc apparuère satis idoneæ, vt constabit ex solutione obiectionum.

III. Sed Probamus Secundò positiuè nulla esse decreta illa, inuertendo ac retorquendo coniecturam Aduersariorum quæ hoc assumit, nihil esse quocumque modo futurum, quod non sit aliquâ Dei voluntate præuiâ futurum. Constat enim apud Patres etiam de futuris absolutè contrarium potiùs dicendum esse, ex his duobus pronuntiatis quæ passim apud eos occurrunt. Primum est, Præscientiam latiùs patere prædestinatione seu prædefinitione: nec debere credi à Deo prædestinata vel prædefinita quæcumque ab illo præscita sunt, vt futura. Secundum est. Diuinam præscientiam non esse rationem cur futura sint ea quæ homines liberè faciunt; Sed è contrario quia hæc sunt liberè futura, rationem esse cur ea Deus præsciat: quæ cogitatio neque vera neque probabilis esse potest, si est necessaria futuris omnibus prædefinitio. Vid. supra disp. 1 n. 30. & disp. 2. n. 12. & seq.

Atque hoc ita est perspicuum, vt Guillelmus TVissius non dubitet quin ea fuerit sententia SS. Patrum qui Augustinum præcesserunt; quin & ipsius etiam Augustini antequam illum Pelagiana hæresis acueret: in quo nihil quidem mirum est quod Caluinista Caluino concinat, qui solum Augustinum excipit à censura cæterorum Patrum in hac de libero arbitrio & præscientia Dei controuersiâ: sed est mirabile hoc iudicium adeo placuisse nuperis Pseudo-Augustini Patronis, vt postquam Supra disp. num. 32. 1. Inst. c. 2. c. 4. & 5.

ſequuturi peccati non impedierit voluntatem creandi peccatorem? Et quia non fuit alia præſcientia quæ poſſet impedire niſi conditionata; conſequenter illam tantùm intellexerit Auguſtinus. Rurſus, ſi ſcientiam illam præceſſiſſet conditionata prædefinitio, nulla ſupereſſet ratio dubitandi, eſſetque inutilis & abſurda interrogatio. Nam cùm tota ratio dubitandi petatur ex eo, quòd videatur repugnare diuinæ bonitati vt iis benefaciat, quos præſcit abuſuros beneficio ſuo, eoque miſeriores & infeliciores euaſuros, cuinam videatur probabilis illa repugnantia, qui putet non repugnare diuinæ bonitati quòd illum abuſum prædefinierit? Fac inquam, perſuaſum eſſe Auguſtino, Dei decreto conſtitutum, vt ſi crearetur Angelus, conciperet voluntatem quæ ſcitur eſſe non poſſe niſi mala; nec illam aliter fuiſſe futuram ex hypotheſi creationis, quàm quia ſic à Deo decretum eſt; poteſtne illi mirum videri aut indignum Deo, quòd huiuſmodi Angelum creare voluerit? Et numquid potiùs quærendum fuit, cur Deus qui bonus eſt, præter & ſupra omnem exigentiam decreto ſuo futuram fecerit illam voluntatem, quàm cur poſtquam & feciſſet & ſciret futuram, non abſtinuerit à creando Angelo? Quid malum habet hoc quod eſt creare quem ſcias peccaturum; quod non habeat hoc quod eſt feciſſe vt peccaturus eſſet? Et qui de hoc nihil ſuſpicatur quin poſſit à Deo fieri, hærere poteſt circa illud? Et cùm dubitationis illius iſte ſit ſenſus, quare Deus non impedierit ne futurum eſſet peccatum non creando peccaturum; an Deus Auguſtino videri potuit impedire debuiſſe peccaturum, qui ſciret debuiſſe prædefinire vt peccaturus eſſet? Sed ſi eſſet vlla talium actuum prædefinitio, quare potiùs videretur Deus debuiſſe peccatum impedire non creando peccatorem; quàm non prædefiniendo peccatum? Et quare potiùs interrogaret Auguſtinus cur Deus peccatum, hoc eſt malam actionem feciſſet ex hypotheſi futuram; quàm cur ipſum peccatorem condidiſſet? Hoc eſt, quare potiùs non ſuppreſſiſſet peccatum omiſsâ illius prædefinitione, quàm peccatorem negatâ creatione? Erat enim compen-

diosior illa via faciliorque ac melior, seruatâ causâ, effectum præuenire nociturum, quàm exscindere vtrumque & causam & effectum. Nec si esset in potestate agricolæ, vt ex eadem arbore nascerentur boni vel mali fructus pro eius arbitratu, quisquam ab eo quæsierit, cur non succidat arborem quæ malos fructus profert, potiùs quàm cur faciat vt malos proferat, cum possit eadem ratione bonos procurare.

Atqui Augustinus ita interrogat dum petit quare Deus Angelum hominem-ue creauerit, quos sciret peccaturos. Nempe quia numquam credidit pro eius arbitrio factum vt scirentur peccaturi potiùs quam non peccaturi. Et ideo in illo malorum prouentu ex parte Dei nihil aliud agnoscit quàm hoc quod est, *Sinere*, hoc est non impedire vt mala sint, cùm dicit, ideo Deum creasse peccaturos, quia vidit *melius esse de malis benefacere, quàm mala esse* NON SINERE. Atque ita fructum occasione malorum actuum colligendum proponit, non vt motiuum cuius gratiâ Deus potuerit illos prædefinire; sed tantùm cuius Deus potuerit illos esse *sinere*, quod est permittere. Quâ cogitatione satis constat supposuisse Augustinum futuritionem illam malorum actuum nequaquam habere causam in præsenti aliquo Dei decreto, sed in suppositione possibili causæ liberæ omnibus ad agendum prærequisitis instructæ.

Aug. 22. de Ciu. cap. 1.

Supra disp. 1. cap. 4. §. 3. num. 53.

3. Probatur hoc vlteriùs ex eo quod Augustinus colligit ex futuritione conditionata pœnitentiæ Tyriorum, scilicet, *habere quosdam naturaliter diuinum munus intelligentiæ, si congrua suis mentibus vel audiant dicta, vel facta conspiciant*, quod est esse quosdam *naturaliter* dociles, seu non adeò resistentes diuinæ vocationi. Diceret autem sine dubio de conditionatè obdurandis, hinc apparere similiter in aliquibus esse naturam indocilem, & quoddam impedimentum obediendi *naturaliter* insitum. At tota hæc obseruatio euanescit, si neque obedientia illa Tyriorum, nec aliorum ista pertinacia, futura est aliter quàm quia vt esset prædefinitum est efficaciter à Deo atque ineuitabiliter. Fit enim inde vt ea prædefinitione seclusâ, neque

Tyrij conuertendi fuerint, nec alij obdurandi: commutatâ verò, & obdurandi fuerint Tyrij & alij quicumque molliendi & conuertendi: vt nulla ratio supersit inferendi exinde variam indolem & diuersam naturarum conditionem.

4. Probatur ex eo quòd aliis Patribus Origenem inter & Augustinum positis, incognitæ fuerint, ac tacitè saltem improbatæ huiusmodi prædefinitiones, quod adeò notum est, vt ideo putentur à Ianseniſtis *impegisse* in errorem, qui postea fuit Semipelagianorum: hinc enim sequitur manifestè, Augustino quoque nec cognitas fuisse nec probatas: probatur sequela. Quia constat ex libris contra Iulianum, & ex responsis ad Prosperum atque Hilarium, Augustinum Pelagianos ac Semipelagianos insectantem vsum esse testimoniis SS. Patrum illorum. quorum fusè sententiam explicat. Quis autem adeò incautum illum atque imprudentem fuisse putet, vt eam authoritatem aduersariis objiceret, cui non pareret ipse; nec videret eo se præiudicio damnandum, quando constaret illos pro libero arbitrio contra gratuitas prædefinitiones stetisse, ipse vero contra pro gratuitis prædefinitionibus pugnaret contra vires liberi arbitrij?

5. Eodem modo licet argumentari ex eo quod iidem assumunt, Latinos ita sequuturos Augustinum in his controuersiis, quemadmodum Græci sequuti fuerant Origenem. Vnde infero, non fuisse cognitas Augustino conditionatas prædefinitiones, si non fuere cognitæ succedentibus in Ecclesia Latinâ Doctoribus: atqui constat minimè istis cognitas fuisset ex toto §. 4. cap. 2. disp. 1. vbi monstratur quæ fuerit mens Præcipuorum Patrum ac Doctorum qui à tempore Augustini floruerunt: quem Catalogum augere possumus ex confessione Aduersariorum, qui dum varias in hisce quæstionibus sententias earumque Sectatores recitant, è veteribus, Scholasticis præsertim, multos nominant liberorum actuum prædefinitionibus aduersantes. Videri potest eorum enumeratio apud Ledesmam.

Loco cit. to. 1 l. 7. c. 17.

Quæst. vni de Auxiliis pag. 7. Iterum art. 24. p 72 & art. 19. pag. 189.

V. Atque hæc valere debent non solùm ad aperiendam

& art. 15. p. 301. iuxta Edit. an. 36. 1. Salmanticæ. Augustini mentem, sed etiam ad probandum Quartò immediatè quod intendimus, prædefinitiones has conditionatas minimè admittendas esse. Cùm enim eadem sit semper infallibilitas Ecclesiæ, eademque omni tempore authoritas; consequens est id omne quod ad Ecclesiasticum sensum propiùs accedit, censeri quoque debere à fidelibus accedere propiùs ad veritatem. Ad assequendum porro sensum Ecclesiæ; illa vt opinor coniectura est optima, quæ petitur ex communi sententiâ Patrum Doctorumque, quando rem dicunt inter Orthodoxos minimè controuersam. Et eâ tantùm ratione solemus vrgere hæreticos, qui se Antiquam audituros Ecclesiam pollicentur. Petimus nempe vt illius Ecclesiæ sensum in antiquorum Patrum monumentis ita inquirant: & quod eorum plerique affirmatè dixerint: id Ecclesiæ doctrinæ consentaneum fuisse non dubitent. Eodem ergo iure postulare nunc possumus, vt quæ fuerit mens Ecclesiæ iam inde ab Augustini ætate ad hæc vsque tempora, intueamur in eorum Patrum Doctorumque scriptis quos constat in sinu Ecclesiæ & didicisse & docuisse & scripsisse, & vixisse.

Ledesma supra. Et quia constat ex Leone magno, ex Prospero Aquitanico, ex Fulgentio, ex Patribus Arausicanis, ex Valentinis, ex Eucherio Lugdunensi, ex Leone IX. ex Anselmo, ex Magistro sententiarum, ex S. Thoma, quibus addi possunt, consentientibus Aduersariis, & Sadoletus Cardinalis, & Osorius Archiepiscopus, &, quamuis omittant illum, Belcarius Episcopus, atque alij Scholastici tum Nominales, tum Scotistæ; quia, inquam, ex his authoribus constat, esse aliqua præscita quæ prædestinata, prædeterminata, prædefinita non sunt; petimus vt vel vllos, vel tot, vel tantos eorumdem temporum Scriptores orthodoxos producant, qui ea de re controuersiam aliis fecerint: quod si præstare non poterunt; reliquum est, vt eam doctrinam quæ statuit non omnia esse prædefinita quæ præscita sunt, hoc est non omnia esse prædefinita quæ sunt futura, magis esse consentaneam Ecclesiæ sensui fateantnr.

Iam si verò si concedunt hoc esse intelligendum de futuris

turis tantùm conditionatè, habemus intentum & Scientia Media recipitur; si de absolutis, necessaria est ab illis ad conditionata deductio. Prædefinitio enim conditionata positâ conditione transit in absolutam, efficitque vt absolutè futurum sit, quod erat tantùm conditionatè prædefinitum, vt ideo impossibile sit negare prædefinitum esse quod est absolutè futurum, si conceditur illud ipsum fuisse prædifinitum vt esset futurum conditionatè. Vt omittam vel nullam esse rationem, vel minorem, vt dicatur necessaria prædefinitio futuris conditionatè, quàm futuris absolutè. Sed hoc argumentum fusiùs tractatur loco iam citato ex disp. 1. vbi etiam confutantur effugia inutilium distinctionum, illius præsertim quâ dicuntur non esse omnia prædefinita secundum aliquam formalitatem v. g. sub ratione mali, esse tamen prædefinita secundùm substantiam: de quo vide quæ antea dicta sunt. Disp. 1. c 3. § 4. Supra disp. 1. cap. 5 § 3. per totum.

VI. Quintò excluduntur etiam prædefinitiones conditionatæ verbis Christi loco illo Matth. 11. v. 21. *Væ tibi Corozain..... quia si in Tyro* &c. quibus Aduersarij iam non negant significari conditionatè futuram Tyriorum & Sidoniorum pœnitentiam. Quo posito in primis est euidens verbis illis contineri quandam increpationem obstinationis Iudæorum, vt comparatæ cum futurâ ex hypothesi Tyriorum obedientiâ & docilitate. Deinde etiam certum est ac de fide, iustam esse increpationem hanc & omnino consentaneam rationi, vt pote ab æquissimo Deo ac sapientissimo profectam. Tertio est manifestum lumine naturali, esse iniquas obiurgationes quibus nequiores meliorum comparatione perstringuntur, si non sit par ratio & obligationis & facultatis ad bene operandum, & auxiliorum omnium, ita vt verè possit objicere ille cui alter præfertur, *si ego habuissem auxilia omnia quæ ille habuit, nihil minus fecissem quàm ille: & ille, si non fuisset magis adiutus quàm ego, nihil etiam maius fecisset quàm ego fecerim.* Vnde superest quartò vt videamus an non talem aliquam excusationem habeant Iudæi, si verum est Tyriorum illam pœnitentiam conditionatè Vide supra disp. 1. c. 4.

prædefinitam: nec aliter esse futuram, quàm quia prædefinita est: quod argumentum tractatur disp. 1. cap. 5. §. 3. præsertim à num. 60.

VII. Sextò est argumentum quod communiter proponitur, & cuius adhuc expectatur solutio. Implicare scilicet liberorum actuum prædefinitiones illas efficaces, eo quòd destruant obiectum suum, & dum tendunt in actus liberos faciant illos necessarios. Implicat enim prædefinitionem Dei absolutam & efficacem frustrari effectu suo: ac proinde nulla est, quæ non habeat adiunctam necessitatem efficiendi quod prædefinit. Ergo si prædefinit actum liberum, est in illa necessitas efficiendi vt actus sit liber: atque ita necessariò facit actum esse liberum. Iam verò implicat vt aliqua causa necessariò producat actum liberum, quin actus liber ab illa necessariò producatur, vt patet ex terminis: sed prædefinitio necessariò producit actum liberum, ex concessis: ego actus liber ab eâ necessariò producitur. Hoc autem dico implicare contradictionem. Quia de ratione actus liberi est, vt non producatur necessariò vllâ necessitate *quam non faciat* voluntas cui liber est, vel *quæ non descendat* de tali voluntate, vt loquitur Anselmus: vnde si actus liber producitur necessariò necessitate ortâ ex prædefinitione; est & non est liber.

Explicatur hoc ampliùs, Quia prædefinitio non causat tantùm modum libertatis in actu, sed & substantiam ipsam, seu existentiam talis actus: neque per illam Deus tantùm dicit, volo vt si operetur homo liberè operetur; sed omnino dicit, volo vt & operetur homo & liberè operetur. Ergo necessariò vtrumque præstat atque efficit hæc prædefinitio, nempe vt & sit operatio, & sit libera, quod implicat. Quia vt sit libera non debet esse necessariò, vllâ necessitate quæ non descendat de voluntate cui libera est. Atque ita non potest esse vllus alius sensus decreti prædefinientis actum liberum, seclusâ Scientiâ Mediâ, quàm iste, *prædefinio vt ille actus eliciatur à tali causâ, sine vllâ prædefinitione.* Quia vt sit liber, debet fieri sine vllâ causâ quæ distincta sit à volun-

tate agente liberè, & quæ tamen inferat necessariò actum ipsum: Sed prædefinitio & distincta est, & actum infert necessariò: Ergo vt sit liber, fieri debet sine tali prædefinitione: Ergo prædefiniri vt fiat liberè, est prædefiniri vt fiat sine prædefinitione. Sed vide quæ antea dicta sunt, vbi excluduntur euasiones consuetæ de necessitate consequentis & consequentiæ &c. Vide supra disp. 1. c. 51.

VIII. Septimò vrget argumentum de prædefinitione actuum malorum. Sunt enim etiam illi conditionatè futuri, & vt tales à Deo sciuntur: Atqui Deus nec absolutè nec conditionatè facit illos esse futuros suâ prædefinitione, quòd hoc repugnet eius bonitati & iustitiæ, sequaturque ipsum esse auctorem & causam mali: Ergo scitur aliquid conditionatè futurum independenter à prædefinitione, quod est esse Scientiam Mediam. Sed quia monstratum est antea, quantum habeat argumentum hoc, & in doctrina SS. PP. & in communi sensu fidelium, atque etiam in ipsa ratione naturali fundamentum, quamque inanis sit quam Aduersarij opponere solent distinctio, dum dicunt prædefiniri actum qui malus est, non autem vt malus est; hoc solùm addam modò, Magistrum Fr. Ioannem Vincentium ex Ordine S. Dominici, quem Ledesma eiusdem Ordinis ferè semper nominat cum elogio *Doctissimi ac Sapientissimi viri*, eodem Ledesma referente, sensisse, *non prædefiniri actum malum etiam quoad substantiam & entitatem actus*, & Tridentini locum, hoc *conuincere*: seque huic sententiæ adeò adhærere tenaciter, vt ab ea *solâ Ecclesiæ authoritate dimoueri possit.* Addam etiam quod habet Franciscus de Arauio ex eodem Ordine in 1. 2. ad quæst. 3. ar. 5. vbi dicit dub. 6. num. 43. *Absque dubio parum probabile est Deum ad opera mala humanas voluntates prædeterminare etiam quoad materialem eorum entitatem.* Addam & Franciscum Cumel, qui cæteras amplectitur Thomistarum in hac materia conclusiones, fateri similiter *conuinci* se loco Tridentini: & contrarium *neque veræ neque sanæ doctrinæ consonum esse.* Quin & alios *sapientissimos viros qui etiam sequuntur doctrinam Angelici Doctoris, negare prædeterminationem ad sub-*

Ledesma quæst. vn. de Auxiliis. a. 18. p. 411. & 415. & Paulo ante pag. 391. & 399. Ex eodem Ledesmas.

ſtantiam & entitatem actus mali, vt idem Ledeſma loquitur: vt omittam Ioannem Gonzalem vnum è Principibus Aduerſariis, qui etiam interfuit diſputationibus habitis coram Summo Pontifice. Is enim dum explicat concurſum Dei ad actus malos, diſertè negat Deum ad illos ita præmouere vt Didacus Aluares crediderat, vt ſpecialem videlicet Motorem. Præmouere enim tantùm vt Motorem vniuerſalem, & quidem cooperando alicui cauſæ creatæ. Faceret autem operæ pretium, ſi nobis exponeret quæ ſit cauſa creata quæ in omnibus peccatis conditionatè futuris, & futuram conditionatè præmotionem requirat, & præſentem atque exiſtentem abſolutè prædefinitionem.

Sed nimirum hæc oſtendunt, non adeò faciles eſſe malorum actuum, etiam ſecundùm entitatem, prædefinitiones, quin pleroſque Aduerſariorum perterruerint: vt habere poſſit earum reprobatio ſufficientem apud illos quoque authoritatem. Iam vero conſtat ex P. Ioanne à S. Thoma, malos actus & eſſe & ſciri à Deo conditionatè futuros, adeò eſſe manifeſtum, vt nolit ea de re fuiſſe controuerſiam. Hæc ergo ſi coniungantur, *non eſſe dubitandum quin & ſint & ſciantur futuri conditionatè mali actus*, quod plerique omnes ſupponunt; & *nullam eorum eſſe poſſe prædefinitionem*, quod & non pauci & nobiles ac primæ inter eos notæ contendunt; quid ſupereſt niſi vt dicamus Scientiã Mediam, quæ nihil aliud eſt quàm ſcientia futurorum conditionatè independẽs à præſenti prædefinitione, vel ipſorum Thomiſtarum authoritate ſatis eſſe tutam?

Supra diſp. 3. num 1.

IX. Octauum argumentum duo ſuperiora confirmat, quatenus probat ab hæreticis non aliter deſtrui libertatem, quàm quo modo illa deſtruitur ab Aduerſariis, prædefinitione liberorum actuum, ſine directione Scientiæ Mediæ: & peccatum non aliter ab illis ad Deum referri tanquam ad Auctorem, quàm quo modo verè poteſt referri, ſi verum eſt ab eo prædefiniri malos actus. Tractatur autem hoc argumentum, quod biceps eſt, ſupra diſp. 4. Et primi capitis hæc eſt ſumma. Si hæretici nihil negent eiuſce rei quæ apud Aduerſarios eſt libertas, ab illis non

§ vltim.

possunt differre nisi verbo tenus, eâdem amborum existente sententiâ. Sed nihil negant eius rei quæ apud Thomistas est libertas: Ergo &c. probatur minor. Nam actum esse liberum apud Aduersarios nihil est aliud, quàm exerceri à voluntate nec extrinsecùs coactâ, nec per iudicium aut cognitionem necessariò determinatâ: & prædefiniri vt liberè fiat ac sine necessitate, non est aliud quàm prædefiniri vt fiat & sine coactione, & sine iudicio ad vnam partem determinante necessariò: sed potiùs vt fiat ex directione iudicij indifferentis: Atqui hæretici nihil horum negant, hoc est, non negant actum de cuius libertate disputant exerceri à voluntate sine coactione, & cum iudicio indifferenti, & non determinante necessariò voluntatem: quam enim admittunt necessitatem, in tali actu, nequaquam dicunt prouenire à iudicio; sed tantùm à Dei prædefinitione, nec quamcumque necessitatem admittunt, cum excludant quæ dicitur *consequentis*, & *absoluta*, & necessitas *simpliciter*, vt ex Caluino vidimus loco iam citato: Ergo dum talem actum esse liberum negant; aut à Deo vt liberum prædefiniri, nihil eius rei negant in qua Aduersarij ponunt rationem liberi. Ergo de verbis tantùm contenditur: Et ita contenditur vt per Caluinum liceat rem illam vocare libertatem vt dictum est. Id quod à me proponitur cum præmissis antea cautionibus. Supra disp. cap. 4. § 3.

X. Quod attinet ad secundùm caput, similiter argumentor. Si hæretici nihil rei Deo attribuunt, quando dicunt esse auctorem peccati, quod non etiam attribuant Aduersarij qui malorum actuum prædefinitiones admittunt sequitur illos verbo tantùm blasphemos esse, non autem vllâ indignâ Deo cogitatione. Atqui nihil rei Deo attribuunt, quando dicunt esse auctorem peccati quod non attribuant qui malorum actuum prædefinitiones admittunt, Ergo &c. Maior patet. Minor probatur ex Caluino, qui nusquam affirmat, sed negat potiùs Dei voluntatem & efficaciam tendere vnquam in actum malum vt malus est, ita vt malitia illi possit attribui, quam vult *totam penes hominem residere*, penes Deum *non esse nisi legitimum illius vsum*: diuersa omnino ratione Deum atque Supra disp. 4 c. 4 § 1.

ter. Quia si non est necessaria vt supponatur quod esset completa causa libera, absolutè non est necessaria: sed non est necessaria vt supponatur quod esset completa causa libera: Ergo absolutè non est necessaria. Explico argumentum. Nam cum dicimus, *si Saul veniat Ceilitæ Dauidem tradent*, supponimus Ceilitas habituros libertatem in actu primo completam ad tradendum Dauidem vel non tradendum: & illa est suppositio ex qua dicimus sequuturum vt tradant: ad quam dico non requiri præsentem Dei prædefinitionem, quod est per se manifestum. Quemadmodum enim non supponimus quod Ceilitarum libertas sit iam completa, sed quòd esset; ita neque supponere debemus, quod iam sit aliquod illius complementum, sed quòd esset: Et si quæ Dei prædefinitio necessaria sit ad illud complementum; non debemus supponere quòd iam sit, sed quòd esset, ac dicere, si esset completa Ceilitarum libertas in talibus circumstantiis, concursu rerum omnium ad agendum necessariarum (quibus verbis comprehenditur etiam prædefinitio si ea quoque necessaria sit) tunc Ceilitæ Dauidem traderent. Quod si ad suppositionem illam possibilem completæ Ceilitarum libertatis non requiritur Dei præsens prædefinitio; dico neque requiri ad conditionatam traditionis vel non traditionis futuritionem: quia suppositio causæ liberæ ita necessariò infert alterutrum libertatis exercitium hoc est, agere vel non agere, vt non sit magis impossibile supponi existentiam animalis quod neque sit rationale neque sit irrationale, quàm supponi existentiam causæ liberæ completæ, quæ neque liberè agat, neque liberè non agat: vnde sicut postquam diximus verè de illa voluntate quam possemus designare, *completa est ad amandum liberè*; inferimus necessariò, *vel amat liberè vel liberè non amat*, & Deus cui corda patent videt vtrum sit: & de alia de qua dicimus *quia completa fuit ad liberè amandum*, inferimus necessariò, *vel amauit liberè, vel liberè non amauit*, & Deus qui perpetuam habet præteritorum memoriam, videt vtrum fuerit: & de alia de qua dicimus, quia *completa erit ad liberè amandum*, inferimus necessariò

vel amabit liberè, vel liberè non amabit, & Deus qui præsentem habet futurorum præscientiam, videt vtrum erit; item quia verè supponimus quòd voluntas quam designamus *esset completa, si Deus vellet, ad amandum liberè vel liberè non amandum*, necessariò inferre debemus, quòd *vel amaret liberè, vel liberè non amaret*: & quòd Deus quem latere non potest id quod esset, scit vtrum esset; tametsi nos id scire non possimus nisi reuelante ipso. Adeò vt ad asserendum quòd alterutrum esset libertatis exercitium, nulla re alia indigeamus, quam vt asserere pariter possimus, quòd esset talis causa in talibus circumstantiis ad agendum liberè completa, si Deus vellet. Ad hoc autem asserendum perspicuum est non requiri præsentem vllam prædefinitionem.

Atque hæc sunt argumenta præcipua contra prædefinitiones liberorum actuum conditionatè futurorum, quibus seclusis Aduersarij modò non dubitant quin sit admittenda Scientia Media. Sed videamus quid illi è contrariò reponant ad easdem prædefinitiones stabiliendas.

XII. Objiciunt primò, Conditionatas enuntiationes Scripturæ Sacræ quæ præmium aut pœnam aut quidpiam aliud à Deo solo præstandum continent. Sed nihil horum est ad rem. Non enim negamus esse vllam in Deo voluntatem conditionatam ex obiecto: aut Deum prædefinire pœnam & præmium dum præcepta proponit, sub conditione transgressionis vel obseruationis: aut prædefinire gratiam, ex hypothesi quod sacramentum aliquod huic aut illi ritè applicaretur. Hoc enim necessarium est Diuinæ circa homines prouidentiæ. Quæstio est de prædefinitionibus conditionatis eorum quæ homines neque fecere vnquam, neque faciunt, neque facturi sunt, sed quæ facerent, si Deo placeret hanc aut illam conditionem ponere; quarum contendimus nullum in Scriptura Sacra extare vestigium; nullam autem esse consequentiam à prædefinitionibus necessariis ad otiosas & inutiles: item neque à prædefinitionibus eorum quæ Deus vel solus, vel cum aliqua causa necessaria faceret, ad

Vide supra disp. 4. n. 32. 38. 39.

ad prædefinitiones eorum quæ non est facturus nisi causa libera concurrente.

Objiciunt secundò Salmanticenses locum illum, *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris?* Ex quo loco ita est argumentandum, Deus discernit benè operantem à non operante: & operans præ non operante nihil habet quod non acceperit: Ergo dantur prædefinitiones conditionatæ liberorum actuum eliciendorum ab hominibus. Sed quis non videt interiacere tantum inter illud antecedens & hoc consequens tractum, nulla vt esse possit consequentiarum catena satis longa qua extrema illa rectè connecti queant? Negato quippe consequente, multi adhuc modi suppetunt intelligendi benè operantem omnem Dei beneficio discerni ab omni non operante: nec habere illum quidquam præ isto quod non acceperit. vel admissis prædefinitionibus absolutis è Scientia Media pendentibus: vel sine illis agnito speciali beneficio, in eo quòd Deus decreta conditionis positione, futurum conditionatum transire faciat in absolutum: vel etiam admissa interdum omnimoda paritate antecedenti, inter eos quorum alter pro sua libertate diuina gratia benè vtitur, alter non bene vtitur etiam pro sua; quæ quia fusè tractata sunt antea, non sunt hîc amplius repetenda.

XIII. Objiciunt Tertiò *illustrem* Augustini locum ex lib. de Prædestina. SS. vbi quod dicitur in libro Sapien. de illo qui raptus est ne malitia mutaret eius intellectum; negat Augustinus dictum esse *Secundùm præscientiam*, sed tantùm *Secundùm pericula huius vitæ*, Deum enim *non præsciuisse quod futurum non erat*, illum scilicet peccaturum, sed *præsciuisse quod futurum erat*, nempe illum immaturâ morte moriturum. Dicunt ergo Augustinum dum negat præscientiam *malitiæ* conditionatè futuræ, illam negare pro signo rationis quod antecedit prædefinitionem, quasi constaret illam concedere pro signo rationis quod sequitur. Sed præterquam quod Salmanticenses cogitationes Augustini gratuitò insigniunt huiusmodi *signis rationis*, quorum hoc loco neque Supra disp. 3. cap. 2.

mentio neque vestigium apparet vllum: non vident quo signo & quo sensu præscita negatur malitia eius qui rapitur in iuuentute, eodem signo eodemque sensu præscitam dici eiusdem immaturam mortem? Hæc autem est-ne præscita in eo signo quod antecedit decretum liberum? Et alio-ne sensu dicitur præscita quàm per absolutam præscientiam? Negat igitur Augustinus absolutam præscientiam malitiæ futuræ, hoc est eam tantùm quæ idonea est exhibendo merito, cuius intuitu Deus moueatur ad aliquod beneficium concedendum. Contra falsam videlicet Semipelagianorum cogitationem, qui indiscretè vtebantur absolutâ & conditionatâ meritorum præscientiâ, vt inuenirent in nobis initium aliquod & meritum primæ gratiæ, ita vt cùm absoluta præscientia deesset, perinde valere dicerent conditionatam. Atque in hac Augustini interpretatione consentit nobis P. Ioann. à S. Thoma, vt videantur Aduersarij clypeum nobis alij contra alios quo tegamur subministrare. Sed de his plura superius disputatione tertia cap. 3. §. 3.

Supra disp. 3, num. 38.

Objiciunt Quartò locum *egregium* ex eodem Augustino, qui dum emendat id quod olim responderat, *Christum scilicet tunc apparuisse quando sciebat & vbi sciebat esse qui in eum credituri forent, sine præiudicio tamen aliarum & latentium causarum*; hæc addit. Quid verius quam præscisse Christum qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrum prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi. I. vtrum eos tantùm præscierit, an prædestinauerit Deus, tunc quærere ac disserere necessarium non putaui. Quibus Verbis Augustinus supponere videtur ideo Christum præsciuisse credituros, quia Deus credituros prædestinauerit. Et quia quæstio est de scientia conditionata, sequitur ideo præscitam conditionatè fidem illam, quia erat prædestinata, hoc est conditionatè prædefinita. Qua in interpretatione conspirat Ioann. à S. Thoma cum Salmanticensibus; adeò vt *iugulatam* hîc putet ab Augustino Scientiam Mediam. Sed quia iam abunde monstrata est

De Præd. SS. cap. 9.

huius argumenti vanitas : breuiter respondeo, Augustinum illis verbis, *vtrum eos tantùm præscierit an prædestinauerit*, intelligere prædestinationem, non quæ præcedat sed quæ accedat præscientiæ fidei conditionatè futuræ, faciatque illam de futura conditionatè futuram absolutè. Atque hoc dico manifestum esse ex iis quæ mox subiungit, responsionem illam potuisse aliis verbis ita concipi, *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, quando sciebat esse qui* ELECTI *fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Constat enim his verbis, *prædestinationem* illam, cum hac *electione* confundi. Electionem autem hanc æternam & ante mundi constitutionem, quam certissimum est apud Augustinum esse propriam saluandorum, confundi posse cum prædefinitione conditionatâ, quæ si vlla est, reprobis iuxtâ & electis communis est, adeò est absurdum, vt qui ea de re dubitet, videri possit non legisse Augustinum. Supra disp. 3. cap 3. §. 2.

XIV. Objiciunt Quintò propositam Augustino Massiliensium doctrinam, quæ duo capita continebat : alterum, dari Scientiam Mediam, hoc est conditionatam & independentem à prædefinitione ; alterum, esse illam vtilem & exhibere Deo idonea gratiæ decernendæ merita : vtrumque autem esse ab Augustino reiectum in libris de Prædest. SS. & de bono Perseu. ℞. Præcipuum caput doctrinæ Massiliensium fuisse, dari præscientiam absolutam aliquorum meritorum à diuina gratia seu gratiæ præparatione independentium; sed quia senserunt vrgeri se quibusdam instantijs, quas soluere non poterant per absolutam præscientiam, confugisse ad conditionatam ; Augustinum ergo negare constanter præscientiam omnem meritorum quæ à Diuinâ gratiâ non pendeant, vel decretâ de facto vel decernendâ hypotheticè, siue illa fingatur esse absoluta siue conditionata : præscientiam verò meritorum conditionatam ex hypothesi gratiæ futurorum, independentem à præsenti prædefinitione aio nusquam esse ab eo reiectam, sed reiectum tantùm eius abusum vt *ineptissimum, insanissimum, absurdissimum*, quatenus ea putabatur suggerere Deo

idoneum motiuum prædestinationis & gratiæ: ita vt daretur causa ex conditione suspensa quæ tamen esset causa effectus absolutè positi: neque hactenus productum est aliquid ab Aduersarijs in contrarium; sed perpetuò falluntur, dum quod dicitur contra præscientiam absolutam Massiliensium, interpretantur de conditionata: & quod dicitur contra peruersum conditionatæ vsum, in eius substantiam detorquent: vt constat ex dictis antea.

Disp. 3. c. 3. §. 1. 2. & c. 4. §. 1. 2. 5.

XV. Objicitur Sextò post Augustinum S. Thomas, quem constat nullo vnquam loco de Scientiâ Mediâ disputasse: nec aliud restat quàm vt videamus quam ille partem huius controuersiæ supposuerit; quæue maiorem ac magis necessariam habeat cum eius principijs connexionem. Sed cùm non aliam inesse velit actibus liberis existendi necessitatem, quam quâ dicere solemus, *necesse esse Socratem currere cum currit*, hoc est, quam facit ipsa rei existentia, & quæ de ipsa causæ libertate descendit, vt Anselmus loquitur, non de æterna prædefinitione: Cùm dicat scientiam visionis quâ futura præsciuntur, ita se habere ad illa, quemadmodum se habet hominum visus ad ea quæ illis præsentia sunt, quod est, diuinum intuitum non magis ex prædefinitione futurorum pendere, quàm pendeat hominum visus ex antecedenti voluntate præsentium: Cum ex præsentiâ futurorum in æternitate, rationem petat cur illa præsciantur, quia non putat apud Deum esse aliquid aliud cum quo illa connexa sint, & ratione cuius præsciri possint: ac proinde nullam esse eorum prædefinitionem præscientiæ præuiam: Cum neget in causa libera omnibus ad agendum requisitis munita, ita posse cognosci futurum effectum, quemadmodum cognoscitur in necessaria; v. g. in voluntate omnibus ad amandum necessarijs prædita, ita posse cognosci futurum amorem, sicut in igne omnibus necessarijs ad calefaciendum prædito cognoscitur futurus calor; quod supponit minimè determinatam esse voluntatem concurrendi cum causis liberis, quæ est vnum ex requisitis illis, & consequenter nec esse præ-

Vide supra disp. 4. c. 2. §. 2.

definitiuam, ſicut determinata & prædefinitiua eſt voluntas concurrendi cum cauſis neceſſarijs: Cum diſertè dicat diuinam præſcientiam excedere in quibuſdam prædeſtinationem, quod eſt non eſſe prædefinita omnia quæ præſciuntur vt futura: Cum petat infallibilitatem prædeſtinationis ex multitudine auxiliorum quibus aliquis iuuari poteſt, altero alterius inefficaciam perpetuò ſupplente, quæ deriuanda potiùs eſſet ex ipsâ prædeſtinatione in quodcumque medium, nullo non exiſtente infallibili quod diuina prædefinitio adhibuiſſet: Cùm prædefinitio coniuncta præſcientiæ tam bene illi det habitudinem cauſæ reſpectu præſciti, quàm eidem coniuncta prædeſtinatio, & tamen S. Thomas neget apertè omnem præſcientiam importare habitudinem cauſæ reſpectu præſciti, ſed eam tantùm cui accedit prædeſtinatio, quod euidenter monſtrat non putare illum omni præſcientiæ coniunctam eſſe prædefinitionem præſciti: Cum, inquam, hæc & alia id genus multa quæ paſſim occurrunt apud S. Thomam ſtare non poſſint cum actuali & abſoluto ex parte actus & efficaci decreto circa quodcumque futurum etiam conditionatum: vnde ſequatur & eſſe & ſciri tale quoddam futurum ſine prædefinitione, quod eſt admittere Scientiam Mediam; quis non videt eamdem ſcientiam, tam eſſe principijs & menti D. Thomæ conformem, quàm eſt aliena tum à principijs tum à mente Thomiſtarum?

Quæſt. 12. de Veritate art. 10. in corp. Quæſt. 6. de Ver art. 3. in corp.

ibidem.

Nam quæ illi prætexere ſolent, euaneſcent facilè, ſi caueris ne quod dicit S. Thomas de aliqua præſcientia, dictum interpretentur de omni: ne quod eſt intelligendum de abſoluta, dictum velint de conditionata: ne quod dicitur conditionatè futurum dependenter à Deo ſolo, extendatur etiam ad futurum dependenter à Deo & cauſa creata libera: ne quæ includitur in hypotheſi ſeu conditione ex qua futurum aliquid dicitur, Dei voluntas, aut Dei gratia; intelligatur actualis eſſe ac de facto poſita: ne denique quod Pennotus queritur, & quod TViſſius dolet accidiſſe Didaco Aluares, qui hæc argumenta colligunt humani aliquid patiantur, & S. Thomæ ſententiam

non ſatis fideliter repræſentent. Vide quæ dicta ſunt ſuperiùs.

Diſp. 1. n. 46. & diſp. 4. n. 17. & ſ q. XVI. Objiciunt Septimò Salmanticenſes Concilium Tridentinum,à quo cenſent tacitè reprobatam eſſe ſcientiam mediam, quando eam non adhibuit ad explicandam liberi arbitrij cum Dei prouidentia concordiam. Sed reſpondemus eodem etiam argumento confici, tacitè quoque reprobatam à Tridentino prædefinitionum efficaciam illam, quâ dicitur Deus efficere non ſolùm ſubſtantiam liberarum operationum, ſed etiam modum ipſum libertatis. Conſtat enim Tridentinum eâ ratione nuſquam vſum vt oſtenderet cum dei decretis ſtare hominum libertatem. Verùm non tacitè ſolùm, ſed & pluſquam tacitè reprobatas huiuſmodi prædefinitiones facilè conjiciet, qui Seſſionem illam ſextam excuſſerit: vbi non ſolùm ſtabilitur libertas arbitrij, ſed ſimul declaratur in quo illa poſita ſit, nempe in eo quòd *poſſit diſſentire*, quod *abijcere* Dei motionem. Quæ quia manifeſtè deſignant facultatem agendi & non agendi, quæ alio nomine vocatur *indifferentia*, ideo qui iam caput extulere, ex damnato quondam à Pontificibus Baio recentes pulli, oppugnatores *indifferentiæ*, vt pote contrariæ prædefinitionibus contra Tridentinum obmurmurant: Et qui conciliator eſſe cupijt Milleterius, ad vtriuſque ſententiæ concordiam opus eſſe putauit exiguâ paucorum Tridentini verborum righturâ; vt certum ſit, Aduerſarijs potiùs cogitandum eſſe quomodo ſuas contra Tridentinum prædefinitiones tueantur, quàm nobis quomodo ſine illis Tridentinum ſequamur.

Supra diſp. 4. num. 95.

XVII. Objiciunt octauò Salmanticenſes, ſcientiam mediam à tempore Auguſtini & cognitam fuiſſe Patribus & Scholaſticis antiquis, & communi conſpiratione *reprobatam*, vnde putant dici debere *ſcientiam reprobationis*. Eorum vero Auctorum Catalogum texunt bene longum, deſignatis quo quiſque vixit temporibus. Sed eſſe hoc inane quoddam Calendarium, conficitur primò, ex eo „ quod dicit P. Ioannes à S. Thoma; Omitto antiquos „ Doctores, quorum licet plures afferant Villegas citatus,

Diſp. 10. dub. 7. & 8.

Aluares & Theologi Carmelitani; tamen quia non ita ex professo controuersiam hanc de scientia media disputarunt, illos omittimus, & ad prædictos auctores remittimus, quibus verbis satis indicat nolle se in his citationibus Salmanticensium fidem præstare. " Disp. 10. art. 6. p. 691. "

Secundò, quia vt iam sæpe dictum est, & sæpe dicendum recurrit, cùm tota hæc doctrina scientiæ mediæ assertiua, contineatur hac propositione coniunctâ, *Datur in Deo scientia conditionata futurorum: & non datur eorum prædefinitio*; necesse est vt qui eam respuunt vel primam illius copulatiuæ partem negent, vel affirment secundam. Sed prima ita certa est vt disputari de illâ nolit P. Ioannes à S. Thoma, nec ad eam probandam antiquorum testimonia congeri. Videndum ergo esset vtrum *cuncti ferè* illi quos citant Salmanticenses num. 104. & à quibus reprobatam dicunt scientiam mediam num. 119. & num. 120. admittant prædefinitiones humanorum actuum conditionatè futurorum seu boni seu mali sint. Et quia ita sentire putandi non sunt quotquot dicunt præscientiam latiùs patere prædefinitione: non posse cum prædefinitione stare humanorum actuum libertatem: Deum esse auctorem mali, si prædefiniat etiam materiale peccati: Ideo præsciri futura quia futura sunt, non è conuerso: non habere Deum apud se vel in suis decretis rationem cognoscendi futura libera, sed neque in eorum causis: necessitatem agendi quam non facit voluntas, vel quæ de ipsius libertate non descendit, cadere non posse in causam liberam, & similia; non est dubitandum quin eruditus Lector qui non nesciat quæ fuerit antiquorum super his placitis sententia, non tantùm neget *cunctos ferè* admitterè prædefinitiones conditionatè futurorum; sed prætereà iudicet *nullos ferè* sic esse Philosophatos: & tum in hoc Salmanticensium catalogo, tum in citationibus auctorum qui absolutas & efficaces omnium actionum liberarum prædefinitiones approbare putantur (tr. 4. de Voluntate Dei disp. 10. num. 56.) forte potiùs quam prouidentiâ, Scriptores nominari. Id quod ex eo confirmari potest, quod ijdem ipsi quos Salmanticenses tanquam

ſibi conſentientes laudant, à Ledeſma cuius ſententiam ſequuntur Salmanticenſes, inter Aduerſarios numerentur, vt ſunt v. g. Ioannes Vincentius, Valdenſis, Cumel dum agitur de prædefinitione actus mali. Quid quod nonnullus etiam reperitur, qui ab iiſdem Salmanticenſibus recenſetur & inter eos qui tuentur prædefinitiones omnium operationum liberarum num. 56. citato, & inter eos qui negant prædefinitiones malarum etiam quoad ſubſtantiam, vt eſt Machin. Et hæc certè ſatis oſtendunt probationibus illis & citationibus deeſſe limam.

XVIII. Atque ex his patet reſponſio ad id quod Salmanticenſes toties inculcant de Auctoritate Scholæ Thomiſticæ, quam credibile non eſt vel ignorare potuiſſe quod in Auguſtino & D. Thoma cæteriſque Scriptoribus antiquis contineretur; vel ſi non ignorauit accuſare voluiſſe. Patet, inquam, reſponſio. Nam cùm pars vna Thomiſtarum eaque maxima, ſi credimus Ioanni à S. Thoma, omninò doceat ſcire Deum futura conditionatè; pars altera omnino neget huiuſmodi futurorum prædefinitiones, vt ex eodem Auctore colligitur, atque etiam ex Salmanticenſibus; quis poteſt plus tribuere Thomiſtis, quàm qui partes ambas amplectitur & probat: dum aſſerit, & cum vnis Deum certò ſcire quæ ſunt futura conditionatè: & cum aliis, nullas eſſe talium futurorum prædefinitiones? atqui hoc tantùm dicunt qui pro ſcientia media ſtant: nihil ergo dicunt quod non ſit Thomiſticum. Quod attinet ad diligentiam in voluendis Antiquorum ſcriptis, Auguſtini præſertim; non erit fortè ſuperba ſuſpicio, quæ putet fieri poſſe vt quis in eo ſtudio ſit oculatior. Cum videat inter primarios huius controuerſiæ, quæ tota dicitur eſſe Auguſtiniana, Diſputatores, non deeſſe qui citet Auguſtinum libro quinto contra Iulianum Apoſtatam.

Supra diſp. 5. cap. 1.

Ledeſma a. 17. p. 342

Objiciunt Nonò Iudicium 30. Cenſorum qui vna cum Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. Scientiam Mediam condemnarunt, vt conſtat ex teſtimonio eius viri quem & opinio ſanctitatis dum viueret, & miracula poſtquam vixit edita, teſtem eſſe probant omni exceptione

exceptione maiorem. Sed respondemus in primis hoc argumentum eâdem suspicione laborare quâ recentes omnes atque inauditæ antiquorum gestorum narrationes, qualis olim erat Ioannæ Papissæ fabula, & quod est ante aliquot annos auditum, Xauerium non fuisse Iesuitam, Ignatium cum maximè vellet Theatinum esse nequiuisse, quam repulsam miseratus sine dubio qui nuper scripsit Abbas Caetanus recepit illum in Ordinem Benedictinorum, propediem futurum, vt opinor, Camaldulensem.

Secundò de miraculis iam dixi: addendi etiam erant radij, quos Hiacynthus Coquetius emicuisse scribit ex facie Patris Lemos, dum ille scientiam mediam oppugnaret in illa celebri disputatione coram Summo Pontifice Clemente VIII. & Paulo V. appellatque tanti miraculi testem certè locupletem, illorum scilicet Successorem Vrbanum VIII. Qui tamen appellanti secus ac ille sperauerat, respondit: neque passus est eiusce rei memoriam sibi persuaderi, quam numquam sciuerat. Videri possunt monumenta Romanæ Inquisitionis anni 1642. Damnatus est liber Coquetij.

Tertiò respondeo totam illam Salmanticensium narrationem admodum vagam atque pendentem, cum confirmare vellet P. Ioannes à S. Thomâ, confusiorem reddidisse, vt constabit omnia conferenti, iuxta ea quæ discussimus antea. Supra disp. 4. cap. 1.

XIX. Objicitur decimò communis ratio quam TVissius perpetuò voluit, nihil esse posse futurum & à merè possibili distinctum, sine aliqua causa; nec aliam esse posse causam effectus futuri conditionati, quàm præsentem in Deo illius prædefinitionem. Sed est obuia solutio, satis esse, si proportionem habeat existentia causæ cum existentia effectus: & sicuti necessarium est, vt effectui qui est, assignetur causa quæ etiam sit; ita sufficere, si effectui qui erit, assignetur causa quæ erit, quamuis modò non sit: & effectui qui esset assignetur causa quæ esset. Scientia Media constat hac duplici asser-

sertione, *Deus velle potest vt sit talis causa cum talibus circumstantijs, etiamsi forte de facto illud nolit*, & si *hoc vellet Deus, causa quæ tunc esset, esset causa cur hoc sequeretur, & illud*. Quare hoc autem? Quia nimirum esset causa libera & determinans alterum oppositorum. Ergo sicut de eo quod ita dicitur sequuturum, nihil aliud affirmatur, quàm quod esset; ita neque debet aliud de causa illius determinatrice affirmari. Nisi fortè aliquis mauult, præsentem suppositionis causæ liberæ possibilitatem, dici sufficientem causam futuritionis hypotheticæ illius effectus, de quo plura in 1. disp. n. 19. & 21.

XX. Instant, absolutè futurum postulare præsentem causam: ergo & conditionatum. ℞. Disparem esse rationem. Quia enim necesse est vt omnis Dei voluntas quæ erit, iam sit; fieri non potest, quin futurum absolutè quod necessariò postulat aliquam Dei voluntatem pro tempore illo quo futurum est, eandem voluntatem iam supponat præsentem; sed quia non est similiter necessarium, vt Deus velit actu quidquid velle posset, ideò quod sequeretur ex illa Dei voluntate quæ posset esse, non debet illam præsentem supponere, & ideo frustra confingitur decretum præsens.

Disp. 10 ar. 8. pag. 668. Vide suprà disp. 4. cap. 3. §. 2.

XXI. Objicit vndecimò specialem difficultatem P. Ioannes à S. Thoma petitam ex decreto concurrendi quod inuolui debet necessariò in antecedente propositionis conditionatæ quæ Scientiam Mediam enuntiat: neque enim facilè explicari posse quod, aut quale sit illud decretum, quin statim exoriantur multæ difficultates quæ nos *acriter mordeant*; vel enim concurrere Deum cæco modo, si concursum suum in incertum offerat; vel si eum determinet, fieri necessariam consequentis ex antecedente sequelam, eamque ita cuilibet obuiam, vt Deus ea ex parte vix esse possit homine doctior; fiatque insuper hæc Scientia inutilis ad eos fines quibus ipsi prodesse illam contendimus. Quis enim non idem sciat quod scit Deus, dum dicit, si vellem determinatè concurrere cum Petro ad amorem, ille amaret? Et hoc quidi

iuuat vt suauior sit, & libertati magis attemperata illius amoris prædefinitio?

Respondemus specialem hanc difficultatem esse communem illam, quomodo sit concipiendum decretum quo Diuinus concursus præparatur causis liberis: & dicimus ita esse concipiendum, vt ille concursus indifferenter offeratur, & non determinetur à Deo ad amorem potiùs quàm ad odium aut non amorem, hoc modo. *Volo vt virtus mea ita sit in potestate huius voluntatis in his circumstantijs, vt illa pro sua libertate, vel ea vtatur ad amorem, vel vtatur ad odium, aut ad non amorem.* Posito autem tali quodam decreto, dicimus Deum videre determinatè sequuturam nunc puram amoris omissionem, nunc amorem ipsum, nunc odium.

Igitur in antecedente propositionis conditionatæ, dicimus inuolui tale quoddam decretum quo dicat Deus v. g. Quamuis nolim modò prædicationem & miracula „ occurrere Tyrijs & Sidonijs, neque necessariam intus „ gratiam ad pœnitendum vnâ cum concursu etiam ne- „ cessario præparari; possum tamen hoc velle; & si vel- „ lem, itáque meum concursum offerrem indifferenter „ ad pœnitentiam, aut non pœnitentiam, video Tyrios „ illo ad pœnitentiam determinatè vsuros. Intelligit ergo „ Deus in antecedente propositionis conditionalis quâ Scientia Media exprimitur, concursum suum indifferenter oblatum Tyrijs; poteſtque in aliâ hypothesi videre determinatè suspensum, aut reiectum, aut acceptatum potius ad impœnitentiam. Neque dicendus est Deus offerre concursum suum cæco modo, qui quàm primum intelligit suppositionem oblationis in antecedente, tam primùm videt euentum acceptationis in consequente: vel certè reiectionis, prout rei veritas fert. Quâ in re Deum nos longè oculatiorem cogitamus quàm Aduersarij; quorum ex sententiâ, primò ante actuale ac præsens decretum Deus nihil videt in hisce futuris: post decretum verò, videt hoc tantùm quod, propè dicam, videre possint & noctuæ. Explica enim quæso quidquid

diuinâ mente voluitur circa Scientiam istam conditionatam, & apparebit hæc species. *Prædefinio efficaciter, vt si Tyrijs proponeretur Euangelium, daretur illis efficax gratia: & vt ex illa efficaciter etiam sequeretur pœnitentia.* Quid quæso est in illa Scientia quod Dei oculos commendet? An quod sibi conscius sit suæ prædefinitionis? Quis mortalium non est etiam suæ? An quod ex illâ sequuturam videat ex hypothesi gratiam efficacem, hoc est Physicè prædeterminantem, & ex illa gratia pœnitentiam? Hoc verò quis hominum ignorauerit? An est quisquam qui nescire possit ex omnipotenti prædefinitione sequuturum id quod prædefinitum est?

XXII. Nempe hoc tantùm singulare est ac Deo dignum, quod & supra finitarum intelligentiarum conatus omnes procul eminet, occupare cognitione nutus omnes creatæ voluntatis: eamque suæ scientiæ comprehensione sic obsessam tenere; vt quantumuis sibi, hoc est suæ mutabilitati libidinique permissa, neutram tamen in partem inclinare se possit, quin omnes illius motus intuitus diuini radio statim feriantur: neque solùm quæ fuere, vel sunt, vel erunt eius consilia; sed quæ forent etiam ex variâ hypothesi Deo spectatori obnoxia sint, stentque semper sub ictu diuini iudicij. Atque hæc est illa Sola *Diuinatio* quæ *idoneum* est ex Tertulliano *diuinitatis* ARGVMENTVM. Hæ *alteræ tenebræ* quibus præesse dicitur Deus ex Minutio Felice. Nam diuinare quod ipse dispofueris, hoc est tuum te secretum scire, non alienum; quid habet eximium? Ne pueri quidem adeò ineptè ludunt, vt ille fortunatus habeatur qui diuinat id quod ipse absconderit. Deus verò quid ampliùs facit, dum hoc tantùm diuinat quod ipse prædefiniuit? videat igitur Lector hæc obiectio an alios dentes habeat, quàm quibus Aduersarij *mordeantur.* Sed hæc fusiùs suprà disp. 4. cap. 3.

XXIII. Obijcit duodecimò Auctor Anonymus libri de Ordine. Deum non posse videre futura conditionata neque in se, neque in ipsis, neque in alijs eorum causis: er-

go nullo modo. ℞. Argumentum hoc postulare quæ sit obiectiua ratio cognoscendi futura conditionatè: ac dico, nullam esse distinctam ab ipsis, atque hoc sensu Deum videre illa tantum in seipsis, quatenus non videt in seipso, neque in alijs eorum causis tanquam in medio cognito.

Et dum instant, Sed hæc futura in seipsis nihil sunt. ℞. Neque etiam cognoscitur quod sint aliquid, sed tantùm quod essent: hoc autem quod intelligitur cum dicitur quod essent; verum est, seu quod est idem, est affirmabile ac cognoscibile ab infinita intelligendi virtute. Vide suprà disp. 2. cap. 2. & seq.

XXIV. Decimò Tertiò restat obiectio illa trita, quod cum Dei Scientia sit iam ab antiquis Scholasticis bifariam diuisa, in Scientiam simplicis intelligentiæ, & Scientiam visionis: atque hæc quæ dicitur Media sic appelletur quòd ad neutrum ex prædictis membris reuocari possit; esse hoc argumentum valde probabile nouitatis, & doctrinæ antiquitati contrariæ. Sed facilis erit huius argumenti solutio, si impetratum fuerit à Thomistis vt Scientiæ conditionatæ pendentis ex prædefinitione similiter conditionata locum inueniant in illâ vulgari diuisione. Eodem enim iure inuenire poterit & Scientia conditionata quæ tales prædefinitiones excludit. Et addo, cùm hæc Scientia fuerit ab Antiquis supposita potius quàm explicata, non mirum esse, si locum illi seorsim in prædicta diuisione non dederint. Decuisse verò vt qui eam ex Antiquorum monumentis eruerunt distinctè probandam ac defendendam, locum ei attribuerent in numero Diuinarum Scientiarum: medium verò locum inter Scientiam simplicis intelligentiæ, ac Scientiam visionis potuisse videri aptissimum, quòd ea plus aliquantò quàm Scientia possibilium, quæ dicitur esse Scientia simplicis intelligentiæ, & aliquantò minus exprimat, quàm Scientia existentium absolutè pro aliquâ saltem differentiâ temporis, quæ vocatur Scientia visionis: Ergo & sortitam esse nomen idoneum quando Scientia Media dicta est.

Hæc sunt omnia ferè quæ fieri consueuerunt pro conditionatis prædefinitionibus & contra Scientiam Mediam argumenta. Tuum erit Optimè Lector, hisce omnibus æquâ lance libratis, videre vtra pars præponderet. An illa quæ præsentes conditionatorum omnium prædefinitiones rejiciendo, Scientiam conditionatam facit Mediam: an illa, quæ tales obtrudendo prædefinitiones, Scientiam Mediam respuit, cùm acceptare cogatur conditionatam.



EVGENII PHILADELPHI ROMANI.

EXERCITATIO SCHOLASTICA TRIPARTITA.

Contra nouam rationem tuendi Physicas Præmotiones Liberorum Agentium, eorumque Libertatem exponendi,

Quam auctor Operis de Libertate Dei & Creaturæ nuper innexit.

Cuius Operis pleraque omnia partim SVSPECTA, partim PVGNANTIA inter se, partim SVPPOSITITIA esse monstrantur.

Cum Appendice ad GVILLELMVM CAMERARIVM Scotum.

Editio secunda ab Auctore recognita.

RATIO REDDITA

SECVNDÆ HVIVS EDITIONIS.



Væ iam feruet contra Ianſenianos Hæreticos Controuerſia, cogitationem iniecit Opuſculum hoc ante annos fere triginta editum rurſus euulgandi. Animaduertet in eo Eruditus Lector, decennio quam prodiret Auguſtinus Ianſenij, crepuſcula quædam apparuiſſe Ianſeniſmi, fuiſſeque tractatum *De Libertate Dei & Creaturæ* veluti prodromum grandis illius operis cuius mole Belgica primum, ac ſubinde Gallicana Eccleſia concuſſa eſt. Neque verò fruſtra præmiſſa ſunt duorum nouæ ſectæ capitum Ianſenij ac Sancyrani inter alios illius tractatus approbatores ſuffragia. Nimirum illi maluerunt in aliorum lucubrationibus primùm conſpici quam in ſuis, ad tentandos Lectorum animos, & experimentum aliquod prægustati erroris, capiendum. Quid autem potiſſimùm in opere illo approbarint, expedit à Lectore non neſciri. Ita enim Sancyranus incipit: Indifferentiam „ quam non Platonica, id eſt, diuina, ſed peripate- „ tica diſceptatio in puram putam libertatem iam- „ pridem induxerat, hic Auctor ita eliminat, vt mi- „

Iiii

„ rum sit eam aliquot retrò sæculis adolescentiori
„ scholæ adeo placuisse. Iansenius verò sic; Veram
„ arbitrij libertatem antiquis scriptoribus notam,
„ non esse sitam in illa Philosophica indifferentia
„ agendi, quæ vulgò prædicatur, multis præclaris &
„ solidis rationibus hic liber adstruit, & aduersæ opi-
„ nionis defensores confutat.

Alij alia laudabant in opere *de Libertate Dei & Creaturæ* Sancyranus & Iansenius hoc vnum approbarunt, quo machina Iansenismi tota nititur, *Agendi necessitatem, oppositam indifferentiæ ad vtrumlibet causarum liberarum*, quam indifferentiam non peripatetica modo vt placet Sancyrano, sed & Platonica quoque Philosophia, & quæ longe supra Platonicam eminet, Christiana iam à primis Diuinæ fidei incunabulis agnouit & amplexa est. Illo ex ouo qui deinde pullularunt errores, Opusculum Eugenij prænotauerat & præsensionem probauit, qui post aliquot annos editus est Iansenij Augustinus, totaque per Ecclesiam sparsa damnataque Iansenianorum Theologia, vt videri possit Opusculum hoc omnium primum, quo Iansenij & innominati & adhuc incogniti doctrina notata est.

Debeo tamen hoc testimonium Scriptori Operis *de Libertate Dei & Creaturæ*, viro bono atque ab ijs, qui familiarius cum eo vixerunt probato; incautum videlicet illum his retibus implicatum fuisse. Erat illi plurima consuetudo cum Sancyrano, erat & cum Iansenio, atque aliqua etiam cum isto priuatorum scriptorum communicatio,

quo Louanio Parisios missitabantur ; quo factum est vt prius quam illi Catholicis Scholis atque adeo ipsi Ecclesiæ bellum apertè indicerent, contagione quadam affectuum, placere cœperit ea doctrina, cuius Auctores amabantur. Neque tamen perseuerauit illusio. Accepi à viris fide dignis cum Sancyranus iam se manifestius proderet, & hactenus subobscuras de sua fide doctrinaque suspiciones patefactis erroribus confirmaret, restitisse illi Auctorem hunc, eaque dissensione dissolutam fuisse, quæ vtrumque vinciebat, consuetudinem, & consequenter refrixisse quæ intercedebat. cum Iansenio. Atque hanc fuisse causam aliqui crediderunt, cur Iansenius qui Opus *de Libertate Dei & Creaturæ* initio laudauerat, in suo tandem Augustino instinctu Sancyrani reprobaret toto capite decimo sexto libri septimi de gratia Saluatoris.

Hæc admoneri Lectorem oportuit, vt si quid occurrat hoc in Opusculo, quod videatur acerbius dictum in eam doctrinam quæ castiganda visa est, intelligat spectare illud priores Auctoris huius cogitationes, quæ posterioribus emendatæ sunt : & Iansenismum præcipuè fuisse refutatum à quo Auctor Operis *de Libertate Dei & Creaturæ*, sub vitæ finem abhorruit.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.
ET SYNOPSIS NOVÆ DOCTRINÆ.



Vm autumno superiori proximo incidissem in Opus de Libertate Dei & Creaturæ, *Optime Lector, tanti argumenti celebritate captus facilè adductus sum vt scire vellem, ecquid afferretur noui ad eam quæstionem, quæ Orthodoxos omnes & inter se & cum Hæreticis tandiu commissos tenet. Quod cùm etiam atque etiam inquirerem, reipsa comperi doctrinam induci nouam, & quæ cum veteri ac recepta iam pridem nihil admodum commune habeat: Nouas etiam & insolitas cogitationes in exponenda Libertatis natura: Rationem tuendi physicas præmotiones pariter nouam; & ad hunc diem Thomistis incognitam. Nouam disserendi methodum, quippe Platonicorum fuco pigmentisque confusam. Denique nouum orationis genus in confutandis eorum opinionibus quos huius operis Auctor aduersos sensit. Nam cùm hactenus ferè Scholastici Doctores sic habuissent, maledicentiam Criticorum contentionibus relinquendam; modestiam verò retinendam esse Theologis: ipse videtur vtrorumque iura miscuisse, & quam Critici quasi propriam sectabantur, inter Theologos licentiam vsurpauisse detrahendi. Neque enim solùm alienos à sua ipsius sententia perpetuò triumphat; sed præterea pungit, vellicat, rodit, vt facile appareat animo ipsum parùm æquo impulsum esse ad huiusmodi laborem suscipiendum. His accedebat, quòd cum ex professo disputet de necessitate diuinarum præmotionum, deque earum concordia*

cum libertate arbitrij, quo de argumento ne quid edatur in publicum à S. Sede Apostolica vetitum est; impetrati tamen priuilegij vestigium apparuit nullum. Et tamen suam lucubrationem Christi Vicario nuncupauit. Forte an vt per illum peccauisse iam liceret? Ego igitur sepofita de prædeterminationibus controuersia, quam citra nutum summi Pontificis intactam esse oportet: hanc tamen exercitationem contra proprium Doctoris huius Theologiam, opportunam fore putaui: 1. Ne partus præter fas editus in lucem atque adeò illegitimus impunè vagari sinatur. 2. Ne cuiquam illudatur specie doctrinæ nouâ diuersàque ab eo quod vulgo sapientum animis insedit. 3. Vt consulatur eorum nomini quos iste Author contra quam commeriti sunt iniuriosè habet. 4. Quia cum sperare nos iubeat vberiores propediem de Diuina Gratia commentarios, necesse fuit admoneri hominem, vt quæ in hisce præludijs quam plurima peccauit, inibi deuitaret; quò respublica Theologorum opus ab eo suis numeris absolutum reciperet. 5. Quia hic non agitur tantùm causa negantium physicam prædeterminationem; sed ipsorum etiam Thomistarum, quorum doctrina tacitè condemnatur ab hoc auctore, quando significat in Epist. dedic. Nouam esse viam *hanc quam sequitur, in cæteris omnibus* offensiunculas esse ac scrupulos qui animos auertant: *Et capite vltimo lib.* 1: *sub finem.* Iam prodire in lucem id quod hactenus delituerat in aliorum principijs. *Et qui mox sequutus est Auctor Quæst. Philosophicarum selectarum, in 2. parte Quæst. 9. postquam dubio secundo reiecit communes Thomistarum solutiones, dub. deinde quarto pronunciat, rationem tuendi physicas præmotiones quæ hoc opere continetur* esse omnium probabilissimam. *Vbi vides oppugnatoribus præmotionum amplius aliquid concedi quàm sumere velint. Nempe ipsos hactenus superiores fuisse Thomistis, sin minus æquitate causæ; ac certè prælij fortuna. Sed horum veluti cadaueribus exportari iussis, arenam subeunt noui pugiles, pugnam instaurant, & de victoribus pœnas repetunt. Adeste igitur viri fortes, Adeste, nobisque animum vestrum artemque ac vires probate. Et primò quidem audire cupimus quid peccatum sit à Thomistis in hac disceptatione quod emendationem vestram requireret? Rem totam paucis absoluo.*

Thomistæ quia nesciuere Libertatem esse in Amplitudine positam, *infeliciter pugnauerunt, mox coronandi si hoc sciuissent. O cæcam superioris æui Theologiam, cui tam eximiæ tamque necessariæ meditationis dies non illuxit! Verùm siue in* Amplitudine *ponatur libertas, siue in angustia perinde est, hoc semper petimus, quomodo voluntas prædeterminata, libera sit libertate contradictionis & exercitij?*

Quæstio hæc, inquiunt, ad eos tantùm actus pertinet qui versantur circa media; nam in ijs qui circa finem, nulla est libertas exercitij aut contradictionis. *Apage, Ne in viatoribus quidem?*

Ne in viatoribus quidem, inquiunt. Nam intentio finis est ipsa prædeterminatio Liberorum Agentium, quam proinde necesse est vt Deus in nobis sine nobis operetur. Ergo libertas arbitrij omnis electione mediorum circumscribitur. Quis hic non hæreat attonitus ad inauditam atque inexpectatam philosophandi rationem; Sed tamen esto etiam illud. At vel hoc satem exponite, quomodo libera sit volontas prædeterminata ad hanc electionem huius medij, v. g. ad electionem hodierni ieiunij? Quomodo, inquam, potest non eligere illud, si prædeterminatur vt eligat?

Duplex est, inquiunt, libertas arbitrij: alia pura & perfecta: alia impura & imperfecta. *Vt electio libera sit* libertate pura & perfecta *non est necessarium vt voluntas possit non eligere pro illa suppositione qua medium ad ordinem finis spectat, Deo verbi gratia volente ac prædeterminante vt eo vtamur: sed satis est quòd possit non eligere pro alia suppositione qua medium non spectabit ampliùs ad talem ordinem. Ergo quamuis predeterminatio sit ita efficax, vt tollat potentiam cohibendi electionem illam pro tempore quo ipsa est; non tollit tamen libertatem: quin potius* puram *esse facit atque* perfectam*: quòd remaneat potentia cohibendi, pro tempore quo tale medium non spectabit ad finis ordinem, hoc est pro tempore quo Deus non ampliùs ad illud prædeterminabit, sed prædeterminabit potiùs ad oppositum. Eius modi autem fuit prædeterminatio qua Christus Dominus impellebatur ad agendum, & B. Virgo & excellentiores Sancti.*

Vt electio libera sit libertate impura & imperfecta, *vo-*

luntas debet posse deficere ab ordine finis, ac proinde posse non eligere medium quod elegit, etiam tum cùm illud spectat ad huiusmodi ordinem. Hanc libertatem & potentiam habet populus fidelium, & non tollitur per prædeterminationem: quia non est ita potens in illis prædeterminatio vt defectibilitatem *absumat; tametsi* componi *hæc duo sit* impossibile, *esse prædeterminationem ad aliquem actum, & simul non esse actum ad quem datur.*

Vides ergo, Erudite Lector, quod attinet ad vulgus fidelium, eandem esse in hac sententia difficultatem quæ in sententia Thomistarum: nec aliâ ratione leuari, quàm tritâ illâ distinctione. Quamuis voluntas non possit sustinere assensum ad quem physicè præmouetur in sensu composito, *posse tamen* in sensu diuiso, *& hoc satis esse.*

Vides 2. quod attinet ad paucos illos exceptos à communi lege, incurri grauiorem difficultatem, & quam ne Thomistæ quidem sorbere velint; scilicet potentiam agendi & non agendi quam libertas requirit, non esse pro eodem tempore, sed cum successione: esse nimirum potentiam agendi quando est prædeterminatio; quia quoties illa est, medium ponitur in ordine finis; & potentiam non agendi quando illa non est; quia tunc medium ex ordine illo rejicitur.

Vides 3. maius adhuc periculum adiri, dum negantur actus viatorum qui directè finem vltimum spectant, esse liberi libertate contradictionis & exercitij, contra Catholicam doctrinam. Itaque communem ac maximam Thomistarum difficultatem subire, eique aliam atque aliam insuper congerere multò grauiorem; hoc demum est afflictam prædeterminantium causam erexisse, hoc est Thomistis subuenisse labantibus. Quis igitur non libenti animo arriperet oblatam nunc primùm occasionem disputandi & pro Thomistis & contra prædeterminatores? Quod si Aduersarius impetum hunc eo animo excipiet quo à me imprimitur; nihil erit cur quisquam dubitet in hac opinionum contrarietate illæsam atque illibatam mansisse charitatem.

Vale.

APPROBATIO ILLVSTRISSIMI EPISCOPI CADVRCENCIS, ATQVE aliorum insignium virorum Doctorumque.

VIdi hanc *Exercitationem Scholasticam*, & libenter permitto vt edatur in lucem, publicæ vtilitatis causa. Cadurci 7. Iunij Anno Domini 1632.

P.E. Cadurcensis.

LEgi Exercitationem Scholasticam Eugenij Philadelphi, contra nouam rationem tuendi Physicas Præmotiones, *in qua nihil est contrarium rectæ fidei, aut bonis moribus, quin potiùs explicatur & defenditur vera bonaque doctrina. Cadurci* 8. *Iunij Anno* 1632.

De S. SVLPICE Archidiac. Cadurcensis & Vicarius Generalis.

LEgi *Exercitationem Scholasticam Eugenij Philadelphi contra nouam rationem tuendi Physicas Præmotiones Liberorum Agentium*, & fidem facio nihil in ea esse contrarium fidei aut bonis moribus: quin potiùs doctrinam esse vtilem, & cognitione publica dignam. Cadurci 7. Iunij Anno 1632.

G. CARBONEL Doctor Theologus & Archidiac. de Tornez.

EGo *infra scriptus Fr. Iacobus Gratias Augustiniani instituti & in Academia Cadurcorum Theologiæ Professor, librum qui inscribitur*, Exercitatio Scholastica Eugenij Philadelphi, contra nouam rationem tuendi physicas præmotiones, *lustraui accurato examine, & quia in eo nihil fidei aut bonis moribus contrarium reperi, luce dignum censui. Quare huic meo iudicio subscripsi, die* 8. *Iunij* 1632. *Cadurci in ædibus sancti Augustini.*

F. IACOBVS GRATIAS Augustinianus, Theologiæ Professor.

CAPVT



CAPVT PRIMVM

SVSPECTA.



EMINI cautum esse, ne vlla inuratur nota illi sententiæ, quæ Physicas præmotiones cum libertate voluntatis retinet, sicuti neque illi quæ ablegat. Sed cum Philosophandi modus ille, quem in earum defensione secutus est Author Operis *de Libertate Dei, & Creaturæ*, nouus sit, atque ijs implicatus opinionibus, quarum condemnatio nulliūest in præmotiones præiudicium; è re Catholica fore putaui, si nonnullam animi mei suspicionem aperirem, circa id genus placita quædam, quæ cum rectæ fidei doctrina, & communi sapientum sensu minus cohærere videntur. Atque ego quidem id eo libentius facio, quòd sciam non displicere ordinarijs præmotionum Authoribus. Quippe qui fateri coguntur, vltimum istius Doctoris suffragium non modo esse irritum; sed & insuper causæ suæ perniciosum: quando ea tantum conditione admittendas censet Physicas prædeterminationes, quâ non licet: nequè aliter putat periculoso eripiendas esse iudicio, quàm ipsa prope modum erroris confessione. Atqui opinio illa erat integræ adhuc famæ: nec habebat quò plenam lucem, oculosue Orthodoxorum vereretur, post vetitam à Sede Aposto-

lica vtrius-libet partis censuram. Quale igitur officium fuit, specie gratificandi edere illam in publicum, stipatam odioso comitatu earum sententiarum, quæ receptæ iampridem fidei non congruunt? Quin etiam Romam deducere ad supremum fidei Tribunal; cùm vel si vera ipsa foret, repulsam tamen huiusmodi cincta choragio mereretur?

PRIMVM ergo PRONVNTIATVM, quod videtur non „ satis esse Orthodoxum, est, Deum operari in nobis „ sine nobis, conuersionem nostram. *Ita libro* 1. *c.* 14. *num.* „ 4. *vbi sic loquitur.* Si de ordine gratiæ loquamur, in quo „ finis vltimus est Deus secundum se, causalitas illius est „ amor Dei siue conuersio ad Deum: QVAM THEOLOGI „ OMNES, ET PRÆ RELIQVIS D. THOMAS, DICVNT FIERI „ A DEO IN NOBIS SINE NOBIS. *Idem habet cap.* 9. *num.* 7. „ Nulla, *inquit*, legitima conuersio ad Deum, nisi quæ con„ silia nostra & cogitationes anteuertit, ac proinde nisi „ quam Deus inspirat: Quod confirmat etiam D. Thom. „ 12. q. 109. art. 5. vbi expressè docet conuersionem no„ stram ad Deum, A SOLO DEO ESSE POSSE. *Et mox.* „ Conuersio autem ad Deum, quæ luctam illam sequitur, „ quòd conuersio fit, non habet à cogitationibus nostris, „ quæ interuenerunt toto certaminis tempore; sed à SOLA „ DEI GRATIA: quæ sensus nostros rationemque suppres„ sit, & victrix mansit.

D. Thomam & cæteros Theologos quare in testimonium adducat, prorsus nescio. Vnum scio, mihi esse incognitum, qui hoc aliquando inter Catholicos dixerit. S. Thom. præ cæteris hoc negat multis in locis, sed *expressè* in illo ipso qui designatur primæ secundæ q. 109. ar. 6. Nihil enim *expressius* fingi potest hisce verbis. Ad „ 1. ergo dicendum, quòd CONVERSIO HOMINIS AD „ DEVM FIT QVIDEM PER LIBERVM ARBITRIVM, & „ secundum hoc homini præcipitur, quòd se ad Deum con„ uertat. Sed liberum arbitrium ad Deum conuerti non „ potest, nisi Deo ad se ipsum conuertente secundum illud Ier. &c. Quod fit per liberum arbitrium, fit-ne sine nobis? Vereor vt S. Thomam & cæteros Theologos cum

diceret, nominare voluerit Caluinum & Caluiniſtas.

Caluinus enim ſe illius eſſe ſententiæ multoties profitetur: ſed potiſſimum 2. Inſt. cap. 3. num. 5. Quia igitur „ peccati ſeruitute vincta detinetur voluntas, ad bonum „ commouere ſe non poteſt nedum applicare. Eiuſmodi „ enim motus conuerſionis ad Deum principium eſt, quæ „ Dei gratiæ TOTA in ſcripturis tribuitur. *Et num.* 6. Quan- „ do nos Deus ad recti ſtudium conuertit, aboletur quid- „ quid eſt propriæ noſtræ voluntatis: Quod in eius locum „ ſuccedit, totum à Deo eſt. Voluntatem dico aboleri, non „ quatenus eſt voluntas: quia in hominis conuerſione in- „ tegrum manet, quod primæ eſt naturæ: creari etiam „ nouam dico; non vt voluntas eſſe incipiat, ſed vt ver- „ tatur ex mala in bonam. HOC IN SOLIDVM A DEO „ FIERI AFFIRMO, &c. Idem iterum num. 8. & cap. 5. num. etiam 8. Vbi vides 1. vtrumque Authorem agere de conuerſione actuali voluntatis à bono in malum 2. Nihil aliud aſſeri ab hoc, quàm quod ab illo: ab vtroque autem, *huiuſmodi conuerſionem eſſe opus* DEI SOLIVS, ſeclusâ liberi arbitrij cooperatione. 3. Ambos eâdem ratione dicere ſe opinionem illam hauſiſſe, hunc quidem ex ſcripturis, illum autem ex D. Thom. & omnibus Scholaſticis.

Caluiniſtæ magno ſtrepitu aſſentiuntur: quin etiam decernunt. Ita enim habet conuenticulum Dordracenum cap. 3. art. 12. Atque hæc eſt illa tantopere in ſcrip- „ turis prædicata regeneratio, noua creatio, ſuſcitatione „ mortuis, & viuificatio, QVAM DEVS SINE NOBIS IN „ NOBIS OPERATVR. Hoc illis eſt, noſtram viuificationem „ fieri in nobis ſine nobis; quod huic Authori, conuerſionem. Et eodem ſenſu poſteà c. 4. art. 9. damnantur qui docent gratiam & liberum arbitrium, eſſe cauſas partiales ſimul concurrentes ad conuerſionis initium. Nempe quia conuerſio illa eſt à Deo *in nobis ſine nobis*, vt iſte Author loquitur.

Mirabile autem eſt quod Caluinus perpetuo ſignificat, in eo ſibi aduerſari Catholicos omnes Doctores, in quo iſte ſibi conſentire illos putat. Accuſat enim Caluinus

KKkk ij

Petrum Lombardum cap. illo 3. num. 7. quòd liberæ voluntati suas partes tribuat in hominis conuersione: atque eò *præpostere detorqueat*, quod dictum est à S. Aug. quando Diuinæ gratiæ iungit *comitantem voluntatem, non ducentem; pedissequam, non præuiam.* Dixerat autem anteâ cap. 2. num. 6. *se longiore adhuc interuallo differre a recentioribus Sophistis*, quàm à Lombardo & Senioribus Scholasticis. Et iterùm cap. 3. num. 13. Audiamus, inquit, nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur. Quid istud negotij est? Adeò truncus fuerit Caluinus, vt non intelligeret alludere sibi omnes Catholicorum scholas, in negando liberi arbitrij concursu ad conuersionem hominis ad Deum? Adeò fuerit amens, vt dissimulandum putaret eorum consensum; quin etiam dissensum confingendum, quò & minore plausu, & suspicione maiore admitteretur eius doctrina in eorum aures, quibus persuasam esse cupiebat? Puri putique Caluinistæ fuerint Sorbonici Doctores, in ea quæstione, in qua ille petulanter calumniatur esse Sophistas? Non equidem reor: Quin potius certum habeo perpetuam fuisse scholarum doctrinam, ad conuersionem peccatoris actualem, libero ipsum arbitrio semper concurrere: Itáque inauditum hactenus fuisse inter Scholasticos, nostram ad Deum conuersionem ab eo in nobis fieri *sine nobis*.

Ad Bonos Sp. 10 s.

Eademque est apertissima Concilij Trid. sententia sess. 6. cap. 5. vbi & Diuinæ gratiæ necessitatem, & liberæ voluntatis cooperationem in negotio conuersionis omnino coniungit: & vtrumque deducit ex sacris litteris. *Quando enim dicitur*, inquit o, *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus, conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur.* Quâ igitur confidentia *sine nobis* fieri dicitur illud, ad quod liberâ voluntate concurrimus Ecclesia sanciente?

SECVNDVM habetur cap. 30. num. 7. quem locum visum est apponere hîc integrum, ita vero habet.

Illa ipsa inclinatio & conuersio ad Deum, quæ modo »
magis, modo minus obscura est; modo plus modo minus »
illustris: est & vocatio & præmotio. Eadem quoque se- »
cundum rem & entitatem est nostra ad Deum conuersio »
siue operatio: nostra in rigore quæ aliquo tempore ante »
in nobis erat; sed nostra non erat. Eadem ergo motio ali- »
quo tempore interdum in anima nostra est, sed nostra »
non est; eius vt sic dicam recessus obambulans & tentans »
illam, si forte obtemperet; tumque inefficax est & mini- »
mè adhuc nostra: quippè obsistentibus nobis & contra- »
dicentibus. Postea autem cum Deo ita visum est pene- »
trat interiora nostra; nec est motio tantum Diuina in »
nobis residens, sed fit nostra dum per illam ita ad inferio- »
ra comparamur, vt simus illis superiores, nec amplius sicut »
ante inordinate inhæreamus, & tum est efficax; non ex »
euentu consensus nostri: sed quia tum immittitur à Deo »
cum proposito conuersionis nostræ. »

En tibi, Lector optime, stupendam sanè picturam: in qua cernere est sententiarũ pugnas, rationum hiatus, vmbras cogitationum fugaces, quæ amplecti volentem ludificant, speciem denique totius doctrinæ variam ac multiformem, quæ neque hoc, neque illud, neque aliud, sed repræsentat nescio quid. Vnum est quod ex illis tenebris emicat, *Diuinam* scilicet *præmotionem*, hoc est præuenientem & excitantem gratiam, *secundum rem & entitatem idem esse cum nostra ad Deum conuersione*. Hoc autem affirmari ab aliquo potest duobus modis. 1. Si lubeat id quod alij vocant præmotionem, seu præuenientem gratiam appellare conuersionem nostram. 2. Si lubeat id quod alij, appellant conuersionem nostram, non distinguere à præuenienti gratiâ Diuina præmotione.

Hoc secundo modo philosophatur iste Author, cuius rei suppetunt argumenta tria. 1. est, Quia conuersionem nostram ad Deum confundit cum amore Dei supernaturali cap. 14. num. 4. 2. est. Quia ibid. asserit conuersionem nostram in ordine gratiæ, respondere intentioni finis efficaci & perfectæ. Tertium est, Quia cap. 9. num. 8. in eadem conuersione, quam vocat *actum peccatoris*, inue-

KKkk iij

nit duplicem rationem; alteram *conuersionis ad Deum* præcise: alteram *auersionis à creaturis*, & sub hac posteriori ratione illi etiam inesse dicit aliquod meritum, quod sit proprium eius qui conuertitur. Vnde constat euidenter huic Authori cum cæteris conuenire in propria *conuersionis* acceptione; vt scilicet intelligatur esse actus voluntatis, illius qui conuertitur, quo à peccatis & peccatorum illecebris auulsus, Deum amplectitur eique adhæret.

Conuersionem igitur ita sumptam idem esse dicit *secundum rem & entitatem* cum præuenienti atque excitanti gratia. Quæ sententia mihi valde suspecta est. 1. Quia repugnat communi sensui Theologorum omnium Scholasticorum, qui præuenienti & excitanti gratiâ, præueniri & excitari concipiunt voluntatem vt conuertatur: itáque illam *conuersionem* distingunt à gratia: quod sit ridiculum dicere, necessariam esse gratiam præuenientem, ad id quod est gratia præueniens, & præ-requiri Diuinam motionem, ad id quod est ipsa motio, præsupponi conuersionem hominis vt sit conuersio: & prius esse illum excitari à Deo quam excitetur. Hæc autem omnia contingunt si conuersio cum præmotione confunditur, hoc est cum excitanti & præuenienti gratia.

2. Eadem sententia pessundat doctrinam Concilij Trid. sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 3. & 4. vbi eadem distinctio realis *Diuinæ Motionis* & *Conuersionis* perpetuò significatur & supponitur. Nam imprimis *per vocationem, seu præuenientem & excitantem gratiam* (hæc enim pro eodem habet) *disponi dicit peccatorem ad conuertendum se*, quo nihil dici possit ineptius, si hæc *Conuersio* idem sit cum illa *Gratia*. Deinde, separabilem putat præuenientem gratiam à *conuersione* omnique consensu voluntatis, cum definit, *hominem posse inspirationem illam atque illuminationem præuenientem abjicere & posse dissentire si velit.* Atqui duorum separatio est certissimum distinctionis signum.

3. Quod illa *Gratia* vocetur *illuminatio*, argumento est pertinere ad intellectum; itáque distingui à *Conuersione*, quæ voluntatis est. 4. Docet Consilium, adiuuante illa gratia *concipi fidem*; inde vero sequi *timorem Diuinæ iustitiæ*;

atque insuper *spem ex consideratione Diuinæ misericordiæ*, denique *dilectionem aliquam Dei*, & quoddam *odium & detestationem peccatorum*. Qua oratione significari & distinctionem actuum & subordinationem ita est perspicuum, vt nemo sanæ mentis negare possit. Atqui Diuina gratia prærequiritur ad fidem: ergo ad fidem prærequiritur *Conuersio* ad Deum nostra: siquidem supponitur idem esse cum illa gratia: sed fides præcedit timorem, spem, charitatem, odium & detestationem peccatorum: ergo nostra *Conuersio* eadem omnia præcedit: ergo intelligetur peccator ad Deum esse *conuersus*, quamuis nondum intelligatur vel timere illum vel amare, vel ab eo sperare aliquid, vel auerti à peccato suo per odium & detestationem illius. Quod cum apertam habeat repugnantiam, sequitur aut abiurandum esse Trid. aut condemnandam huiusce Authoris sententiam hanc, qua docet, *nostram ad Deum conuersionem, & Diuinam motionem secundum rem & entitatem idem esse.*

TERTIVM est, *Non debere tribui libero arbitrio dominium actuum suorum*. Ita c. præsertim 9. n. 6. vbi sic loquitur. Dominium non est actuum, sed rerum quibus per illos incumbimus: nec potest esse dominus actuum, nisi qui est dominus rerum. At nullum dominium respectu Dei: ergo nec respectu amoris Dei. Subdit postea, nos dici dominari & seruire cupiditatibus nostris *metonymicos*, sumendo actus pro obiectis & antea c. 1. num. 5. *libertas exercitij in nobis, dicit dominium actuum nostrorum* VEL OBIECTORVM POTIVS. Quibus omnibus hoc saltem ostendit manifeste, non videri propriè locutos, qui dixerunt, *libero arbitrio competere dominium actuum suorum*. Id quod diserte profitetur cap. 27. num. 4. Erit, inquit, solutio illustrior plenniorque, si recolatur mente quod alibi dictum est, dominium proprie non respicere actus, sed res circa quas per illos versamur. Quamquam si & hoc ad actus referatur, quod nonnisi improprie fit, &c. Quod si sermo sit de illis actibus qui circa Deum versantur, censet omnino negandum esse huiusmodi dominium.

Atqui vtrumque hoc placitum mihi suspectum vide-

tur. 1. Quia ita laudatur Lutherus, & facultas Sorbonica corrigitur. Lutheri articulus est, *liberum arbitrium non est dominus actuum suorum.* Sorbonæ iudicium est, in censura Lutheranarum propositionum tit. 18. de lib. arb.
„ Hæc propositio est falsa, sacris Doctoribus ac omni
„ doctrinæ morali aduersa, cum Manichæorum errore con-
„ ueniens, ac hæretica. Iam vero iste Doctor, Sorbonæ ritibus initiatus, perinde quasi esset oblitus Sacramenti sui, quidquid sit de mente Lutheri, *proprie* saltem locutum censet, in eo in quo Facultas Parisiensis fuisse dicit *Hæreticum, Manichæum, sacris Doctoribus & omni doctrinæ morali contrarium.* Et proinde eandem facultatem, quæ suâ illâ censurâ exigit, vt dicatur in esse libero arbitrio *dominium actuum suorum*, quidquid sit de recta ipsius mente, cogere tamen putat Scholas, & Scholasticos omnes peius loqui, quam Lutherus locutus sit.

2. Suspectum videtur eiusdem Authoris iudicium, eo quod non solum loquendi modum in Luthero probet; sed & partim ipsam quoque sententiam, quando scilicet absolute negat libero arbitrio competere dominium eorum actuum, qui circa Deum versantur. Mihi enim valde credibile videtur, de illis potissimum actibus, quibus homines in Deum tendunt quæstionem intercessisse Lutherum inter & Catholicos: vereorque ne non sit satis tutum existimare ac dicere, impium illum Apostatam, eatenus Orthodoxum fuisse, quatenus negauit libero arbitrio *dominium actuum amoris Dei, contritionis, &c.*

QVARTVM, *Non solum non esse in libero arbitrio dominium actuum, qui directe in Deum tendunt, sed absolute nullum esse liberum arbitrium, respectu eorundem actuum, etiam in viatoribus.* Nam 1. intentionem finis vltimi perpetuo negat esse operationem causæ liberæ, primumque illius
„ exercitium electionem esse significat. Nota, *inquit cap.*
„ *18. num.* 2. verba illa & aduerte actionem omnis causæ
„ secundæ esse inclinationem eius: quod maxime constat
„ de actione causæ liberæ qua talis, siue de electione. *Et*
„ *cap. 28. num.* 3. Qui libere agit, *inquit*, siue quod idem est

qui

qui benè eligit, *& cap. 27. num. 4.* Duo sunt quæ accipimus à Deo, siue quæ Deus operatur in nobis. Vnum quidem quod operatur in nobis SINE NOBIS, vt est intentio finis: alterum, &c. *Et cap. 29. num. 3.* Intentio quidem, NON EIVS (*causæ liberæ*) SED DEI IN EA MOTVS EST. *Et cap. 4. num. 5. docet*, ei tantùm parti voluntatis, quæ circa media versatur, liberi arbitrij nomen proprie competere. Et clarissimè cap. 9. num 5. & 6. vbi agens de interiori occupatione hominis viatoris circa finem & circa Deum, negat esse verum quod communiter dici solet, nos indifferentes esse ad exercitium illorum actuum, seu esse nostri arbitrij quandiu viatores sumus, modò in eo versari, modò minimè, nullam, enim homini stanti & recto circa finem vltimum indifferentiam conuenire. Et tandem concludit in hunc modum. *Nulla ergo indifferentia siue libertas contradictionis circa finem.* Possent alia id genus multa proferri: Sed ex his satis constat negari ab hoc Authore Intentionem vltimi finis, amorem Dei, & quemcumque alium actum qui directè in Deum tendat, esse liberum libertate arbitrij, seu contradictionis, seu exercitij. Illis tantum concedit alium quendam libertatis modum quem vocat *status*, quamque reperit tum in ipso amore beatifico, tum etiam in processionibus Diuinis, generatione scilicet Æterni Filij, & spiratione.

Atqui hæc doctrina mihi valde suspecta est 1. Quia quod fatetur *solere communiter dici*, nos esse indifferentes ac liberos ad exercitium illorum actuum; adeò verum est, vt meminisse non possim me Authorem vllum Catholicum videre aut audire, qui contrarium innueret. Caluinus quidem & Lutherus & eiusdem farinæ homines, in vniuersum negant libertatem arbitrij ad actus bonos, & nominatim ad eos qui Deum respiciunt, vt sunt actus fidei, spei, charitatis: sed extra causas illas vix reperiantur qui balare ita velint. Et quia iste Author ex omnibus scholis quinque-viros sibi delegit, vt ex eorum suffragio intelligatur quis sit communis sensus scholasticorum, S. Thom. S. Bonauenturam, Scotum, Henri-

cum, & Durandum, lubet apponere hoc loco testimonia singulorum.

S. Thomas q. 6. de malo disputat de electione humana, & vnico illius articulo titulum præfigit, *Num homo habeat liberam electionem actuum, aut ex necessitate eligat.* Postea verò cum definisset hominem ex necessitate appetere Beatitudinem, statim subjicit. Dico autem ex necessitate quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum, NON AVTEM QVAM TVM AD EXERCITIVM ACTVS, &c. *Et resp. ad 7. cum dixisset* voluntatem non posse non velle bonum perfectum quod est Beatitudo, *hoc statim, corrigit* ita scilicet quod velit eius oppositum, POTEST TAMEN NON VELLE ACTV, &c. Vides clarissimam esse D. Thom. sententiam, quæ vna etiam est omnium Thomistarum, circa finem vltimum non habere nos quidem libertatem quæ vocatur specificationis seu contrarietatis; habere tamen illam quæ vocatur exercitij, seu contradictionis, quod sit ad contradictoria, nempe ad actum vel non actum. Eandem doctrinam habet 1. p. quæst. 82. art. 2. & 1. 2. quæst. 10. art. 2.

S. BONAVENTVRA lib. 2. sent. dist. 25. par. 2. art. 1. qu. 2. In libero arbitrio, *inquit*, est considerare actum volendi & ipsum volitum, & in quantum liberum arbitrium est deliberans, necesse est quod contingentia sit circa vtrumque istorum, vel circa alterum. Circa vtrumque, vt cum quis deliberat vtrum velit intrare Religionem, vel diligere amicum: circa alterum, vt cum quis deliberat, vtrum debeat sibi placere vel displicere malum quod fecit: Vel vtrum debeat consentire vel dissentire appetitui naturaliter inserto vtpote appetitui beatitudinis. Sic igitur actus liberi arbitrij deliberantis, quamuis possit esse circa necessarium, SEMPER EST CONTINGENS. Duo hîc perspicue asseruntur. Primum est, In actu voluntatis qui versatur circa obiectum necessarium, cuiusmodi est actus amoris Dei, intentio finis vltimi, & similes, esse contingentiam: quod est, causam à qua eliciuntur, ita illos elicere vt possit non elicere: hoc autem est esse liberam *libertate exercitij, & contradictionis.* Secun-

dum est, Huiusmodi actus esse actus liberi arbitrij, etiam *vt est deliberans*: eliciendusne sit actus, necnè: quod est tribuere illos actus libero arbitrio quatenus est indifferens ad agendum & non agendum. Amentis enim est *deliberare*, sitne aliquid agendum, an non; quando non est vtriuslibet facultas. Ergo iuxta S. Bonauenturam, datur *indifferentia & libertas arbitrij, & exercitij, & contradictionis in actibus voluntatis, quibus homo viator circa Deum occupatur.*

SCOTVS 1. sent. dist. 1. §. quantum ad primum art. dico, *inquit*, quod voluntas, sicut non necessariò fruitur ,, his quæ sunt ad finem; SIC NEC FINE OBSCVRE APPRE- ,, HENSO. Quantum ad 2. articulum, concordo cum 1. opi- ,, nione, QVOD NON NECESSARIÒ FRVITVR FINE APPRE- ,, HENSO IN PARTICVLARI, ET OBSCVRE. *Et deinde* §. *ad* ,, *argumenta dico, ita respondet.* Ad 3. dico vno modo, quod ,, licet non sit ibi aliquis defectus alicuius boni, vel aliqua ,, malitia *(loquitur de fine vltimo obscurè apprehenso)* & ideò ,, non possit fortè voluntas nolle illud; quia obiectum actus ,, nolendi est malum vel deffectiuum: POTEST TAMEN ,, ILLVD BONVM PERFECTVM NON VELLE, quia in pote- ,, state voluntatis est, non tantum sic, vel sic velle; sed ,, velle non velle: quia libertas eius est ad agendum vel ,, non agendum, &c. Vides hîc agi de occuppatione inter- ,, na voluntatis circa finem vltimum in communi; hoc est, circa rationem communem summi boni: item circa finem vltimum in particulari, hoc est determinatè circa Deum: prætereà de vtroque obscurè apprehenso hoc est apprehenso à viatoribus, & consequenter de occupatione voluntatis viatoris circa Deum, & summum bonum. Huiusmodi autem occupationem Scotus necessariam esse negat. Ita igitur in hæc obiecta tendit voluntas, vt sistere possit; quod est esse indifferentem & liberam *libertate exercitij & contradictionis*: idque apertius significat dum ,, dicit, posse voluntatem non velle illud bonum: eo quòd ,, libertas eius sit ad agendum vel non agendum. Sed su- ,, perfluum est inuestigandæ hoc loco sententiæ Scoti diutius insistere; cum constet defendi ab ipso libertatem contradictionis etiam in actu amoris beatifici.

» HENRICVS Gandauensis quod-lib. 9. q. 5. Ad quod-
» cumque bonum propositum, *inquit*, citra finem vltimum
» manifestè visum, voluntas potest ex se moueri, & sine
» motu à quocumque alio sicut & diuertere ab illo. *Item*,
» Pondus quod voluntas imponit intellectui non est tan-
» tum, quin voluntas vt libera arbitrio, possit contrarium
» eius ad quod inclinat, velle: QVODCVMQVE ILLVD SIT,
» CITRA APERTAM VISIONEM VLTIMI ET FINALIS BONI.
» *Item*, quantumcumque proponatur propositio factiua
» per bonum, nisi sit de summo bono apertè viso, non ne-
» cessario statim operatur: imo potest liberè repellere
» propositum. Subdit postea, voluntatem moueri quidem liberè in summum bonum *præsentialiter visum*; *sed moueri per liberum arbitrium*, in quodlibet aliud, ET IN ILLVD IDEM QVOD NON PRÆSENTIALITER VISVM. Quasi diceret, Beatos qui Deum vident, liberè quidem amare, aliqua libertate; quæ nimirum coactionem excludat & miseriam: sed viatores qui non vident, amare illum liberè, ea libertate quæ proprie constituit liberum arbitrium. Atque his testimonijs excogitari nihil potuit, quò disertius adstrueretur & indifferentia voluntatis, & libertas exercitij seu contradictionis in ijs actibus queis circa Deum fide cognitum occupamur.

DVRANDVS 4. sent. dist. 49. quæst. 8. num. 17. Si
» Beatitudo, *inquit*, accipiatur in speciali, pro eo in quo
» verè consistit; SIC VOLVNTAS VIATORIS NON NECES-
» SARIO VVLT BEATITVDINEM: Sed potest non velle ne-
» gatiue, & etiam nolle, &c. *Subdit num.* 18. tali appetitu
» (*loquitur de efficaci*) non necessariò volumus Beatitudi-
» nem propositam solùm, secundum communem ratio-
» nem Beatitudinis, &c. Iam vero num. 9. ei quod est *velle necessario*, opposuit *τὸ velle liberè*. Atque ita cæteris apprimè consentit Durandus in asserenda libertate voluntatis, tum circa summum bonum in vniuersum, tum peculiariter circa Deum à viatore cognitum: ita tamen vt circa Deum, sit *libertatem contradictionis*, qua prosequi potest vel non prosequi; & *contrarietatis*; quâ potest vel prosequi vel fugere positiue: esto circa summum bonum

confuſe ſumptum, ſit libertas tantum *contradictionis.*

QVID igitur reſtat, niſi vt accuſemus iſtius Doctoris oculos; qui cum in præfatione ſui operis, iactet ſe à recentiorum opinionibus abalienatum conuerſum eſſe ad vetuſtiores Theologos. D. Thomam, D. Bonauenturam. Scotum, Durandum, Gandauenſem, *clariſſima ſcholæ Pariſienſis lumina*; tanta in luce videre non potuit, ſe vnicum eſſe qui negaret *omnem indifferentiam*, *omnem libertatem contradictionis & exercitij*, denique, *omnem liberi arbitrij propriam rationem in interna viatorum occupatione circa Deum?* Sed quod ego magis miror, eſt illa ſpecies „ triumphi quam exhibet cap. 9. num. 3. vbi cum protu- „ liſſet iam laudatos Doctores, ad probandum dari veram „ libertatem circa finem; ita illos in pompam recolligit, „ Si ergo authores poſtulas, quorum ſuffragio iſta doctri- „ na confirmetur; En tibi D. Thomam, D. Bonauentu- „ ram, Scotum, Henricum, Durandum, Theologiæ „ Scholaſticæ clariſſima ſideraque eam non obiter & in „ tranſcurſu delibant; ſed iactis fundamentis & ex profeſ- „ ſo defendunt. Quæ iſta eſt tam ſtupenda rerum mutatio: ibi triumphas, mi Pater, vbi vinceris, tibique arridere putas Theologiæ Proceres, quum repellunt? Ecque libertas ab illis adſtruitur circa finem vltimum fide cognitum quàm illa quam tute negas? Quæ verò circa viſum aperte, quam illa de qua nullum exercetur iudicium, quod nemo ſit qui contradicendum putet? Liber eſt, inquiunt, amor, quo Beati Deum amant, non tamen libertate arbitrij ſeu contradictionis; Quis abnuit? Liber eſt etiam, quo viatores illum proſequuntur, ſed libertate arbitrij & contradictionis; quare vnus ipſe repugnas? Iudicium illorum alijs objicis, & ſolus arguis? Ac tandem clariſſima dicis eſſe ſidera quæ nihil aliud ſunt, quam noctium tuarum argumenta? Horum igitur Doctorum ſuffragium, & cæterorum omnium conſenſus prima eſt ſuſpicionis meæ cauſa.

SECVNDA petitur ex perpetuo more SS. Patrum, probandi libertatem arbitrij, ex vſu & fructu conſiliorum, præceptorum, admonitionum, obiurgationum, earum-

que id genus rationum, queis aliquid persuaderi alter, consueuit: quod nemo sanus sit, cui non videatur esse absurdum, hortando monendoquè impellere hominem ad hoc agendum, quod vel ita facit, vt non habeat omittendi potestatem: vel ita omittit, vt agendi facultas nulla sit. Quare censent, ad ea quæ huiusmodi sunt, suppetere agendi vel non agendi potentiam, hoc est indifferentiam., & libertatem contradictionis Probarem hoc amplo & numeroso tèstimoniorum apparatu, si tam breui negotio fieri posset quam potest facili. Sed, vt opinor, nemo erit tam tyro, qui meam hoc loco desideret operam. Atqui est etiam perinde manifestum, & eosdem SS. Patres, & Deum ipsum in sacris codicibus perpetuò ferè proponere id genus consilia præceptaque circa intentionem summi boni, & amorem Diuinæ bonitatis: atque omni ratione impellere hortando, iubendo, increpando, monendo, vt in ijs actibus occupemur: ergò non potest meritò dubitari, quin censeant suppetere nobis potestatem exprimendi ac supprimendi tales actus: hoc est indifferentiam agendi & non agendi, & libertatem contradionis. Suspectâ igitur meritissimò censeri debet opinio quæ negat.

TERTIA suspicionis causa est, quia perspicuum videtur, ijs potissimum actibus quibus voluntas nostra in Deum recta tendit, constare hominis præparationem ad iustificationis beneficium recipiendum. Atqui vulgatissimum etiam est præparationem huiusmodi à Concilio Trid. post Diuinam gratiam sic attribui libero arbitrio; vt dicatur etiam posse impedire: quod est esse indifferens & liberum libertate saltem exercitij, seu contradictionis. Ita enim loquitur Concilium sess. 6. can. 4. Si
» quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum
» & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti
» atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gra-
» tiam se disponat ac præparet: neque posse dissentire si
» velit; sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere,
» mereque passiue se habere, anathema sit. Vides, vt dispositionem, quæ iustificationi præmittitur; liberam di-

cit libertate arbitrij? Vides, vt asserit liberum arbitrium diuinitus adiutum, ita expromere actus, quibus hæc dispositio conflatur, vt consentiat Diuinæ gratiæ *cum potentia dissentiendi*? Quid igitur superest, nisi vt dicamus opinionem quæ negat eosdem actus esse *proprie* à libero arbitrio; vllamue dari ad eos indifferentiam, aut libertatam contradictionis iam esse de cælo tactam?

QVINTVM huius Doctoris placitum nobis suspectum est, *Voluntatem nostram non tantum non esse causam liberam intentionis summi boni; sed omninò non esse illius causam efficientem.* Nam cap. 20. numero 2. vbi comparat causas morales cum naturalibus in moralibus, *inquit*, » actus secundus NVMQVAM ACTIONEM, SIVE PRODVCTIONEM significat: sed si ad finem quidem compares, » motum importat, secundum quem causæ morales perficiuntur vnione intimiori ad summum bonum, &c. *Et deinde*, Si rectè & vt par est ordinati sumus, nunquam » aliter comparamur ad finem, quàm vt inferius ad superius, potentia ad actum, perfectibile ad perfectiuum, » QVÆ EST HABITVDO PASSIVA NON ACTIVA. *Iterum*, » Porrò adhæsionem illam ad finem, nec fieri primum, » nec augere posse à nobis; sed ab eo tantum cuius est in finem dirigere. ei perspicuum erit qui aduertet, &c. *Et num. 5. loquens de intentione finis* Deus, *inquit*, per illam » hominem mouet, vt eam dans & imprimens, homo vero seipsum VT RECIPIENS. NAM NON NISI PASSIVE » AD EAM PRÆCISE SVMPTAM SE HABET: quamquam » per illam vt per formam in se iam residentem, actiuè se » habeat ad media. »

Vt verum fatear, non possum hoc loco ad tuendam suspicionem meam proponere Caluini consensum. Illi enim pinguior esse visa est Lutheri philosophia, quam vt eam in hoc casu sequi deberet, vt patet ex 2. Inst cap. 3. numero 14. & cap. 5. numero item 14. Sed ideò tamen debet esse suspecta huiusmodi doctrina, quòd habeat quandam affinitatem cum illo tum Lutheri, tum Lutheranorum rigidorum errore, quo, vt refert Bellarminus

2. de pœnitentia cap. 2. idem affirmant de contritione, quod modo de recta in Deum intentione. 2. Mouet etiam vnanimis consensus omnium Scholasticorum, inter quos nemo vnus vnquam extitit, qui crederet extra hominem penitus, atque in ipso Deo sitam esse totam vim istorum actuum productiuam. 3. Moueor præcipue authoritate Concilij Trident. à quo prorsus quod iste Author negat, totidem verbis affirmatum, atque anathemate vallatum inuenio. Nec enim dubitari potest, quin intentio vltimi finis præsertim sumpti deffinite, & prout est Deus (quo sensu loquitur etiam hic Author vt constat ex cap. 19. num. 3.) sit vna ex precipuis illis dispositionibus, de quibus agitur in Trident. sess. 6. cap. 6. vbi palam fit, *ita illas ab hominum libertate pendere, vt tangente Deo cor hominis, ipse aliquid agat.* Et can. 4. anathema dicitur affirmanti *liberum arbitrium habere se mere passiuè* ad præparationem iustificationi præuiam. Quid igitur de illo censes, qui affirmat hominem *non nisi passiuè se habere ad* eam præcisè sumptam? Illius habitudinem *esse passiuam, non actiuam?* Neque fieri à nobis, nec augeri posse, *sed à Deo tantum?* Denique actum secundum causæ moralis, *numquam actionem seu productionem significare?* An est temeraria suspicio, quæ timet ne sit à Trident. de notatus is qui hæc profert, neue iam sit fulguritus? At inquies, ego tantum aliter loquor: non aliter sentio. Fateor minus esse peccatum, si te Concilio œcumenico loquendi magistrum tantum præbes: &, quod est Spiritus sancti munus Ecclesiæ linguam vltro moderandam suscipis.

SEXTVM, ex duobus prioribus connexum, est, *hominem mereri, & esse laude dignum, eo actu cuius non est causa libera.* Nam cap. 9. num 5. ita loquitur Homo viator ,, suâ circa Deum occupatione meretur, & est laude dignus ,, ac præmio, vt omnes concedunt: ergo libera est illa oc- ,, cupatio quæ tamen est circa finem. Et mox, Sed si rem ,, exactè perpendamus, inueniemus nullam homini stanti ,, & recto circa finem vltimum indifferentiam conuenire ,, Ac tandem. NVLLA ERGO INDIFFERENTIA, SIVE LI- ,, BERTAS CONTRADICTIONIS CIRCA FINEM: & tamen

circa

circa finem aliqua libertas vera, vt & meritum, quod »
numquam ſine libertate reperitur: vnde vlterius infertur »
dari libertatem libertate contradictionis ſuperiorem. »
Quaſi diceret, occupationem hanc internam, quâ &
meretur homo & eſt laude dignus, libertatem habere
qualis reperitur in amore beatifico, & in emanationibus
æternis ſecundæ, ac tertiæ perſonæ SS. Trinitatis, quam
vocare libuit, *libertatem ſtatus*; non habere autem eam
libertatem, quæ eſt *indifferentia ad agendum & non agendum*, conſtituitque cauſam proprie liberam, & quæ cum
libertate contradictionis conuertitur ex cap. 14. num. 7.
ſicuti hæc conuertitur cum libertate exercitij ex cap. 9.
num. 8. quare hanc libertatem non requiri ad meritum.
Hanc eſſe genuinam huius Authoris ſententiam, apertum eſt tum ex his, tum ex ijs quæ docet in fine cap. 9.
& initio cap. 10. & lib. 2. cap. 3.

Hæc autem doctrina mihi ſuſpecta eſt, non tantum
quia noua & ſingularis; ſed quia eſt aduerſa veteri, &
communi. Neque enim omni tempore celebratum eſt,
hodieque celebratur hoc ſolum, meritum ſine libertate
numquam reperiri: ſed eſt inſuper expreſſus libertatis
modus, vt ſit poteſtas agendi vel non agendi, neceſſitatis impatiens, ad alterutrum ſeorſim determinantis,
quod eſt eſſe indifferentiam, & libertatem contradictionis & exercitij. Non eſt inſtituti mei, cogere in hunc locum teſtimonia ſingulorum: leuauit me onere illo Coccius tom. 2. lib. 1. de natura hominis art. 5. Ruiz de ſcientia Dei toto lib. 3. & alij plerique. Non poſſum tamen
omittere vnum S. Auguſtini locum, cui cum oppoſuiſſet
Pelagius dixiſſe Hieronymum, *non eſſe coronam, vbi eſt
agendi neceſſitas*, dictum approbando ſubdit cap. 65. de
natura & gratia, *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde
ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam?*
Quis vero? Tuis fortaſſe temporibus, Præſul ſanctiſſime,
orthodoxus nullus, expectabatur enim ſæculum à Chriſto decimum ſeptimum, à tuo duodecimum, quo Theologiâ recentibus aſtris, & vberiore lumine illuſtratâ,
prodiret opus *De libertate Dei & creaturæ*, quo diceretur.

homo mereri & esse laude dignus tum cum non habet indifferentiam vllam ad agendum vel non agendum, & quod idem est, nullam libertatem contradictionis, seu exercitij.

PRÆTEREA suspecta esse debet hæc doctrina ob censuram Facultatis Theologiæ Parisiensis ad tit. 16. propositionum Erasmicarum. Cum enim dixisset Erasmus *Augustinum vix posse constituere merita*; subjicit Sorbo-
„ na, A Christo merita constitui, item ab Apostolo, item
„ à Sapiente in Prou. & Eccles. Et post eos, *inquit*, confor-
„ miter ad cæteros Catholicos Doctores, Augustinus,
„ meritum asserens constare ex libero arbitrio vertibili, &
„ Diuina gratia: vt sit meritum, opus & gratiæ, & liberi
„ arbitrij vertibilis: Censet igitur Schola Parisiensis, ita requiri liberum arbitrium *vertibile* ad constituendum meritum, vt ea sit & S. Augustini, & cæterorum *Catholicorum* doctrina. Atqui liberum arbitrium *vertibile*, nihil aliud esse potest, quàm liberum arbitrium ita operans vt possit non operari; vel ita non operans vt possit operari, quæ est indifferentia ad agendum vel non agendum, & libertas contradictionis & exercitij: ergo si quidem Sorbonæ creditur, sine hac non constituitur meritum à Catholicis.

DENIQVE appono iudicium S. Thom. qu. 6. de malo, art. 1. in corp. Postquam enim retulit opinionem aliquorum, qui dicunt hominis voluntatem, quamuis neque cogatur neque violentiam patiatur, moueri tamen ex necessitate ad aliquid eligendum, omnino pronuntiat,
„ Hæreticam esse opinionem hanc. Tollit enim, *inquit*,
„ rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non
„ enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quòd
„ aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Asserere agendi necessitatem, idem est ac negare indifferentiam agendi & non agendi, vt constat ex notitia terminorum: ergo si vnum videtur *hæreticum*, eo quòd tollat rationem meriti & demeriti; aliud quoque ob eandem rationem hæreticum videri debet. Non est igitur *Catholicum* existimare sublata illa indifferentia, & substituta

necessitate, remanere nihilominus rationem meriti & demeriti. Atque hoc magis adhuc explicat S.Thom. cum requirit vt id quod est meritorium sic fiat à merente, *quod vitari poßit*. Cum sit manifestum, id quod aliquis ita facit vt possit non facere; fieri ab eo liberè libertate contradictionis, & exercitij. Quam ergo doctrinam nos *suspectam* esse dicimus, *stare nimirum posse meritum sine libertate contradictionis*; S. Thomas exserte pronuntiat esse etiam *hæreticam*.

SEPTIMVM est etiam connexum ex superioribus, scilicet *Meritorium esse, non solum quod aliquis facit absque libertate contradictionis: verum etiam quod ne facit quidem, sed recipit tantum.* Constat ita sentire hunc Authorem, quia in illa interna hominis occupatione circa finem, de qua superius, comprehendit sine dubio intentionem: cùm ea vel sola vel præcipua sit viatoris occupatio circa finem. Illa igitur est, per quam viator meretur & est laude dignus. Atqui audiuimus antea hominem *nonnisi paßiuè se habere ad illam: in nobis fieri & augeri à Deo tantum: habitudinem quam per illam ad Deum dicimus, non esse actiuam sed paßiuam*: Est igitur meritum in eo quod non agimus. Atque hoc apertius patet ex cap.9.num.8.vbi postquam distinxit in conuersione ad Deum nostrâ duplicẽ rationem; nempè ipsam præcisè rationem conuersionis ad Deum: & rationem separationis à creaturis: subdit, Hanc quidem auersionẽ à creaturis, prout innititur Deo sicut fini nostro „ cui inhæremus, esse meritoriam tanquam actum nostrum: „ illam verò conuersionem præcisè sumptam etsi sit meritoria vitæ æternæ, non tamen tanquam actum nostrum „ (quia *inquit*, vt optimè dicit D. Th. non mouemus nos in „ finem) sed tanquã opus Dei per Christum in nobis. Quod „ quid aliud quæso, significat, quam *conuersionem præcisè sumptam esse meritoriam, non vt actum à nobis elicitum sed vt actum à Deo immissum & à nobis receptum?* Et mox, Etsi actus „ illi meritorij, prout circa Deum versantur, non sint propriè nostri; sunt tamen actus qui in nobis reperiuntur & „ non habitus. Id est, quamuis non fiant à nobis recipiun- „

„ tur tamen Similiter etsi non propriè illis mereamur, *nem-*
„ *pè quia non producimus*, sunt tamen illi meritorij. *Et deinde*,
„ hanc autem libertatem, *illorum scilicet actuum*, cum non
„ possit spectare ad exercitium: nec sit libertas secundum
„ quam homo se moueat, *viden vt hominis actionem negat?*
pertinere oportet ad statum inchoatum libertatis. Mitto cætera huius doctrinæ peccata quam plurima. Nam & D. Thomæ imponit, & in multis secum pugnat: sed hoc alibi. Hoc vnum designo, *Meritum esse in eo quod non agimus*, *& hoc quod est pati à Deo beneficium præcisè, meritorium esse.* Hæc enim est summa eorum quæ retulimus.

Sed præterquam quòd primo statim aspectu videtur esse absurdissima sententia: est etiam in fide suspecta. 1. Quia vt omittam esse nouam & singularem, & veteri communique aduersam; cõstat in sacris litteris coronam, præmium, mercedem, & alia id genus, quorum propositione meriti ratio adstruitur, certanti, vincenti, laboranti, vno verbo aliquid operanti promitti: nec fas esse alia conditione sperare huiusmodi bona: hoc autem & frustrà & falsum est, si dentur etiam cessanti & nihil agenti.

2. Idem est Sorbonæ iudicium. Nam inter errores Parisijs condemnatos, huius quoque reuocatio continetur ex Academiæ præscripto facta anno 1354. 5. *Dixi, quod bonum meritum est à Deo, ita quod nihil est à voluntate* subjicit, *hanc reuoco tamquam falsam, scandalosam, & in fide suspectam.* Quomodo ergo purgabit se Doctor ille, qui & Sorbonicum agit, & docet bonum aliquod meritum esse à Deo, ITA QVOD VOLVNTAS NON NISI PASSIVE SE HABEAT?

3. Expressa est Tridentini decisio sess. 6. can. 26. requiri
„ ad meritum, Vt iustus bene agat: *& can.* 32. Bona opera
„ ita esse Dei dona, vt sint etiam bona iustificati merita:
„ fieri ab eo: ipsum per illa vere mereri augmentum gratiæ. Vbi iam illud, *Actus quibus occupamur circa Deum non esse propriè nostros: nos non propriè mereri per illos.*

Nec est quòd quisquam excusationem ex eo petat quod antè retulimus, non esse libertatem contradictionis, & indifferentiam agendi ac non agendi in homine

ſtante & recto: quaſi verò concederetur eſſe in lapſo; quia quæſtio eſt vt patet ex num. 8. illius cap. 9. de conuerſione peccatoris, quæ eſt actus naturæ *lapſæ*, non *ſtantis*.

OCTAVVM, *Electionem quâ quis poſt deliberationem de ineundo vitæ ſtatu, concludit pro Deo potius quam pro ſæculo, non eſſe abſolutè laude dignam, imo nec culpæ expertem.* Ita cap. 9. num. 6. vbi cum eſſet reſponſum, electionem peccatoris, qui mauult ſeruire Deo quam ſæculo, eſſe laude dignam & meritoriam; Sed contra eſt, *inquit*, quod „ etſi qui in deliberatione de vitæ ſtatu, concludit potius „ pro Deo quam pro ſæculo, ſit minùs vituperabilis, quam „ qui in fauorem ſæculi litem dirimit; non tamen abſolute „ laude dignus eſt, imo nec culpæ expers: ſed in ea peruer- „ ſitate verſatur, quam, &c. „

HÆC doctrina, vt mitiſſimè loquar, maxime debet eſſe ſuſpecta. Atque hoc ita eſt per ſe manifeſtum, vt nemo ſapiens & eruditus ſuſpicionis cauſam quærat. Quid? Sapientia Chriſtianiſmi vniuerſa non hortatur nos vt conſilium capiamus tum alijs de rebus, tum potiſſimum de *ineundo vitæ ſtatu*? Quare autem niſi vt ſemper *pro Deo concludamus*? Ergò vt peccemus? Eccui vmquam inauditum eſt, prudenter facere illum, qui ſe illaqueat peccandi neceſſitate? Atqui hoc faciet quicumque deliberationem inibit de vitæ ſtatu. Neceſſe enim erit, vt concludat vel pro ſæculo, vel pro Deo, vel pro neutro. Si primum vituperabilis eſt: ſi ſecundum, quamuis ſit minus vituperabilis, non tamen *expers culpæ*: ſi tertium, quid fiet? Poterit eſſe innocentior qui neutrum concludit quam qui pro Deo? Apage abſurdam cogitationem. Quas gratias non rependat Lutherus, dum videt id quod à ſe dictum erat, omnes in vniuerſum actus bonos nequitia infectos eſſe; ab hoc Authore partim eſſe retentum, approbatumque in ijs ſaltem qui videntur eſſe omnium optimi? Quid enim melius fieri poteſt, quam ſi propoſitâ hinc quidem voluptate cum turpitudine, illinc verò honeſtate cum crucibus; concludatur ad honeſtos labores, potius quàm ad turpes illecebras: ad Deum, potius quàm ad

Dæmonem? Et qui hoc facit *non est culpæ expers?* Vtinam ita mihi *semper peccare contingat*: moriar in impœnitentia, vt loquuntur, finali.

NONVM. *Pacem & tranquillitatem animi, quam quærit is qui sese ad Deum conuertit, non esse obiectum per se bonum, & cuius intuitu liceat operari sine peccato.* Ita, cap. illo 9. num. 6. vbi affertur hæc ratio quare non sit *expers culpæ*, is qui pro Deo concludit in deliberatione de vitæ statu eligendo. Quia seipsum sibi finem præfigit, & Dei cultu & obsequio vtitur ad pacem & tranquillitatem propriam.

HÆC doctrina mihi suspecta est, quia non videtur ab ea differre, quâ quis censeat illicitum esse velle obsequi Deo ad vitandum malum cuius timor animum perturbat; malum, inquam, quod ab irato Deo imminet, & pænam constituit vel æternam vel temporariam: item esse illicitum velle obsequi Deo, vt firmetur fiducia Diuinæ misericordiæ, & spes veniæ ac reconciliationis affulgeat. Nihil, inquam, aliud esse potest velle obsequi Deo, vt sit pax & tranquillitas animi; quàm velle obsequi, vt illorum malorum fuga, & istorum bonorum consecutio certa fiat. Ac proinde si vnum non est culpæ expers, vt hic Author censet; neque aliud esse potest. Esse
„ autem, definitum est à Trident. sess. 6. can. 8. Siquis di-
„ xerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei
„ de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando absti-
„ nemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere,
„ anathema sit. *Et can. 31.* siquis dixerit iustificatum pecca-
„ re, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; ana-
„ thema sit. Item est definitum à schola Pariensi in cens.
propos. Eras. tit. 16. vbi dicitur *Licitum esse præmio moueri ad bene operandum, & oppositum asserere erroneum esse.* Et in cens. propos. Lutheri tit. 2. de contritione, propositio
„ quæ asserit. Contritionem quæ paratur quando quis re-
„ cogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderan-
„ do peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem,
„ amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis

acquisitionem, hanc, *inquam*, contritionem facere ho- „
minem hypocritam & magis peccatorem, pronuntiatur „
esse *falsa*, *viæ ad pœnitentiam impeditiua*, *sacris scripturis & doctrinæ sanctorum difformis*. Sorbonæ iudicium hoc recepit deindè Concilium Trid. sess. 14. c. 4. & can. 5. de pœnitentia. Atqui nemini dubium esse potest, quin illa contritio quærere faciat *pacem & tranquillitatem*: ergò si hoc non sit *culpæ expers*, facit hominem magis peccatorem. Denique sacræ paginæ homines hortantur, *vt velint dies videre bonos*, *inquirant pacem*, *& eam persequantur*, *& tamen non hortantur ad malum*.

DECIMVM continetur his verbis in cap. illo 9. num. 6. In lucta carnis & spiritus, *quæ præcedit perfectam* „
conuersionem hominis ad Deum, si quæras num aliquid sit me- „
ritorium, & laude dignum? respondeò, verè. At caue ne „
laudem tribuas infirmitati nostræ, vndè frequentes illi „
lapsus, & molestæ contradictiones. Tota namque debetur „
gratiæ Dei, quæ, &c. *pergit*, sed nonne aliqua nostra „
operatio, & non tantum Dei, hic est laude digna? verè. „
At illa nostra operatio est ipsa gratiæ operatio, quæ no- „
stra fit dum per illam paulatim à creaturis ad Deum re- „
trahimur: ad quam frequens illa conuersio cum quadam „
inclinatione ad creaturas, non aliter comparatur QVAM „
VT OBEX, NON VT PARS. „

HAC oratione duo non obscurè significantur. Alterum est iam notatum, nullas scilicet esse partes liberi arbitrij in conuersione voluntatis ad Deum. Eò enim spectat quod dicit, *Operationem gratiæ quæ inibi reperitur*, *nostram fieri dum per illam retrahimur*, *&c.* Quasi diceret non esse nostram ratione dependentiæ quam à nobis habeat: sed esse nostram ratione effectus quem in nos influit. Et deinde, *conuersionem illam frequentem*, quâ scilicet voluntas assurgere in Deum nititur, *non esse partem operationis gratiæ*: quod est voluntatem in ea Diuinæ gratiæ non cooperari. Vnde intelligas nihil anteà temere suspicatum de praua huius hominis sententia.

Alterum verò est, Conuersionem hanc frequentem, „

» non tantum non debere comparari, ad operationem gra-
» tiæ vt partem; ſed comparari debere vt obicem. Quæ ſententia mihi ſuſpecta eſt ex duplici capite. Primò, quia redolet Pelagianiſmum. Secundò, quia redolet Lutheraniſmum.

Siquidem illa frequens conuerſio nihil aliud eſt quam frequens animi conatus ad Deum nitentis, qui miſcetur frequentibus etiam caſibus eiuſdem animi relabentis ad creata, in eâ pugnâ, quâ perfectæ abſolutæque conuerſioni præluditur. Eſſe autem illos conatus mere naturales, & à Diuina gratia ita independentes, vt ne *partim* quidem ad illam pertineant, aſſertum olim eſt à Pelagio, negatum à SS. Patribus, qui cum illo pro eadem gratia pugnauerunt. Addere verò eoſdem conatus, non ſolum non eſſe *partim ſaltem* à Diuina Gratia; ſed inſuper illius operationi *obicem ponere*: hoc demum eſt dicere eſſe peccata. Vnde ſequitur, hominem in ea lucta carnis & ſpiritus in Deum niti, nihil aliud eſſe quàm peccare. Hoc verò merum ſapit Lutherum, cuius ſententiam perculit Trid. ſeſſ. 6. can. 7. Si quis dixerit, quantò vehementius
» quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum grauius
» peccare, anathema ſit.
»

VNDECIMVM *Continuum Diuini amoris exercitium, ita eſſe neceſſarium, vt eius interruptio ſola impotentia, vel inaduertentia excuſetur à peccato.* Ita cap. 9. num. 5. vbi probat non eſſe in homine ſtante & recto indifferentiam ad amandum Deum, vel non amandum, hac ratione. Quia ſcilicet Homo viator eſt, & omnibus quidem vitæ
» partibus, & ſtatibus viator, OBLIGATVS ad finem ſuum
» irrequieto motu properare, nullam in ſe, vel in cæteris
» creaturis quietem ſuſtinendo. Si ergo ſuſpendat PO-
» TENS ET PRVDENS, ET NON EX INFIRMITATE actum
» diuini amoris, debet illa ipſa ſuſpenſione ad finem ten-
» dere. Ad quem autem finem tendet? Si ad Deum, non
» ergo ſuſpendit; ſed proſequitur amorem Dei. Nam om-
» nis intentio pura & ſincera Dei, quidam Dei amor eſt;
» ſi ad

si ad seipsum & vt sibi vacet à Deo vacare velit; iam hoc,, est à rectitudine excidisse. Vides præter impotentiam &,, imprudentiam, nullam huic homini rationem occurrere, qua ita suspendi possit amor Dei, vt ipso facto non *excidatur à rectitudine*. Idem habet cap. 12. num. 3. vbi de homine loquens, Non magis, *inquit*, licitum ei est à fine respicien-,, do & quærendo abstinere, quàm possibile non pendere à,, principio. *Et posteà*, si non aduertit quæ agit, inaduerten-,, tia illa à culpa excusat: si autem sciens & videns opere-,, tur, nec opera sua ad Authorem referat ingrati animi la-,, bem non effugiet. *Et num. 4. in fine*, Ergò quoties homo,, deliberatione agit; debet in finem tendere, & si secus,, egerit, priuabit se, actumque suum perfectione debita,,, & peccabit quia non sequetur regulam. ,,

Hæc sententia 1. videtur nonnullam affinitatem habere cum illa Lutheri, qua vitio vertit hominibus, *quod non omni tempore illos pœniteat peccatorum*, de qua pronuntiat Parisiensis Facultas in cens. propos. Luther. tit. 8. *Esse falsam irrationabiliter, & ex erroneo scripturæ intellectu assertam.*

2. Repugnat scholis omnibus, à quibus affirmatiua, vt vocant, præcepta, in eo distinguuntur à negatiuis; quia licet obligent semper *non tamen pro semper.* Et de præcepto charitatis nominatim quærunt; quo tempore vrgeat illius implendi necessitas. Atque hic quidem vrgere dicit, cum primum incipit esse vsus rationis: ille, cum præsens est vitæ periculum: alius, quando suscipitur Baptismi Sacramentum: aliquis, singulis diebus Dominicis: est qui putet celebrioribus etiam festis: nonnulli, dum graui tentatione iactamur: alij, recepto ingenti beneficio: aliud ab alijs tempus designatur; omne verò à nullo. Sed quò vobis illæ rixæ, ô Viri Sapientes? Decretorium nuperi Doctoris arbitrium in promptu est. Vera dicitis omnes, & falsa. Nam quod certo quodam tempore significatis exercendum esse Dei amorem, verum est: quod aliud tempus excluditis, est falsum. Suprema hæc est controuersiæ decisio, quam mirabile est nemini vestrum venisse in mentem.

3. Hæc doctrina cæteris virtutibus est iniuriosa. Sequitur enim ex illa manifestè tantulam esse bonitatem earum, vt neque singulæ seorsim, neque simul omnes sufficiant, ad occupandum honeste voluntatem: quin etiam si totam obtineant, ita vt non sit locus actui Diuini amoris, inuehere peccatum omissionis: peccare igitur qui totus incumbit exercendæ fidei, ex proprio illius virtutis motiuo: peccare qui spe plenus est: peccare quem suorum peccatorum tantus occupat dolor, ex sola ipsorum fœditate, aut etiam ex metu æternorum suppliciorum conceptus, vt nondum pateat aditus Diuino amori: hos omnes, inquam, ita peccare, *vt sola excuset inaduertentia*. Vnde

4. Vlterius sequitur, frustra esse quod à Trident. supponitur sess. 14. cap. 4. *Esse aliquam contritionem imperfectam, siue attritionem quæ peccandi voluntatem excludat.* Nulla enim imperfecta dicitur contritio, nisi quæ compatitur actualis amoris defectum: qui cum dicatur esse *culpabilis*, nisi excuset *aduertentia vel impotentia*; sequitur nullam esse contritionem imperfectam, quæ culpam actualem, hoc est peccandi voluntatem excludat, si absit inaduertentia, & impotentia. Quod si adsunt, peccandi voluntas non iam per contritionem, vt vult Concilium sed per ipsas excludetur. Hæc sunt, quæ mihi meritò suspectam reddunt adductam opinionem.

DVODECIMVM, *Non tantum Diuini amoris, sed & cuiuscumque virtutis ad quam gratia cælitus impulerit, culpabilem esse omissionem.* Hæc sententia in multis locis habetur: nempe quotiescumque potentia suspendendi effectum Diuinæ gratiæ, cum potentia peccandi confunditur: ideóque illa negatur ad libertatem pertinere, quòd ista non pertineat. Atque hoc statuit tanquam vnicum ferè totius suæ philosophiæ principium; vt indicat tum alias sæpè, tum maximè cap. 31. cap. autem 27. numero 3.
„ cum objiceretur. Necessarium esse ad dominium volun-
„ tatis in actus suos, vt suspendere possit illum, ad quem
„ prædeterminatur, *respondet interrogando*, In quo velimus

elucere hoc dominium? An in eo quòd voluntas possit » abjicere huius modi actum, vbi finis ordo postulauerit? An » in eo quod possit pro libito dimittere, etiam præter exi- » gentiam finis? Si secundum inquit, elegerint, meminerint, » quæso se iam toties fassos fuisse peccandi potentiam non » esse libertatem, nec partem libertatis. Vides vt potentiam peccandi confundit cum potentia dimittendi vel abjiciendi actum, ad quem aliquis prædeterminatur, quando finis ordo non exigit vt dimittatur, quod perpetuum est: repugnat enim nos à Deo efficienter prædeterminari, ad id quod vt omittamus, ab eodem finaliter exigitur. Perpetuum igitur est potentiam supprimendi actum ad quem à Deo mouemur, esse potentiam peccandi; atque adeò ipsum supprimere, idem esse quod peccare. Idem habet cap. 22. num. 4. vbi docet Concilium Trid. can. 4. sess. 6. dum definit *Liberum arbitrium dissentire posse Deo vocanti & excitanti, non comprehendere Beatam Virginem, non Dominum Iesum, quos à Deo mouente dissentire potuisse & peccare, nemo pius cogitarit.* Vides vt hîc etiam vel confundit, vel coniungit *τὸ dissentire* cum eo quod est *peccare*.

Hæc verò sententia mihi suspecta est. Quia de medio tollit doctrinam catholicam de distinctione bonorum operum, in ea quæ dicuntur *consilij, seu supererogationis*: & ea quæ sunt *præcepti*. Nullum enim est in vniuersum opus bonum (de meritorijs loquor & ad æternam vitam conducentibus) quod fiat sine præuia & speciali Dei motione: ac proindè quod non sit eiusmodi iuxta opinionem hanc, vt eius omissio peccatũ sit. Atqui apertum est idem esse, alicuius operis omissionem esse peccatum, & eiusdem exercendi extare præceptum: nullum igitur erit opus bonum, cuius exercendi præceptum non extet.

Vndè vlterius sequetur, ea quæ dicuntur consilia, esse tantum consilia obediendi præceptis. Nam cum Dei consilium eò tantum spectet, vt homines sequantur motum Diuinæ Gratiæ in eximijs virtutum operationibus; non possint autem non sequi sine peccato ex suppositione; sequitur nihil aliud facere Deum suo consilio, quàm monere homines vt non peccent: hoc verò monere est

vt præcepto pareant. Nulla igitur sunt consilia seorsim à præceptis.

Atque hac eadem ratione Catholicam illam operum distinctionem impugnat Molineus in 1. par. Clypei sui
,, papyracei sect. 69. Quod si, *inquit*, ad exequenda opera
,, illa supererogationis, Deus spiritum suum hominibus
,, impertitur, & adiuuando præsto est, necessaria igitur
,, obligatione faciendi constringuntur, ne reddant Dei
,, gratiam inutilem, & hoc pacto non erunt amplius ope-
,, ra supererogationis, quando quidem est obligatio exe-
,, quendi. Hinc patet Authorem nostrum arma hæreticis præbere, quibus Orthodoxos adoriantur.

Que si pour faire ces œuures supera-bondâtes: Dieu donne son esprit, & son assistance; ils sont donc necessairement obligez à les faire, de peur de rendre inutile la grace de Dieu: & ainsi ce ne sont plus œuures de supererogatiō, puis qu'ils sont obligez à les faire.

Huc facit Parisiensis facultatis iudicium in cens. Luther. propos. tit. 10. de consilijs Euangelijs. Cum enim dixisset Lutherus, *non esse consilium illud Christi, sed præceptum, qui te percusserit in maxillam, &c.* Math. 5. item illud, *Non nos defendentes charissimi. &c.* Rom. 12. *Hæc propositio* inquit, Sorbona, *est falsa, legis Christianæ nimium onerativa, & sanæ intelligentiæ scripturæ aduersa.* Atqui Doctor iste censet non solum de illo duplici virtutis actu sed in vniuersum de omni cuius eliciendi Deus author fuerit interna sua inspiratione; non dari ab eo consilium, sed imponi præceptum, adeo vt omittere malum sit. Quanto igitur magis Christianam legem onerat? Et quæ ratio suppetet tuendæ pacis, atque internæ libertatis filiorum Dei; si timere cogantur ad singulos quosque instinctus, quos suspicabuntur esse diuinos, ne vapulent nisi dicto audientes sint.

Cap. 1. lib. 1. num. 3. cap. 17. lib. 2. num. 2.

Quod autem idem Author alias significat veluti hanc sententiam mitigando, non consentire Diuinæ gratiæ aut esse peccatum *aut certè defectum & imperfectionem*, talem nihilominus vt neque in Christum, neque in Beatam Virginem, neque in reliquos Beatos cadere possit, facit vt dicamus, illum, ijs quidem locis qui à nobis adducti sunt, errauisse: alijs, proximè tantum ad errorem acces-

fiſſe. Deinde poſtulamus ab eo, vt nos doceat, ecquis eſſe poſſit defectus, qui quidem cadat in exercitium libertatis, proindeque ſit defectus moralis: ſit etiam intolerabilis ſanctorum conſcientiæ, neque tamen peccatum dici meritò poſſit.

DECIMVM-TERTIVM. *Diuinam gratiam conſumere interdum potentiam diſſentiendi, aut non conſentiendi, ſtante arbitrij libertate neceſſaria, ad bene agendum & merendum quin etiam ſtante libertate contradictionis.* Ita c. 22. n. 1. vbi duos prædeterminationis modos diſtinguit: aliam dicit eſſe prædeterminationem facultatis, aliam actus. De priori ſic loquitur, Prædeterminatur facultas, quando ita à „ Deo afficitur, & in eo ſtatu intrinſeco conſtituitur, vt non „ poſſit ad oppoſitum eius, quod ipſe voluerit. *Et deinde*, „ hoc totum, *inquit*, includit Diuina motio, à qua, vt ſup- „ ponimus, nullatenus pro hoc ſaltem tempore deficere „ poteſt, *is nempe qui eam recipit. Numero* 13. *iterum repetit. Prædeterminationem ſi ſit potentiæ* AVFERRE DEFECTVM *libertatis: atque adeo aduerſari libertati peccantium, quæ importat* DEFICIENDI POTENTIAM. Iam autem vidimus τὸ *deficere* idem illi eſſe, quod *dimittere vel abijcere actum* ad quem aliquis à Deo impellitur: vnde conſtat prædeterminationem quæ. *deficiendi potentiam* auferre dicitur, ex ipſo dicendam auferre *potentiam ſuſpendendi* actum in quem tendit. Talem autem fuiſſe dicit prædeterminationem voluntatis Chriſti Domini, etiam dum eſſet viator, & Beatorum omnium in Cælis regnantium, & Beatæ Virginis, & præcipuorum quorundam ſanctorum, ad quos negat pertinere id quod dicit Triden. ſeſſ. 6. can. 4. de potentia diſſentiendi à Deo mouente & excitante. Ita cap. cit. numer. 1. 4. & 13. Cum ergo admittat liberrimum eſſe in iiſdem arbitrium, maximeque idoneum ad bene agendum ac merendum; ſequitur *ſtare arbitrij libertatem, & benè agendi atque merendi facultatem, cum impotentia ſuſpendendi actus illos bonos & meritorios.*

Verum hæc doctrina mihi ſuſpecta eſt. 1. propter nouitatem ſuam. Quia nemo vnus eſt inter Catholicos Au-

thores, qui hæc duo coniungat, arbitrij libertatem, & intrinsecam impotentiam suspendendi vnum illum actum determinatum, qui dicitur exerceri liberè, in eo rerum ac circumstantiarum concursu, in quo dicitur exerceri. Thomistæ certe quorum intererat ita sentire, quoties hoc aut simile argumentum est propositum, *Quod auffert potentiam dissentiendi, auffert libertatem: sed prædeterminatio auffert potentiam dissentiendi: ergò, &c.* Constanter inueniuntur concessisse Maiorem. Totus circa minorem disputationis impetus fuit; dum illi omnino negant: alij ius negandi nullum esse contendunt. Cum ergò illi hac vna linea quod scilicet *prædeterminatio physica non auferat potentiam dissentiendi*, hactenus suæ doctrinæ simul & Caluinianæ confinia inconfusa seruarint; credibile admodum est, hunc Authorem eiusmodi lineam prætergressum, in alieno à Catholicis fundo laborare.

2. Videtur mihi admodum confidenter philosophari qui censet, id quod est à Concilio Trident. pronuntiatum, vt plurimum tantum esse verum: falsum autem in *præcellentioribus sanctis, quos prærogatiuis ornare Diuinæ bonitati visum est*, vt ipse loquitur cap. cit. numero 4. Certe quidem hinc sequitur, nihil aliud esse à Trident. sancitum, quàm, non esse vnam omnium qui ad Christum vocantur conditionem: alios enim incitari potentius: alios adduci paulò lenius: eximijs, nullius moræ copiam fieri, fieri vero contemptioribus: quare illis nullam prorsus deberi laudem, eo quod non restiterint, neque enim habuisse resistendi libertatem: istis autem qui eam habuerit, deberi. Quæ vereor ne non modo superfluè à Concilio, sed neque satis vere sanciri potuerint.

3. Tridentinorum Patrum, nisi me fallo, hic scopus fuit, sua illa sanctione efficere, vt integra esset liberi arbitrij vetus opinio: neque aliter retinuisse potentiam sustinendi assensum incitante Dei gratia, quam quia verebantur ne si eriperetur, de libertate quoque actum esset. Quod si sublata huiusmodi potentia, pro illo tantum tempore quo gratia instat, salua nihilominus est arbitrij libertas, facultasque bene agendi atque merendi: estque locus

adhortationi, consilio, præceptis denique præmio, & coronæ; nihil admodum causæ fuerit, cur tanto studio niterentur, vt rem minime necessariam conseruarent. Ergò persuasum fuit eamdem esse vtriusque aleam, libertatis scilicet, quæ necessaria est ad honestas & meritorias actiones, & potentiæ cohibendi affectum, ad quem Deus inspiratione sua impellit. Vnde sequitur hunc Authorem, quemadmodum Thomistas docere aggreditur rationem defendendi prædeterminationes physicas, meliorem illâ quâ vsi hactenus fuerant, ita & Tridentinos Præsules erigere ac confirmare velle contra inanem metum, ereptâ cogitatione illâ pauidâ periturae libertatis, si pereat dissentiendi potentia, pro illo tempore quo gratia efficax nostris voluntatibus insidet.

DECIMVM-QVARTVM. *Non solum excellentioribus sanctis; sed in vniuersum creatis voluntatibus adimi potentiam aliter agendi, antecedenti prouidentiâ Dei.* Ita cap. 8. numero 2. vbi putat S. Augustinum 5. de Ciuit. cap. 9. & 10. docere, aliam esse necessitatem, quam quæ dicitur *sensus compositi*, quæ stet cum libertate, scilicet illam quæ nascitur non modò ex præscientiâ futurorum; sed etiam ex prouidentiâ, quæ præcedit hanc præscientiam. Ibi, *inquit*, *designando caput nonum*, aliam indicat & necessitatem, & immutabilitatem quàm sensus compositi. „ Prouidentia namque est præscientia prior, & multò magis voluntatibus & actionibus nostris (de præscientia conditionata, & de prouidentia quæ per illam dirigitur, nullus apud eum sermo) & per eam Deus voluntates nostras sibi subjicit & inclinat quo vult: ita vt quod facturæ sunt omnino facturæ sint, nec res aliter euenire queat: quod sonat immutabilitatem, & tamen libertatem voluntatis non adimit. Quæstio est non solum de libertate quam vocat status; sed & de illa quæ propria est liberi arbitrij: quæque pertinet indistinctè ad bonas & malas actiones, vt constat tum S. Augustini disputatione, tum ex principio huius sectionis quæ citata est, quod est huiusmodi. At quia vbi agitur de aptanda secunda illa necessitate ad

liberum arbitrium sine dispendio libertatis. Vnde perspicuum sit, ex mente huius Authoris libero arbitrio incumbere necessitatem agendi, ortam à Dei prouidentia, antecedenter ad præscientiam absolutam futurorum, seclusa etiam conditionata: necessitatem, inquam, agendi talem, vt res aliter euenire non possit: non tantum in sensu composito sed neque quod vnum restat, in sensu diuiso.

Id quod ego valde suspectum habeo. 1. Quia disertissimè affirmat, id quod Trident. negat: & eam insuper interpretationem rejicit, qua vna videbatur sua Concilio constare veritas & authoritas. Negat Concilium Deum ita mouere voluntatem *vt non possit resistere*, quod est, *vt res aliter euenire nequeat*; iste Author hoc ipsum affirmat, vt iam vidimus. Iam verò qui physicas prædeterminationes tutati sunt hactenus, ictum Tridentini fulminis declinare conati sunt, vel hac vna, vel alia æquiualenti distinctione, cùm dicunt, *Rem quidem aliter euenire non posse in sensu composito, posse autem in sensu diuiso*. Quod cùm iste Auctor nunc exsufflet, designata alia necessitate *quàm quæ est sensus compositi*; nescio quis præterea locus Concilio supersit.

2. Hæc sententia videtur eadem esse, cum ea de qua loquitur S. Thomas quæst. 6. de malo art. 1. Quidam, *inquit*, posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Non enim omne necessarium est violentum, *subdit*. Hæc autem opinio est hæretica: Tollit enim rationem meriti & demeriti. Vides 1. sanctum Thomam agere de illa necessitate, quæ voluntatis coactionem minime inuoluat. 2. de illa etiam, qua voluntas ad bonas & honestas actiones determinetur; postquam impeditura creditur *rationem meriti*. Vnde sequitur 3. agere de illa, quæ posset à Deo immitti, quod alia causa nulla sit, quæ ita impellat ad actus *merendo* idoneos. Hanc igitur necessitatem qui adstruat, S. Thomas hæreticum dicit. Viderit ergo hic Author, quid opus sit facto vt, ei se Catholicum probet.

3. Inter articulos anathemate damnatos Parisijs anno 1270.

1270. tertius numeratur, Quod voluntas hominis ex ne- „ cessitate vult vel eligit, *& anno* 1226. Quòd voluntate „ existente in tali dispositione in qua nata est moueri, & „ mouente sic disposito quod natum sit mouere; impossi- „ bile est voluntatem non velle. Numquid eligit ex neces- „ sitate, qui Dei decreto ita in eligendo subjicitur, vt quod facit *omnino facturus sit: nec res aliter euenire queat?* Et numquid est *impossibile voluntatem non velle*, Deo ipsam mouente tum effectiuè, tum finaliter (qui sunt duo mouendi modi primæ causæ proprij atque perpetui ex huius Authoris opinione) si motionem suam administrat eâ prouidentiâ, qua fiat, ancedenter ad omnem libertatem, vt *res nequeat aliter euenire?*

4. Hæc videtur esse ipsissima Caluini sententia. Necessitas enim, quâ ille hominum voluntates illaqueat, non aliundè ingruit, quam ex Dei prouidentiâ, vt constat ex 1. Institut. cap. 16. sect. 8. vbi sic loquitur. Nos etsi „ de verbis non litigamus, fati tamen vocabulum non re- „ cipimus: tum quia est ex eorum genere, quorum pro- „ phanas nouitates refugere nos Paulus docet: tum quia „ eius odio conantur grauare Dei veritatem. Dogma ve- „ rò ipsum falso ac malitiosè obiectatur. Non enim cum „ Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo cau- „ sarum nexu, & implicitâ quadam serie, quæ in natura „ contineatur: sed Deum constituimus arbitrum ac mo- „ deratorem omnium, qui pro sua sapientia ab vltima „ æternitate decreuit quid facturus esset: & nunc sua po- „ tentia quod decreuit exsequitur. Et deinde sect. 9. In- „ terea quod statuit Deus sic necesse est euenire, vt tamen „ neque præcisè, neque suapte natura necessarium sit. „ Exemplum in Christi ossibus familiare occurrit. Cum „ induerit corpus nostro simile, fragilia fuisse eius ossa ne- „ mo sanus negabit: quæ tamen frangi fuit impossibile. Vn- „ de iterum videmus non temere in Scholis inuentas fuisse „ distinctiones de necessitate secundum quid, & absoluta. „ Item consequentis & consequentiæ: &c. Ex quibus „ duobus locis perspicue liquet. 1. Necessitatis quâ libertas à Caluino destruitur, in solâ Dei voluntate causam

poni. 2. Negari ab eo necessitatem illam esse *absolutam* aut etiam talem, vt impediat quò minus res, quæ ita est necessaria, *dicatur esse per se & ex natura sua contingens*, quemadmodum ossa Christi censeri debuere fragilia ex se, quantumuis ex suppositione Diuini decreti foret impossibile illa frangi. Sed & 3. constat Caluinum ab hac necessitate *coactionem exclusisse*. Lib. 2. cap. 2. sect. 5.

Quæ cum ita sint, duæ me difficultates angunt, atque huius Doctoris, quo cum res nobis est, opem implorare cogunt. 1. Quid intersit inter eam necessitatem, quâ Caluinus libertatem ad bonum nobis ademisse creditur: & eam cuius se ipse præbet assertorem? loquor de libertate ad bonum, nam de illâ quæ ad malum, posteà. Quod si nihil quidem à Caluino in hac parte peccatum esse contendit, quod necessarium videtur, ne sententiam dicat in seipsum: occurrit statim 2. difficultas. Ecquos tandem Caluinus allatret, ac mordere conetur, tamquam suæ huic doctrinæ infensos? Non alios certè quam Romanos Doctores. Ergo ab ijsdem dissentit ipse, qui tam apprimè in hac adstruenda necessitate Caluino consentit.

DECIMVM-QVINTVM, Eódem pertinet, sed referre iuuat quot modis, quotque locis libertatem arbitrij destruat. Ergò asserit *Deum prædeterminando nequaquam relinquere in voluntate agendi vel non agendi indifferentiam.* Ita cap. 30. numero 4. vbi contendit, si Deus non possit dare ipsum velle Creaturæ, nisi præuiderit sub conditione futurum; suasurum solummodo non daturum, quod
,, absurdum est. Hoc autem sequi probat, Quia, *inquit*,
,, quod præstabit in hoc casu aliud nihil erit nisi pia cogita-
,, tio & affectio, cum quâ homo est indifferens ad agendum
,, & non agendum. Qui autem dat ipsum velle *(Physicè ni-*
,, *mirum præmouendo)* non relinquit te indifferentem: sed
,, te determinat accommodatè ad conditionem tuam.

Nolo vt mihi quisquam objiciat alijs in locis ab eodem Authore significatum esse contrarium. Quia non est mihi propositum tueri quæcumque ab eo dicuntur inter se cohærere. Sed quantumuis alibi rectè sentiat: non pro-

hibet esse suspectum quod hoc loco male pronuntiatum est.
1. Quia vlterius procedit quam quo Caluinus peruenerat. Hic enim, vt anteà notauimus, censuit non impediri quominus voluntas, cui Deus necessitatem imponit agendi, sic dicatur esse absolutè vel indifferens, vel contingens in agendo, seu quocumque alio modo placuerit exprimere internam illam necessitatis carentiam; quo modo Christi Domini *ossa dicebantur absolutè fragilia:* quamuis æterno Dei decreto eorum confractio esset impedita. Nunc autem credere iubemur *non relinqui indifferentem illum*, quem Deus physice præmouet.
2. Cum esse *indifferentem* in agendo & non agendo, sit idem prorsus cum eo quod est esse *contingentem* vel *contingenter agentem aut non agentem*: sequitur idem esse, Deum non relinquere causæ quam præmouet, *indifferentiam*, & non relinquere illi *contingentiam*. Ac proinde si quæ sit operationis eius *contingentia*, minime ab ipsa petenda erit: sed ab ea tantum causa, in cuius arbitrio positum erat præmouere aut non præmouere. Quid igitur fiet illa omnium mortalium, qui quidem sapere putantur, cogitatione: qua distingunt *contingentes* effectus causarum creatarum à *necessarijs*; & illos causis potissimùm liberis attribuunt? Cur, inquam, dicitur *contingens* hominis electio: nisi quo modo contingens est hodierna solis conuersio, si nullius causæ creatæ libertas hoc illi potius quàm huic conferat, vt *contingenter* existat?
3. Cum hæc indifferentia duo induat, potentiam, scilicet agendi & potentiam non agendi, sequitur non aliter censeri posse non relinqui illam à Deo prædeterminante, quàm quia non relinquitur alterutra illa potentia. Sed neque dici potest adimi tunc agendi potentia, potius enim confertur. Restat ergò vt adimatur potentia non agendi: idemque sit, *non relinquit te indifferentem*, cum eo quod est, *non relinquit te potentem suspendere actionem*. Quare Tridentini qui contrarium exigunt, sibi consulant.

Temperamentum autem illud, quod adhibere cona-

tur, dum dicit, non relinquit te indifferentem; ſed te determinat *accommodatè ad conditionem tuam*, inutile eſt, & ſententiam vniuerſam confundit atque implicat. *Conditio* enim cauſæ liberæ, poſtulat vt eſſe ſinatur *indifferens*, quando ad agendum applicatur. Ergò idem eſt, *Deus te determinat accommodate ad conditionem tuam*: ac, *Deus ita te determinat, vt indifferentem relinquat.* Vnde ſi iam compleatur huiuſmodi ſententia, & integra iterum pronuntietur, ita ſonabit; *Deus non relinquit te indifferentem: ſed te ita determinat, vt indifferentem relinquat.* Quo quid abſurdius fingi poteſt? Neque magis cohæret id quod alias in pari cauſa dicitur, Dei decretum illud antecedens omnem ſcientiam circa futura contingentia, & agendi neceſſitatem influens in hominum voluntates, non obeſſe libertati, ſed prodeſſe potius; eò quod Deus, qui pro ſua infinita ſapientia optimè nouit quæ ſit ratio conſeruandæ libertatis, cauſas liberas præmouere decernat, *quo modo conſentaneum eſſe ſcit, vt liberè agant*, Quia *vt liberè agant*, conſentaneum eſt vt agant ſine agendi neceſſitate, quæ quidem non ſit in earum poteſtate: Ergò quodcumque ſit decretum ita præmouendi vt ſeruetur libertas, debet eſſe decretum ita præmouendi, vt *non imponatur illa neceſſitas.* Exprimatur ergò iterum illud decretum, quo dicitur *Deus immittere agendi neceſſitatem antecedentem, atque à nobis independentem ſaluâ libertate.* Et erit iſtud, *volo vt creatam voluntatem impellat agendi neceſſitas ab ipſa independens, ad eam actionem quæ debet elici abſque tali neceſſitate.*

DECIMVM-SEXTVM. *Generationem Filij in diuinis exemplum eſſe quo monſtretur aptari poſſe neceſſitatem immutabilitatis ad liberum arbitrium ſine diſpendio libertatis.* Ita cap. 8. numero 2. vbi ſic loquitur. At quia vbi agitur de „ aptanda illa ſecunda neceſſitate ad liberum arbitrium ſine „ diſpendio libertatis, D. Auguſtinus ſumit exemplum ne„ ceſſitatis ex ſenſu compoſito, neceſſe eſt, inquiens; vt „ quod volumus voluntate velimus; objicere poteſt aliquis, „ nihil illud eſſe niſi quod omnes dicunt, nullamque veram

immutabilitatem apparere quæ cum libertate concordet. "
Resp. autem 1. D. Augustinum, etsi sumpserit exemplum "
illud quod ad sensum compositum pertinet, tanquam "
magis obuium, sumpsisse etiam exempla in Deo quæ "
nullo modo ad sensum compositum pertinent, ac signi- "
ficasse vitam Dei, generationemque Filij eius esse actio- "
nes liberas, etsi cum immutabilitate & necessitate con- "
iunctas. Vides generationem diuinam non tantum dici *actionem liberam*, sed ita insuper liberam, vt sit *exemplum*, quo pateat, *immutabilitatem & necessitatem*, hoc est immutabilem agendi necessitatem, *concordare* cum libertate arbitrij, vel *cum eo aptari sine dispendio libertatis.*

Quod autem illam sententiam S. Augustino attribuit, falsissimum est: cum in toto illo cap. 10. lib. 5. de Ciuit. vnde ista se haurire simulat, nulla maior mentio sit generationis Diuini Filij, quam generationis Remi & Romuli. Atque hæc est prima meæ suspicionis causa.

Secunda est, quia cum necessarium sit, exempla vel earundem esse rerum, vel simillimarum: postquam generatio Filij Dei dicitur *exemplum* esse, quo appareat aptari posse immutabilem agendi necessitatem cum libero arbitrio, sine dispendio libertatis, alterutrum dicere necesse est: aut talem esse in æterna Diuini Verbi productione libertatem, qualis esse putatur in actione liberi arbitrij aut talem esse in actione liberi arbitrij necessitatem, qualis creditur in productione Diuini Verbi: Primum Arrianum est: secundum plusquam Caluinianum. Sit igitur illius optio vtrum magis probet.

DECIMVM-SEPTIMVM. *Libertatem quam nobis relinquit diuina motio, esse qualemcunque & apparentem libertatem.* Ita cap. 22. numero 9. cum ait. Hoc idem, quod "
nimirum possit Deus nedum via persuasionis, sed & via "
supremæ potestatis inclinare voluntatem quo libuerit, "
intacta etiam eius qualicumque & apparente libertate, "
habet D. August. &c. Loquitur de libertate quæ defe- "
ctibilitatem habet admixtam, vt cum voluntas ita in bonum flectitur, vt assensum tamen sustinere possit: & con-

ſequenter de libertate, de qua etiam loquitur Tridentinum quando definit, liberum arbitrium poſſe reſiſtere Dei gratiæ, poſſe diſſentire. Vult igitur hanc eſſe tantum libertatis laruam: hoc enim ſignificat, *apparens & qualiſcunque libertas*. Sed mihi ſuſpecta eſt hæc ſententia. Primò, quia videtur proximè accedere ad id, quod à Luthero affirmatum, à Tridentino damnatum eſt, ſeſſ. 6. can. 5. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re, &c. anathema ſit.* Secundò, quia nemo eſt Catholicorum, qui ſibi ſatis eſſe factum putet à Caluino, cum in 2. Inſtit. cap. 2. conuictus teſtimonio ſanctorum Patrum arbitrij libertatem perpetuo prædicantium, cenſet illos quidem aſſiduè in ore habuiſſe vocabulum, ſed ſimul declaraſſe
» quanti faciant illius vſum, numero 8. quod idem videtur
» eſſe cum eo quod eſt, illos eo nomine ſignificare voluiſſe
» *qualemcunque & apparentem libertatem.* Et deinde concludit, Itaque ſi quis vocis huius vſum non praua intelligentia permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem. Et paulo ante numero 7. cum retuliſſet liberum
» arbitrium apellari peccandi potentiam illam, quæ caret
» coactione, eſto non careat agendi neceſſitate; ſubdit; Optimè id quidem, ſed quorſum attinebat REM TAN-
» TVLAM tam inſigni titulo inſignire. Deinde vero cap.
» 3. numero 14. S. Auguſtini doctrinam, quam attulerat,
» colligit in hanc ſummam. In homine tale relinquitur li-
» berum arbitrium (SI APPELLARE ITA LIBET) quale alibi ſcribit, quod nec ad Deum conuerti, nec in Deo perſiſtere niſi per gratiam poſſit: à gratia valeat quidquid valet. Ex his omnibus intelligitur, videri quidem Caluino libertatem aliquam arbitrio ſupereſſe, tum ad bonum, tum ad malum: ſed perſonatam ſolum, & cuius veritas tanto nomini minime reſpondeat. Quod quid eſt aliud quam eſſe *apparentem & qualemcumque?*

DECIMVM OCTAVVM. Eſt corollarium quoddam ex antea dictis quod eſt huiuſmodi. *Caluinum, & Caluiniſtas vel nihil peccaſſe, cum negarunt arbitrij libertatem*

in operibus gratiæ: vel in hoc tantum, quia non retinuerunt spuriam libertatem, & impropriam, sed germanam & veram. Hoc autem ita demonstratur ex principijs huius authoris.

Si quod est in ea re Caluini delictum, necesse est in aliquo istorum trium esse positum: vel quia negauit esse rem, quæ est vera perfectaque libertas arbitrij: vel quia quamuis esse rem illam fateretur, censuit tamen non conuenire illi nomen libertatis arbitrij: vel quia tametsi nomen agnosceret, & non ignoraret vocari libertatem à quibusdam, consuetudini tamen parere noluit. Nihil horum dici potest in hac sententia: ergo in hac sententia nullum est Caluini delictum circa doctrinam de libertate arbitrij in operibus bonis. Probo minorem, & Primò, Caluinus numquam negauit, immò nunquam non asseruit esse in eorum voluntate, qui Dei gratia efficaciter mouentur, *felicem consentiendi necessitatem, & salutarem impotentiam dissentiendi:* item, per illos actus qui tunc exercentur, voluntatem *alligari Deo tamquam primo rerum omnium principio, & fini vltimo, itáque in amplitudinem illam educi, in qua vera propriaque libertas posita esse dicitur:* ergo non negauit esse rem, quæ dicitur ab hoc authore vera propriaque libertas.

Secundò nullum est Caluini delictum, in eo quod non putauerit illi rei conuenire nomen libertatis. Tum quia ita vocari permittit, vt vidimus: tum quia Catholici hoc ipsum arbitrantur, scilicet, potentiam consentiendi gratiæ Dei, quæ coniuncta est cum necessitate, atque impotentia dissentiendi, quantumuis nos summo bono deuinciat, non esse vocandam libertatem arbitrij. Et cautum est, ne cuiquam vitio vertatur quod ita sentiat, Caluinus ergo eatenus etiam culpa caret.

Tertiò inde sequitur nullam etiam fuisse consuetudinem, quæ à Caluino postularet vt cum illis loqueretur, qui libertatem arbitrij vocant illum agendi modum, quem diximus. Quod plures sint, qui aliter loquantur. In hoc enim numero ipsi etiam Thomistæ reperiuntur, dum omni ratione contendunt cum suis prædeterminationibus stare potentiam dissentiendi. Quod est igitur

Caluini peccatum? Nempe quia debuit approbare libertatem illam arbitrij quæ posita est in potentia consentiendi, vel non consentiendi gratiæ Dei: Atqui per te illa est solum *libertas peccatorum:* illa *imperfecta* indignaque Christi Domini, B. Virginis, & excellentiorum sanctorum voluntate: illa *qualiscunque & apparens* tantum. Alia vero, quam Caluinus re defendit, verbo solum negare videtur, vera est & germana perfectaque libertas. Restat ergo, vt ea tantum sit Caluini culpa, quod veram perfectamque arbitrij libertatem agnouerit in operibus gratiæ; degenerem & imperfectam negauerit. Vnde intelligi datur bruta esse Tridentinorum Patrum fulmina iniustasque omnium orthodoxorum accusationes, quando reum illum faciunt destructæ libertatis, qui veræ germanæque potius assertor extitit.

Sed quid opponemus Dordacenorum pastorum armento, qui ne nomen quidem veræ libertatis denegant illi benè agendi necessitati? Ita enim loquuntur
„ cap. 3. & 4. art. 16. Hæc diuinæ regenerationis gratia,
„ non agit in hominibus tanquam truncis & stipitibus,
„ nec voluntatem, eiusque proprietates tollit, aut inui-
„ tam violenter cogit, sed spiritualiter viuificat, sanat cor-
„ rigit suauiter simul ac potenter flectit: vt vbi antea
„ plene dominabatur carnis rebellio & resistentia, nunc
„ regnare incipiat prompta ac sincera spiritus obedientia
„ in quo vera & spiritualis nostræ voluntatis instauratio &
„ libertas consistit. Gratulamur huic Doctori approba-
„ tionem tanti Concilij.

DECIMVM-NONVM, De medio tollit rationem gratiæ sufficientis. habetur autem cap. 27. numero 6. & 7. vbi dum respondet illi obiectioni, quî fieri possit, vt sit culpabilis omissio bonorum actuum, quos Deus à nobis exigit, quandoquidem ille qui omisit caruit necessaria præmotione: negat quemquam esse qui careat generali præmotione, quam sufficere dicit ad omne bo-
„ num, cuius omissio imputatur ad culpam. Præmotionem
„ autem generalem *dicit esse* appetitum summi boni quem
omnibus

omnibus nobis ita altè impressit Deus, vt obscurari qui- »
dem queat, & aliò diuerti: penitus autem aboleri nullo »
modo. Viuere enim immortale desiderium summi boni »
in omnibus, etsi illud nonnunquam malè collocare con- »
tingat & recedere à bono dum ad ipsum accedere niti- »
mur: nec viuere tantum, sed esse fontem & originem »
omnium actuum affectuumque nostrorum. Illo nos ope- »
rari quidquid boni à nobis prouenit; illo item, cum malè »
& præter legem agimus, operari; illo denique quando »
in malum labimur, quia stare possumus, reos conuinci, »
quia signatum est super nos lumen vultus tui Domine, »
sed nos lumini rebelles sumus. Dubium est, vtrum no- »
mine illo *desiderij summi boni*, significet actum voluntatis elicitum: eo quod superius cap. 10. numero 5. dixerit intentionem finis vltimi, quam eandem quoque censet esse præmotionem, *in nobis saltem in præsenti consideratis transeuntem esse & exiguo tempore durare*, cum tamen hoc desiderium iam dicat esse perpetuum & immortale: sed quidquid sit, hoc vnum constat, desiderium huiusmodi non esse aliquid superadditum naturalibus beneficijs, quod sit, vt ipse putat, *in omnibus hominibus*, *omni tempore*, *fons & origo omnium actuum*, *affectuumque nostrorum*: & nominatim *malorum*: denique quod sit aut sequatur lumen illud, de quo loquitur Propheta dum canit, *signatum est super nos lumen vultus tui domine*, quod est lumen naturalis rationis, vt vulgò exponitur: hæc, inquam, non possunt cadere omnia in desiderium elicitum & supernaturale: ergo quidquid id est virtutis, naturale est.

Iam verò pergit author, & dicit numero 7. Et hoc „
est auxilium sufficiens, non dico ad posse, sed ad omne „
bonum, cuius omissio imputatur ad culpam. *Et iterum* „
post allatum D. Dionysium, Quo loco obseruare iuuat di- „
uinum lumen (quo nomine intellige auxilium sufficiens „
ad bonum, cuius omissio in culpam nobis vertitur) sem- „
per nobis affulgere; sed nos illud auersari. Vnde patet „
desiderium illud naturaliter inditum, esse auxilium sufficiens ad omnem actum, cuius omissio imputatur ad culpam: & quia omissio actuum fidei, spei, charitatis, cer-

tis hominibus certiſque temporibus maxime imputatur ad culpam: cogitur neceſſariò, eiuſmodi deſiderium eſſe auxilium ſufficiens ad exercitium illorum actuum. Quod autem interpoſuit; *non dico ad poſſe*: niſi me fallo, eo tantum pertinet, vt aliquorum Thomiſtarum diſtinctionem rejiciat, dum dicunt hominem non præmotum, & voluntarie omittentem aliquem actum habere auxilium ſufficiens *ad poſſe*, *non ad operari* ipſe è contrario velle videtur, vt abſolutè dicatur ſufficiens, ad omnem bonam operationem, cuius omiſſio culpabilis eſt.

Hanc ego ſententiam ſuſpectam habeo, quia vt iam dixi videtur mihi aduerſari Catholicæ doctrinæ de gratia ſufficienti. Quod vt pateat, aduertendum eſt, duobus modis ſubuerti poſſe quod de hac gratia communiter traditur. 1. Si quis neget, præter illud auxilium, quod eſt efficax, vllum eſſe, quod ſufficiat exercendis bonis operationibus: & hac ratione gratiam ſufficientem Caluinus eliminat. 2. Si quod ſufficit ad illos actus, negetur eſſe gratia naturæ ſuperaddita: & ita illam extinxit Pelagius. Nunquam enim negauit ad ſalutares actus fidei, ſpei & charitatis, neceſſariam eſſe gratiam creationis, & conſeruationis, & ſi quod aliud beneficium inuehit prouidentia naturalis. Sed errauit, quod huiuſmodi auxilia præciſe ſufficere putauerit, itáque repulerit gratiam ſuperadditam. Cum ergo credibile ſit Concilium Trident. aliquid amplius dicere voluiſſe, quam Pelagiani dixiſſent, „ quando ſeſſ. 6. can. 3. ita pronuntiat, Si quis dixerit ſine „ præuenienti Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiu„ torio hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere „ poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, „ anathema ſit: ſequitur omnino alterius gratiæ neceſſitatem ab eo adſtrui, quam quæ à Pelagio non negabatur, hoc eſt, naturalis. Ergo qui fatetur, *naturale deſiderium ſummi boni ſufficere ad exercendos actus illos*; neque à Pelagio videtur recedere, neque Tridentino aptare ſe ſe. Ita vero ſe habet author, quo cum agimus, vt conſtat ex dictis. Et mirum eſt quî factum ſit, vt ei hoc loco Pelagius arriſerit, qui alias Caluinum præferre ſolebat. Sed nimi-

rum animi libertatem affectat in *Amplitudine quadam immensa* positam, in qua facile sit errare in omnem partem.

VIGESIMVM. *Causæ liberæ creatæ conuenire immobilitatem aliquam respectu boni, atque indefectibilitatem, item subiectionem ad Deum, & inhæsionem independenter à diuina motione.* Videor mihi videre attonitum hominem, & exclamantem ac contestantem se nihil tale vnquam cogitasse: & vero fateor etiam non cogitasse; aio tamen docuisse, quod non cogitabat, & simul designo locum, vbi docuerit. Est autem cap. 21. numero 2. 3. & 4. Vbi dum rationem quærit, cur Dei motio non recipiatur vniformiter in omnibus, sed in vno quidem perfectè, & integrè, in alio vero imperfectè ac diminutè; illam petit ex proportione quæ est inter ipsam & subiectum: ita vt si mobile debitè dispositum fuerit ad recipiendam motionem qua mouetur à Deo, recipiat *illam perfectè & integrè*, & sequatur bona actio: si autem deficiat à debito ordine, recipiat *diminutè & non integrè*, & sequatur actio inordinata. Quod iterum ita exponit. Ita vt si recipiens immobiliter siue indefectibiliter se habeat ad motionem primi mouentis; actio sequatur cum indefectibilitate & ita rectè operetur, vt non possit non rectè operari: si autem defectibiliter & mobiliter, actio quoque contingenter & mutabiliter consequatur. *Pergit & dicit.* Causam secundam liberam, præcisè quia libera est libertate defectibili, etsi nullam adhuc corruptionem passa sit, posse motionem illam vel integrè vel diminutè recipere. Nam quatenùs causa secunda est subiecta & inhærens Deo, comparatur mobili in debita dispositione se habenti ad motionem primi mouentis: & si vt talis est eam recipit, recipit illam integrè Quatenus autem creatura est è nihilo producta, & ideo defectibilis, comparatur mobili non existenti in debita dispositione ad recipiendam motionem: & si vt talis est, eam recipiat, non recipiet integre, sed debiliter & diminute.

Vides 1. in hac Philosophia, *dispositionem* voluntatis, &

Dei *motionem* comparari tamquam duo quædam inter se condistincta : item 2. illam *dispositionem* censeri causam cur motio in aliquibus *perfectè recipiatur*, & quia ridiculum est, id quod est consequens, atque dependens, ex formæ alicuius receptione, causam dici cur ea recipiatur; ne dicamus philosophum nunc esse ineptum; sequitur 3. designari ab eo *dispositionem* quæ non sit consequens atque dependens ab huiusmodi motionis receptione, 4. Patet per illam *dispositionem*, causam liberam dici se habere *immobiliter* atque *indefectibiliter* ad diuinam motionem: & iterum esse *subiectam & inhærentem* Deo: perspicuum est igitur *immobilitatem* atque *indefectibilitatem* à bono; item *subiectionem atque inhæsionem* ad Deum, esse *dispositiones* causæ liberæ non consequentes, ac proinde non dependentes à diuinæ motionis receptione.

Hoc autem mihi suspectum est, quod aduersari videatur doctrinæ iam receptæ à multis sæculis, de necessitate diuinæ gratiæ, tum ad vitanda peccata, tum ad Deum constanter amandum : cum sit manifestum necessitatem illam excludere, tum *indefectibilitatem, tum subiectionem ad Deum atque inhæsionem*, quæ non pendeat ab eadem diuina gratia, hoc est à diuina *motione*. Ergo hic quoque subolet Pelagianum nescio quid.

VIGESIMVM-PRIMVM. *Inefficaciam gratiæ adscribendam esse voluntati diuinæ*. Ita cap. 20. numero 3. vbi „ sic loquitur. Hoc tantum dico : dato quod pluribus gra- „ tia planè similis ad conuersionem indulgeatur, singulis „ sufficiens : quod in quibusdam efficax sit, IN ALIIS AV- „ TEM MINIME, diuinæ adscribendum voluntati. Rationem etiam ponit ex qua idem certò consequitur, nempe, „ Quod præmotio non sit efficax, non oriri ex vlla eius de- „ pendentia à causa secunda, PERINDE QVASI EIVS CON- „ SENSVM EXPECTET. *Item*, id quod efficax gratia qua effi- „ cax superaddit sufficienti, non esse necessario aliquid ad „ ipsam gratiæ entitatem pertinens, sed satis esse diuinam „ voluntatem & intentionem : esse enim illam quasi spiri- „ tum gratiæ efficacis. Quod si ita est, cum vera & proxima

causa, imò & sola per se, cur Deus non velit aut non intendat, quod velle atque intendere potest, ipsius libertas sit; sequitur eidem adscribi debere subtractionem illam *spiritus* quæ gratiam exanimem, & inefficacem constituit, homini autem minime, vt pote à quo *voluntas* atque *intentio* Dei, & consequenter efficacia gratiæ, nulla ratione pendet.

Verum hanc sententiam mihi suspectam reddit huius ipsius Authoris censura. nam cap. 30. numero 5. ita loquitur, *Vt hoc argumentum soluatur, obseruandum est, in hisce quæstionibus: cur ex duobus, quorum Deus æqualiter tangit corda, vnus conuertatur, alter minime: itemque: cur ex duobus æquali omnino tentatione vexatis, vnus cedit, alter resistit: non omnes disparis illius euentus pariter causam reddere.* HÆRETICI ENIM DICVNT CAVSAM ESSE VOLVNTATEM DIVINAM. *Catholici autem nonnulli contra voluntatem humanam; sed illi profectò inepte: & isti non satis bene, &c.* Qui dicit *diuinæ voluntati* adscribendum esse, quod gratia sit *in vno efficax, in alio inefficax*; quid amplius dicit, quam qui dicit *diuinam voluntatem esse causam, cur vnus conuertatur, alter minimè?* Quod si sunt *hæretici*, qui hoc secundum dicunt, si *inepti:* Tu vero, mi Pater, qui prius illud asseruisti, quid sentis de teipso. Et mirum est eo loco in quo tam bellè philosopharis ipse, adeo tibi displicuisse, qui diuinæ gratiæ efficaciam ab hominum libertate partim esse contendunt, vt eorum prope accusaueris impudentiam. Hoc, inquis, valde alienum est ab illorum „ mente, nimis profecto demissè de Deo sentientium, qui „ efficaciam gratiæ, illud videlicet quod est potissimum in „ gratia, & quasi spiritus eius, creaturæ tribuere non erubescunt, idque nouis etiam adinuentionibus excogitatis „ demonstrare conantur. Equidem quod dicis ipse valde „ *alienum est* ab illis: sed prouidendum est, ne vsque adeo sit *alienum*, vt fiat etiam Caluini domesticum. Atque hinc sequitur.

VIGESIMVM-SECVNDVM. *Id quod homini ad culpam imputatur, diuinæ adscribendum esse voluntati.* Impu-

tari enim homini ad culpam, quod diuina gratia non habeat effectum, hoc est quod sit inefficax, ostendimus iam doceri ab hoc Authore, falsò quidem in vniuersum, sed tamen verè, quando aduenit tempus, quo præcepti necessitas vrget exercitium virtutis. Atqui hoc ipsum iam dicitur *diuinæ voluntati adscribendum*. Sequitur ergo quod est hominis peccatum, diuinæ voluntati adscribendum esse. Et qui iubet eos *erubescere*, qui partes esse aliquas voluntatis putant, in eo quod gratia sit efficax, frontem habere potuit explicatam, cum hæc diceret?

VIGESIMVM-TERTIVM. *Deum solum authorem esse intentionum illarum, quibus nefarij homines determinantur ad malos actus.* Hæc sententia continetur his tribus propositionibus. Prima est. *Motionem, qua Deus causam liberam administrat, esse actualem inclinationem & tendentiam in finem, quæ proprio & peculiari nomine intentio finis nuncupatur.* Ita totidem verbis cap. 20. numero 5. Secunda est, *Deum in nobis, sine nobis operari intentionem hanc seu determinationem ad finem.* Ita ibid. Tertia est, *Hanc Dei motionem prærequiri ad omnem actum, qui malus est.* Ita cap. 26. numero 4. Vbi sic loquitur. *Dico 4. Deum mouere nos ad omne bonum, quod in quocumque malo reperitur, atque adeo mouere, immò & præmouere ad actus, qui mali sunt, quatenus & actus sunt, & humani sunt, &c.* Ergo statuamus hominem perditum, qui iam animo adulterium conceperit: interrogo num sit à Deo *prædeterminatus* ad affectum illum physicum, qui est inquinatus adulterij malitia? Respondetur esse *prædeterminatum* ad illum affectum, non solum, *vt est actus physicus*, sed etiam, *vt est actus humanus*. Iterum interrogo, quæ sit illa Dei *prædeterminatio*? Respondetur esse *intentionem finis*, quo tunc ille mouetur, vt huiusmodi *actum humanum* eliciat. Denique si quæram quæ sit causa talis intentionis? Respondetur, *Deum illam in nobis, sine nobis operari.* Quod est *Deum solum esse illius authorem.* Ergo Deus solus est causa intentionis illius per quam adulter determinatur ad actum adulterij turpitudine infectum. Idem quæram de forni-

catore, de parricida, de latrone, de sacrilego; idemque respondebitur; nempe Deum solum esse causam intentionum quibus illi determinantur ad actus fornicationis, parricidij, latrocinij, sacrilegij nequitia corruptos.

Hoc autem mihi valde suspectum est. Quia vel illæ intentiones sunt aliquando malæ, vel nunquam: si primum; ergo Deus solus est *causa & author malarum intentionum:* Si secundum; Ergo nullus vnquam extitit latro, nullus apostata, nullus leno, nullus gladiator, qui mala, immò qui non bona intentione impelleretur ad enormia quæque flagitia perpetranda. Quis autem ad vtrumque non reclamet, præter scelestos illos, qui tam propitium nacti patronum sunt, tamque legitimam suorum criminum excusationem?

Præterea, constituto, exempli causa, ob oculos adultero, peto quæ sit illa intentio, qua determinari dicitur, vt eliciat actum, per quem tendit in adulterium? vel quibus ea verbis commodè possit exprimi? Anne istis, *Volo Deo imprimis placere*? An potius istis, *volo niti ad cælestem beatitudinem*? Nemo vt opinor, erit qui affectibus hisce determinari homines putet ad vllum malum. Quæ igitur est hæc intentio? forte, *volo bene habere, & malo carere*? Sed quo modo dici poterit voluntas, intentione vitandi mali determinari ad obiectum, quod intelligit esse maxime malum? Item intentione bene habendi determinari ad carendum eo, quod honestum esse cognoscitur? Ergo vt omnia excutias, nulla erit intentio, qua merito determinari atque præmoueri censeatur ille, de quo agimus, præter eam, quæ hac oratione significatur, *volo explere libidinem.* Et pariter intentio, qua fur determinatur, respondebit istis. *Volo satisfacere Auaritiæ*; homicida istis, aut similibus, *volo iræ obsequi*, & sic de alijs. Quare si Deus solus author est earum intentionum, quibus id genus homines prædeterminantur, author esse istarum censendus est. Hoc autem qui asserat, nihilo certe religiosior est ijs quos Tridentinum detestatur, can. 6. sess. 6. qui dicunt *mala opera, ita vt bona Deum operari*.

VIGESIMVM-QVARTVM. *Deum prædefinire & prædeterminare vt impius exerceat prauam animi sui dispo-
» sitionem.* Ita lib. 2. cap. 25. numero 2. Vbi dicit Deum in-
» terdum eleuare iugum peccati, ne semper & omnino nos
» deprimat, modo sinere sub peccati tyrannide. Sed tum
» quoque, *inquit*, Deus est prædefiniens actus, quos homi-
» nes ex lege & impetu propriæ deprauationis operantur:
» prædefiniens, inquam, illos atque prædeterminans, non
» absolutè ac secundum se totos, sed secundum ordinem,
» quem illis indit ad finem prouidentiæ suæ quæst. d. Volo
» vt impius hic sua illa praua animi dispositione, consilijs
» meis ita seruiat.

In quibus verbis euoluendum in primis est, quod latet sub illo, *ita seruiat*, idem enim est ac *peccando*, seruiat, *adulterando*, *furando*, *occidendo* seruiat. Praua enim dispositio seipsa neque bono, neque malo fini vtilis est: sed sui tantum exercitio: itaque velle, *vt seruiat*, est velle, vt *suo quodam exercitio seruiat.* Et constat hanc esse huius authoris mentem, dum hoc decreto contineri significat prædefinitionem & prædeterminationem actuum, *quos impij ex lege & impetu propriæ deprauationis operatur.* Hoc enim ostendit, illud, *volo vt seruiant*, idem esse ac, *volo vt per tales actus seruiant.*

Iam vero quicunque dicit, *volo vt hoc medium huic fini seruiat*, aut supponit illud iam existere absolutè, vt sit sensus, volo, vt ea res que iam existit mihi seruiat ad hunc finem: aut certe existere facit, vt sit sensus, volo vt ea res existat, quo mihi seruire possit ad hunc finem. Vtro igitur modo se habet Deus circa exercitium illud prauæ dispositionis hominis impij, quod ab eo refertur in finem consiliorum suorum? Hic author interpretari se simulat diuinum illud decretum iuxta priorem mo-
„ dum, ita enim loquitur, cap. 14. numero 2. Desipis, in-
„ quam, ex insano in Deum blasphemandi ardore, si pec-
„ catum non præsupponis diuinæ voluntati, & si conten-
„ dis peccatum non nisi ex præsupposita Dei voluntate
„ & ordinatione in creatura nasci. Sed reuera secundam
interpreta-

interpretationem amplectitur. Primò, Quia cap. 22. numero 16. vbi exponit qua ratione voluntas permittendi peccatum, & eo bene vtendi ad gloriam suam, illud præsupponat; Obserua, *inquit*, peccatum duobus „ modis posse esse futurum: vel absolute, vel quantum est „ ex vi causæ secundæ, permissio porro sicut & præserua- „ tio præsupponit peccatum futurum hoc secundo modo; „ *hoc est* non absolutè. Ibidem autem confundit volunta- „ tem glorificandi se per peccatum, cum voluntate illud permittendi. Ergo quando Deus dicit, *volo vt impius hic, &c.* Non supponit, sed facit effectum prauæ dispositionis esse *absolutè* futurum, vt ita seruiat diuinis consilijs. Secundo, Posito quod prauæ illius dispositionis operatio existat absolutè, nulla deinceps præmotio vel prædeterminatio potest esse necessaria, quo fiat vtilis ad finem à Deo intentum, quia vt sit vtilis, non expectatur vlterior aliqua voluntatis actio, sed Dei solius est illam ipsam quæ iam existit absolutè, aptare in quemcunque volet vsum: atque ita superflua est prædeterminatio, quippè quæ non habet locum, nisi quando creatura debet agere. Atqui prædeterminatio hic interueuenit, vt patet ex loco iam allato, & paulo post dicitur etiam interuenire Dei *motio, quæ recipiatur* in voluntate, sed *imperfectè & non integrè:* Ergo iterum verum est, decretum illud, quo Deus vult vtilem esse deprauatæ voluntatis actum, ad certos fines, non supponere, sed inferre *absolutam* eorundem existentiam, esto, vnicum motiuum, quo Deus illos existere vult, sit illa vtilitas.

Vnde etiam patet, nullum esse in illo cauillo subterfugium; quo dici potest, Dei decretum inferre quidem existentiam actus deprauati, at ea tantum ratione, quia scilicet Deus statuit non impedire, quo minus voluntas ad malum propensa illum eliciat, Deum enim cognoscere, si tantum ire sinatur, elicituram. Nihil, inquam, iuuare hoc potest. Primò quia ridiculum est concipere Deum velle absolutè atque efficaciter, vt actus sit vtilis ad bonum finem, & non velle tamen vt sit: cum sit manifestum hanc voluntatem in illa necessario includi. Se-

cundò, quia luſorium eſt, quod dicitur, *Deum antequam aliquid decernat ſcire voluntatem ita eſſe propenſam ad actum malum vt elicitura ſit, ſi modo permittatur*: quinimò hæc philoſophia fert non elicituram, niſi etiam præmoueatur & prædeterminetur Phyſice: quare fruſtra obtenditur ſola permittendi voluntas, cum ſit etiam voluntas adiuuandi poſitiuè, non ſimultaneo tantum concurſu, ſed & præuio: neque quocunque ſed *præmouente ac prædeterminante* tantâ illatâ neceſſitate agendi, vt ſit impoſſibile tendere in oppoſitum. Quid enim, an effluxit memoria, „ quod antea productum eſt ex priore libro, Dei proui- „ dentiam ſibi ſubjicere voluntates noſtras, & inclinare „ quo vult, ita vt quod facturæ ſunt, omnino facturæ ſint, „ nec res aliter euenire queat? *Item*, hanc prouidentiam „ præſcientia priorem eſſe? *Item*, Illam ſupponere D. Au- „ guſt. 5. de Ciuit. cap. 10. vbi agit de præſcientia futurarum actionum bonarum, malarumque? *Item*, Deum „ mouere, immò & præmouere ad actus, qui mali ſunt „ quatenus & actus ſunt & humani ſunt, necnon & quate- „ nus media quibus Deus vtitur ad conſilia ſua executioni „ mandanda? *addit*, non tamen quatenus mali ſunt: ſed „ fruſtra, vt conſtabit. Quare nullus tergiuerſationi locus eſſe debet, fateatur ingenue id quod res eſt: germanam ſcilicet ipſius ſententiam hac ſumma contineri.

Nouit Deus, naturam filiorum Adæ talem eſſe, vt accedente Phyſica præmotione ac prædeterminatione ſecuturæ ſint operationes, quæ quamlibet malitiam habeant adiunctam. Nouit præterea prauas illas operationes fieri poſſe vtiles ad bonos fines. Hac igitur vtilitate permotus, ſtatuit abſoluto & efficaci decreto efficere præmouendo ac prædeterminando, vt exiſtant, & ad illos fines ſeruiant. Quod ſi quæruntur concepta verba, quibus illud decretum exprimatur; hæc erunt aptiſſima. „ Volo prædeterminare ac præmouere impium hunc ad „ actus, ad quos ex lege & impetu propriæ deprauationis „ inclinatur, & efficere hoc pacto, vt exiſtant; non quidem „ propter ipſorum prauitatem præciſe, ſed propter vtilita- „ tem, quâ ipſa etiam prauitas conducere poteſt ad eos fi-

nes, qui à meis consilijs præscribuntur. Hæc est propria & natiua species totius sententiæ, nec quidquam in hac eius expositione reprehendi potest, præter ingenuitatem, & nudam fidem: desiderari nihil, præter fucos, & velamenta.

Hoc vero mihi magnopere suspectum est, propter conformitatem quam habere videtur cum Caluini theologia maximam.

Neque enim blasphemus ille flammam meruit eo tantum nomine, quod primam hominis operationem malam refuderit in Dei prædestinationem: sed in eo quoque fuit impius, quod eodem reiecerit opera, quæ à deprauata voluntate fiunt. Vt constat ex 1. Inst. cap. 18. & alijs locis quam plurimis. Et de his quoque nominatim agit Tridentinum sess. 6. can. 6. Vbi de Iudæ proditione. Quid igitur in hoc peccauerit quod ea sententia non concludatur quæ iam allata est, difficile admodum est ad dispiciendum. Nam 1. in eius quoque sententia, priusquam Deus aliquid decernat circa bonum vsum malæ operationis, supponitur deprauata esse voluntas, maleque operatura præsertim si prædeterminatio malorum actuum, *quatenus actus sunt, & quatenus humani*, accesserit: atque ita diuina voluntas illa, quæ versatur circa huiusmodi operationes, iam supponit *malum à causa secunda egrediens*, eo modo, qui requiritur ab hoc authore: quare sapit ille ex hoc capite, quantum hic sapere optat loco supra cit. Cum ait, *desipis, inquam, &c.* Eandem quoque sapientiam Molinæus aperte profitetur sect. 20. Clypei, cum dicit, Quomodo aqua natura sua deorsum » vergit, ita impios se ipsis ad malum propendere, nec à » Deo incitari voluntates eorum, tantùm à Deo dirigi ad » bonos fines. 2. Voluntatem illam Dei versari per se cir- » ca malitiam prauarum operationum, & non tantum ratione vsus quo possunt conducere ad exequenda Dei consilia, non tantum nullo vnquam loco Caluinus significat; quin potius sæpe significat contrarium. Nam in 1. Inst. cap. 17. numero 6. ita loquitur. Atque eorum malis » vllam inde excusationem deberi nego. Quid enim? an »

» vel eadem secum iniquitate Deum implicabunt, vel » suam prauitatem illius iustitia operient? neutrum pos- » sunt. Quominus se purgent, propria conscientia redar- » guuntur. Quominus Deum insimulent, totum in se ma- » lum deprehendunt, penes ipsum nonisi legitimum ma- » litiæ suæ vsum. *Et paulo ante numero 5.* Atque hac ratione, » *inquit*, male agendo iustæ eius ordinationi seruimus, quia » pro immensa suæ sapientiæ magnitudine, ad bene agen- » dum malis instrumentis vti benè probeque nouit. *Et cap.* » *18. initio.* Quia hic nodus multis inexplicabilis visus est » sub Dei manu & imperio sathanam & impios omnes ita » esse, vt eorum malitiam in quemcunque visum est, fi- » nem dirigat, &c. Vides his omnibus locis Dei voluntatem non aliter dici à Caluino tendere in malitiam humanarum operationum, quam vt eam dirigat in bonos fines. At, inquies, Caluinus sæpè ridet illos, qui solam Dei permissionem hic agnoscunt. Fateor, sed videbimus postea, quid sentias ipse: interea peto, vt *permissionis tuæ* formulam hisce verbis conceptam illi offeras, *volo impium hunc prædeterminare ad operationem, quæ mala est, vt suæ illius prauæ dispositionis exercitio seruiat meis consilijs.* Mihi crede vel ille se Romanum in eo esse statim fatebitur, vel tu mirabere te fuisse Caluinianum.

Sed ille contendit Deum esse auctorem malarum actionum. Verum est. At cum ipse quoque contendas, *Deum præmouere ac prædeterminare homines impios ad easdem actiones, & quatenus actiones sunt, & quatenus humanæ; & quatenus media quibus vtitur ad consilia sua executioni mandanda*, negas-ne Deum esse authorem earumdem sub illa triplici ratione? Quod si tibi licere hoc vis; patere, vt liceat quoque Caluino. Proba insuper illum dixisse aliquid immanius. Et quia hoc præstare non poteris, noli meam condemnare suspicionem, quæ vel rectam illius sententiam, vel tuam videri facit esse peruersam.

Atenim, inquies, Caluinus censet nefarios homines necessariò peccare. Sed qua tandem necessitate? Nempe illa quæ nascatur, tum ex praua eorum dispositione, tum ex diuina prædefinitione, ac prædeterminatione. Tu igi-

tur illam negas? Non fateris Deum prædefinire actum, qui malus est, & physicè ad illum prædeterminare, *quatenus est actus, quatenus est humanus, & quatenus est medium diuino consilio idoneum*? Potestne igitur non esse *necessarium* ex illa suppositione, vt voluntas huiusmodi actum producat sub illa triplici ratione? Quod si non negetur necessitas producendi talem actum, *quatenus est actus & quatenus est humanus*, quomodo negari poterit necessitas illum producendi, quatenus est malus? Voluntas per te non potest impedire, *ne sit actus*, neque *ne sit humanus*: quia hoc dicis absolutè *prædefinitum* & *prædeterminatum*: sed neque etiam, *ne sit prohibitus*: quia prohibitio pendet à Deo solo; & tamen impedire potest, ne sit malus? An potest esse actus *humanus* & *prohibitus & non malus*? hoc vero difficilius est, quam vt à sapientibus Theologis admitti possit.

Cum itaque necessarium sit, omnia quæ à Caluino in hac causa dicta sunt, reduci ad vnam aliquam formam, qua concipiatur diuinum decretum de malis actibus; sponsionem facio quamcunque aliquis volet, nisi Caluiniani molles duriorem illam putant, qua huiusce authoris sententiam comprehendi iam ostendimus: nisi austeriores eandem vt veram approbant, vt suam amplectuntur, vt paternam exosculantur: quin etiam, nisi Arminianos in communionem recipiunt, eosque fatentur suos esse germanos, dummodo ad hanc se se normam componere velint.

VIGESIMVM-QVINTVM. *Deum non tantum permittere peccata, neque scripturam hoc tantum dicere; sed videri etiam significare Deum impellere: & reuera Deum non tantum sinere hominem in peccata labi; sed etiam subjicere peccatorem peccato, itaut noua peccata committat.* Ita loco iam cit. nimirum, cap. 25. lib. 2. Nam ita loquitur numero 6. Obseruandum 4. ad tertiam illam obseruationem, quod de „ Deo circa peccatum habet scriptura, non enim solum „ dicit Deum permittere peccata subsequentia in pœnam „ præcedentium: SED DICERE ETIAM VIDETVR DEVM „

„ IMPELLERE HOMINES AD ILLA. *Ib. numero* 7. *hæc habet.*
„ Euidens videtur Deum potentia sua & iustitia cum ho-
„ mo peccator ex deprauatione, quæ in ipso viget ac do-
„ minatur in noua scelera propendet, SVBIICERE EVM
„ ILLIS, NON TANTVM QVANDO PERPETRATA SVNT,
„ SED ETIAM CVM PERPETRANTVR ET FIVNT. NON
„ TANTVM SINIT TE IN ILLA PECCATA LABI, VERVM
„ ETIAM SVBICIT TE TYRANNIDI PECCATI IN TE RE-
„ GNANTIS ADEO VT NOVA PECCATA COMMITTAS. *Et*
„ *numer.* 13. Ostendimus, *inquit*, quid D. August. sentiat,
„ scilicet Deum non tantum sinere malos in prauis suis de-
„ siderijs, sed tradere eos illis: & secundum potestatem iræ
„ suæ, &c.

Vides 1. his verbis negari Deum tantum *sinere*, vt homo labatur in peccata, Vides 2. negari scripturam *hoc tantum dicere.* Vides 3. adstrui præterea *subiectionem Dei* actiuam, hoc est *actionem subjicientem* peccatorem peccato. Vides 4. *ex* hac Dei actione in peccatorem affimari *noua peccata sequi* cum dicitur, *adeo vt noua illa peccata committat.* Hæc omnia perspicua sunt. Atqui sunt etiam iure meritissimo suspecta.

Primò quia repugnant manifestè Concilio Tridentino, sess. 6. can. 6. Vbi damnantur illi qui dicunt *Deum operari peccata non permissiuè solum.* An igitur ferendi erunt, qui dicunt Deum *non tantum sinere illa fieri*, & *scripturam dicere aliquid amplius*, *& non hoc tantum?* Secundo doctrina illa mihi de Caluinismo suspecta est. Neque magnopere laborandum, vt concentus iste probetur. Confessionem produco ipsiusmet authoris. Ita enim loquitur. cap.
„ 23. num. 4. Quomodo Deus se habet ad affectus malos?
„ Permittendo, inquiunt Catholici, at si quis sit qui per-
„ missionem in Deo non agnoscat, sed quod vocamus per-
„ missionem contendat esse actionem, quid dicet sciscitanti
„ quomodo Deus se habet ad quodcunque malum, etiam
„ prauos animi motus? Respondebit, operando. HVIVS-
„ MODI AVTEM EST CALVINVS.

Sciscitanti quomodo se habeat Deus ad affectus malos, respondent, inquis, Catholici, *permittendo?* Qui sunt igi-

tur illi qui respondent, *non tantum sinendo*? Et qui contendunt id quod vocatur *permissio* esse *actionem*, interroganti quomodo se habeat Deus ad malum, respondere debent, *operando?* Quid igitur respondebunt illi, qui quod vocatur permissio, vocant actiue *subiectionem*? Huiusmodi est, inquis, Caluinus? Tu vero mi Doctor, cuiusmodi es es, & quam procul abes à Caluino, quando illi quoque scripturam fauere putas & Augustinum? Itaque meum hoc loco animum pulsat, non tantum erroris suspicio; sed & deficientis rationis: dum video tam iuxta se positas eiusdem rei affirmationem & negationem.

Porro frustra est excusatio, quam indicat cap. illo 25. numero 8. dum ait, Caluinum loqui de primo peccato, quod scilicet neque deprauatam voluntatem, neque malum adhuc meritum supponit. Quia iam monstrauimus, & verò est etiam certissimum, Caluinum neque de primo tantum loqui, neque circa illud tantum errare. Vnde pariter frustra est, quod dicitur. *Hoc non esse peccata fieri volente Deo, sed pœnas & supplicia dumtaxat peccatorum in peccatis.* Quia si sensus sit, Deum non velle, vt peccata fiant per se loquendo, sed tantum propter vsum, quem habere possunt vel ad puniendum, vel ad alios bonos fines; hoc ipsum est, quod antea vidimus à Caluino prædicari. Si vero sit sensus, Deum non velle sub vlla omnino ratione, vt peccata sint; quare negatur *sinere* tantum illa esse? quare asseritur scriptura *non tantum dicere illa permitti*? Quare ad permissionem additur? *Deum subjicere peccatorem peccato non tantum quando perpetratum est, sed & cum perpetratur!* Quare ita dicitur *subjicere, vt noua peccata committantur*? Quis non intelligit peccata ista noua objici diuinæ illi voluntati subjicienti, atque ab illa sequi? Quare rejiciendum est, quod addit, Deum tunc velle *in iniquitate pœnam, non iniquitatem ipsam, vt impiè*, inquit, *hæretici profitentur.* Atqui quam certum est hæreticos in hac contentione impios esse; tam est certum in eo non esse positam illorum impietatem, quod putent Deum velle, vt sit iniquitas absolutè, sed propter rationem pœnæ, quam habere potest,

aut alium quemlibet bonum vsum. Hoc enim Caluinus celebrat, vt vidimus. Et poteſt adhuc confirmari ex 1. Inſt. cap. 18. numero 4. vbi negat in defectione Iudæorum à familia Dauidis ad Ieroboam Deum voluiſſe perfidiam, *videmus ergo*, inquit, *vt Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine iuſtè. velit.* Et paulo ante linguam Semei, dum conuinciaretur Dauidi, *iuſtum Dei flagellum* fuiſſe dicit. En vt diſtinguit; & Deo pœnam; peccatori, meleficium & iniuriam adſcribit. Sed omnem ſuper hac re dubitationem ſoluit, id quod Clypeo ſuo Molinæus inſcripſit ſect. 20.[a] Duo ſunt, *inquit*, malorum „ genera alterum eſt malum culpæ: alterum eſt malum „ pœnæ. Primum ab homine eſt, ſecundum à Deo. *Iterum.* Malo culpæ Deus ſæpe ad pœnam vtitur: quando, &c. Et tunc malum culpæ quod ad pœnam inſeruit non eſt à Deo, prout eſt malum culpæ, vel prout „ eſt peccatum: ſed ſolum Deus illo ad puniendum vtitur. *Et paulo poſt ita denuo loquitur.* [b] Deus ſathanæ ſceleratiſque habenas laxat, ad exequenda iniqua conſilia, „ quæ ab ipſis oriuntur, non à Deo: nihilominus tamen „ quidquid facient Dei conſilio vſui erit. Non igitur ideò *impij* vocandi ſunt hæretici, quod cenſeant *Deum velle iniquitatem* abſolutè, & non in ipſa *iniquitate pœnam.* Hoc enim crimem falſum eſſe conuincitur, minimeque expedit tot impietatum reos eo nomine conueniri, quo illi ſe innoxios eſſe probaturi ſunt: cum ſit periculum ne veris iuſtiſque criminationibus fidem adimat, à ſuppoſititijs innocentia vindicata. Quod igitur eſt eorum peccatum? Non aliud certè, quam quod dicant diuinam voluntatem verſari antecedenter circa peccatum ſub ratione pœnæ, vel medij vtilis ad bonos fines: antecedenter, inquam, itaut deinde noua peccata ſequantur. Patere, vt hoc affirmare pergant, & tuos reputa. Quidni vero patiare, cum ipſe dicas. *Deum velle in iniquitate pœnam, non tantum quando perpetrata eſt iniquitas ſed & cum perpetratur:*

a Il y a deux ſortes de mal: l'vn eſt mal de coulpe, & l'autre de peine. Le premier mal vient de l'homme, le ſecond vient de Dieu: toutesfois le mal de coulpe ſert ſouuent de peine. Quand &c. Alors le mal de coulpe qui ſert de peine ne vient point de Dieu entant qu'il eſt mal de coulpe, ou entant qu'il eſt peché: Mais ſeulemẽt Dieu le fait ſeruir de peine.

b Dieu laſche la bride à Sathan & aux meſchans pour executer leurs meſchantes intentions leſquelles viennent d'eux meſmes, & non de Dieu; mais neantmoins tout ce qu'ils feront ſeruira au conſeil de Dieu.

nec

nec qualicunque voluntate, sed illa *quæ subjiciat peccatorem peccato*, nec quocunque modo subjiciat, *sed ita vt noua peccata committat?* Potest ibi non esse voluntas Dei circa peccatum sub ratione pœnæ spectatum? Potest non esse antecedens & præuia, ex qua noua illa peccata sequuntur? Sed quomodo vis Deum velle in iniquitate pœnam? neque enim pœnam volumus *in abstracto*, vt loquuntur: sed volumus rem, quæ aliquem punit, eo quod puniat. Quid igitur erit, Deum velle in iniquitate pœnam? Nempe hoc erit, Deum velle iniquitatem, quæ aliam quoque iniquitatem punit, quatenus eam punit. Restat ergo, vt hoc vnum peccare dicas hæreticos, quia tibi consentiunt.

VIGESIMVM-SEXTVM. Superiora confirmat, habetur autem cap. 24. eiusdem lib. 2. num. 5. Si quæras, „ *inquit*, quod nam sit obiectum illius voluntatis permit- „ tentis, siue illius voluntatis, quæ in Deo est glorificandi „ se per defectum creaturæ? dicam esse ipsum malum, vt „ per modum medij sit bonum, siue esse ipsammet gloriam „ Dei vt illustrandam & manifestandam ipso creaturæ de- „ fectu. Paulo ante dixerat diuinam voluntatem versari positiuè circa permissionem mali, dari vero positiuum actum circa malum emergens negauerat: Caluinum refragantem proscripserat. Et statim quasi elapsum esset è memoria, quod adhuc pene restabat in ore, optimam sententiam reuocat, & in gratiam Caluini pronuntiat, *obiectum positiuæ voluntatis Dei esse malum, vt per modum medij sit bonum.* Non potest negari, quin illa voluntas versetur circa suum obiectum: & proinde cum obiectum eius sit malum quatenus est medium ad bonum: concedi debet positiuum Dei actum versari circa malum sub ratione medij ad bonum. Item, ille actus est quoddam *volo* Dei; cuius obiectum cum dicatur esse malum, si concipiatur propositio, qua debet exprimi, hæc erit. *Volo malum prout illud est vtile ad bonum.* Puto autem me demonstrasse nihil aliud voluisse Caluinum, neque iam velle qui ab illo stant in hac controuersia. Neque inficiatur hic

Author, vt constat ex cap. 23. numero 2. estque insuper luculentum eiusce rei testimonium ipsorum fidei confessio in art. 8. Vbi postquam professi sunt Deum omnia regere ac constituere, insuper addunt. [c] Non quod author „ mali 'sit, aut quod ei culpa imputari possit: postquam „ eius voluntas suprema est atque infallibilis rectitudinis & „ æquitatis regula: sed admirabiles ei suppetunt rationes „ dæmonibus sceleratisque ita vtendi, vt malum, quod „ faciunt, cuiusque rei sunt, conuertere nouerit in bonum. Nihil disertius afferri potest, quo constet Dei voluntatem ex hæreticorum sententia non aliter versari circa malum, quam vt sub ratione boni spectatum. Quare vel in eo dicendi sunt orthodoxi, vel timendum, ne nihilo magis sint Catholici, qui docent *obiectum diuinæ voluntatis esse malum, quatenus per modum medij sit bonum:* vel vt alio quodam loco dicitur, malum *vt bonificandum directione* Dei ad bonum cap. 22. lib. 2. vbi venia verbo frustra petitur, cum sit maior sententiæ barbaries.

[c] Non qu'il soit Autheur du peché, ou que la coulpe luy en puisse estre imputée veu que sa volonté est la regle souueraine & infaillible de toute droiture & equité. Mais il a des moyés admirables de se seruir tellement des Diables & des meschans, qu'il sçait conuertir en bien le mal qu'ils font, & duquel ils sont coulpables.

Atque hinc patet hanc voluntatem frustra dici *voluntatem permittentem*, cum sit etiam *voluntas prosequens. Si* quidem cum voluntas *permittendi*, nihil aliud sit, quam voluntas *non impediendi*; responderi non debebat interroganti quale foret eius obiectum? *esse malum*, sed esse *negationem impedimenti* peccatum prohibentis: neque tunc *bonificari* peccatum ipsum, sed solum illam impedientis gratiæ subtractionem. Nunc autem cum assignetur diuinæ voluntati *malum*, tanquam *obiectum*; sitque necessarium, vt hoc ipsum velle dicatur, quod eius obiectum est (si quidem sit prosecutiua vt est ista) consequens est vt dicatur voluntas Dei *velle malum*, & ita quæ dicitur voluntas permittens malum, reipsa sit voluntas illud prosequens.

VIGESIMVM-SEPTIMVM. *Esse diuinam ordinationem, vt peccatum committatur.* Ita cap. 25. numero 11. vbi

ita loquitur. Respondeo directè iuxta tertiam obserua- „ tionem prædicta testimonia probare tantum modo Deum „ de peccato punire peccatum, & efficere, vt peccatum „ vnum sit pœna alterius. Nam in eo sensu dicitur indurare „ & excæcare, quod nunquam accidit nisi ex merito præ- „ cedentium peccatorum: diuina iustitia ORDINANTE, vt „ sectetur mendacium, qui recusauit obedire veritati. Et „ paulo ante numero 8. quod dictum erat, Deum subjicere peccatorem peccato, itaut noua peccata committat, fieri dicit, *diuina id tum iustitia statuente, tum, &c.* statuit igitur iustitia Dei sic subjiciendum peccatorem peccato, *vt noua peccata* committat.

Vt omittam eadem quoque sentire Caluinum, quod potest copiose monstrari: sententiam illam mihi suspectam facit ipsiusmet authoris iudicium. Eo enim loco, quem ante designauimus ex cap. 24. numero 2. Desi- „ pis, *inquit*, ex insano in Deum blasphemandi ardore, si „ peccatum non præsupponis diuinæ voluntati, & si con- „ tendis peccatum non nisi ex præsupposita Dei volunta- „ te & ordinatione in creatura nasci. Exhibe, mi Pater, sapientiam, quam ab alijs. exigis: neque velis incurrere in eandem notam, quam sæpe ac meritò Caluino insusisti cap. 23. cum diceret *Dei ordinatione fieri, vt homines peccent.* Quid enim minus dicit, qui dicit *statuente atque ordinante Deo fieri, vt quis sectetur mendacium? vt peccato subjiciatur? vt noua peccata committat?*

VIGESIMVM-OCTAVVM. *Deum non modo statuere, vt noua peccata committantur: sed & operari* Ita in illo c. 25. num. 8. cit. vbi agens de illa peccatoris subiectione ad peccatum, qua fit *vt noua peccata committat*; *accidere dicit diuina id tum iustitia statuente, tum potentia* OPERANTE. Operatur ergo Deus subiectionem peccatoris ad peccatum, & ita operatur, vt noua peccata cōmittantur. Hoc vero suspectum est & suspicionis causa eadem quæ paulo ante. Nempe iste met author Caluinum exagitat cap. 23. numero 3. & 4. quod distinctionem voluntatis *permittentis* & *operantis* admittere in Deo nolit, quando de pecca-

tis hominum agitur. Item, quod illud quod nos vocamus *permissionem* contendat esse *actionem*. Sed procul erras, mi Doctor. Quod enim nos *permissionem* vocamus, ille nunquam vocat *actionem*: alioqui nostrum cum illo de verbis tantum esset dissidium. Sed quod ille vocat *actionem*, tu contendis esse *permissionem*. Vnde etiam verbo tenus illi repugnas: & infœliciter repugnas, quod videare vinci, dum eò tandem adduceris, vt eius quoque loquendi modum imitere, quando pronuntias diuinam potentiam *operari subiectionem peccatoris ad peccatum*, *itaut noua peccata fiant*.

Quod autem D. Augustinum appellat in his & similibus pronuntiatis, operam ludit, quod sit clarius meridiano sole longe aliter illum & loqui & sentire. Nempe cum Pelagiani negarent vllam gratiam esse necessariam ad vitanda peccata, consequenter rejiciebant id quod dictum erat ab Augustino, peccatum esse alterum alterius pœnam: neque enim esse posse, nisi gratia secundum peccatum impeditura in pœnam primi subtraheretur: quam gratiam ipsi non agnoscebant. Illius ergo connexionis peccatorum ex peccatis spectatorem tantum otiosum esse Deum, sicuti rei ad suam prouidentiam minime pertinentis, & patientem habere circa hoc bonitatem, non autem operantem potentiam. S. Augustinus è contrario, qui gratiæ necessitatem illam perpetuo deffendit. Deum esse contendit in hoc negotio, non spectatorem solum sed & iudicem: nec in eo cerni patientem tantum eius bonitatem, sed & vindicem prouidentiam, & vlciscentem iustitiam: quatenus scilicet in pœnam præcedentium peccatorum, non confertur gratia vitandis consequentibus requisita. Et quia subtractio beneficij sequuta ex certo ac destinato iudicis consilio, respicientis ad crimen eius quem priuat, operatio quædam est iudicialis potestatis; ideo hic agnoscit Augustinus *operantem* quoque *potentiam*. Hoc igitur *statuere* Deum putat, hoc *ordinare*, hoc *operari*, non vt quisquam *noua peccata committat*; sed vt committere sinatur: non *vt sectetur mendacium*; sed vt sectari non pro-

hibeatur; non vt *impellatur* in ſcelera, quod huic Authori videtur à ſcriptura ſignificari, ſed vt impulſus ſponte ſua irurenſque non coërceatur. Hanc eſſe mentem S. Auguſtini lib. 5. con. Iul. cap. 3. & de Gratia & lib. Arb. cap. 21. conſtat tum ex ipſa vt dixi controuerſiæ natura: tum ex eo quod in illo cap. 3. con. Iul. diſertè negat, Deum facere malas voluntates, ſed eis tantum vti: tum ex alijs multis locis in quib. ſuam mentem apertam facit. In pſ. 68. dicit Deum apponere iniquitatem ſuper iniquitatem, *non vulnerando*, *ſed non ſanando*. In Ench. ad Laur. ita exponit quod dixerat, impios facere quod Deus vult; quia ſcilicet *finit eos male agere & volens* ſinit. In lib. 1. ad ſimpl. quæſt. 2. *Obduratio Dei eſt*, inquit, *nolle miſereri, non ab eo irrogatur aliquid, quo fiat homo deterior ſed tantum quo ſit melior non irrogatur.* Quid apertius? Idem inculcatur in lib. de prædeſt. & gratia.

VIGESIMVM-NONVM. Continetur eodem capite 25. numero 10. his verbis. Quæ ergo Deus vult, & » benè vult in venditione Ioſeph, in morte filij ſui & ſimili- » bus, hæc adimplet per homines, aut IMMITTENDO eis » cogitationem & voluntatem illa eadem faciendi, quam ſi » animo ad Deum bene affecto ſuſciperent, ipſo facto ſan- » ctificarentur: vel ſaltem mala eorum voluntate pro ſua » benignitate & ſapientia bene vtendo. »

Approbatur, vt vides, duplex ratio intelligendi, quo modo ſe Deus habuerit circa Iudam in proditione Chriſti Domini, circa fratres Ioſeph in eius venditione, & circa ſceleratos eiuſdem notæ, vt puta Caïnum in fratricidio, Herodem in infanticidio, & ſic de alijs. Prima ratio eſt, vt Deus exiſtimetur *immiſiſſe* abominandis illis hominibus *cogitationem & voluntatem* illa faciendi, quæ fecerunt. Secunda, vt putetur ſaltem bene vſus mala eorum voluntate.

Propoſitio atque approbatio prioris modi, mihi valde ſuſpecta eſt. Primò quia Deo attribuit, id quod Deus ipſe ſignificat eſſe proprium Diaboli. Deus enim eſt, qui per Euangeliſtam loquitur Ioan. 13. *Cum Diabolus iam*

misissset in cor vt traderet eum Iudas. Et iam mihi datur optio, vt dicam illam cogitationem & voluntatem fuisse à Deo *immissam*, 2. Mitior videtur esse Molinæi sententia, qui dicit loco antea citato. *Deum nunquam inserere hominum cordi malas voluntates.*

Quod autem addit, iuxta illum sentiendi modum, si Iudas verbi causa, susciperet cogitationem illam & voluntatem animo ad Deum bene affecto, *ipso facto sanctificandum*: congruere videtur, cum eo, quod docet Caluinus lib. 1. cap. 17. sect. 5. Cum enim obiecisset interrogationem, quare puniendus sit fur, qui eum expilauit, quem Deus paupertate voluit castigare? cur homicida, qui eum interfecit, cui vitam Dominus finierat? si Dei voluntati seruiunt huiusmodi omnes cur punientur? Respondet, sed enim eos Dei voluntati seruire nego. Non enim qui malo animo fertur præbere ministerium Deo iubenti dicemus. Vides eo tantum nomine inexcusabilem illi Iudam videri, quod *malo animo* paruerit instiganti Deo, vt in Christum conspiraret. Et iterum ita objicit atque respondet. At nisi vellet non faceremus, fateor. Sed an facimus mala in hunc finem, vt ei obsequium præstemus? At nobis ea nequaquam mandat, quin potius irruimus; non quid ille velit cogitantes, sed libidinis nostræ intemperie sic furentes, vt contra ipsum destinato consilio nitamur. Bonam, vt vides, intentionem Caluinus tantum postulat, hoc est *animum bene affectum ad Deum*, vt sit integrum ea præstare omnia, quæ crimini vertuntur.

Equidem fateor etiam ipse innoxium esse quidquid *animo bene ad Deum affecto concipitur*: at fieri posse, vt *cogitatio* & *voluntas* ea faciendi, quæ sciuntur esse peruersa, suscipiatur *animo benè affecto*, res est digna & insipientium risu & sapientium omnium indignatione. Quid enim aliud est illa *voluntas* à Deo *immissa* Iudæ v. c. quam malus affectus, postquam est affectus faciendi, quod simul intelligitur esse præ cæteris omnibus sceleribus abominabile? Quomodo igitur vis animo benè affecto, affectum suscipi omnium pessimum? Age, inquam, Iudæ animum pene-

tra, cogitationes illius compone, motusque voluntatis omnes administra. Quid facies vt ad sanctitatem valeat cogitatio quam habet adeundi hostes Christi & insidiatores vitæ illius? Num impedies ne sciat suum esse Dominum ac Præceptorem, de cuius proditione agitur? Num impetrabis vt criminosum illum existimet, extremoque dignum supplicio? Num abolebis memoriam argumentorum omnium, quibus factus est conscius diuinitatis eius & diuinæ motionis? Num ei probabis iustum esse consilium Iudæorum de illo immolando? Quomodo ergo fiet *bene affectus* ad Deum ille animus, vt *ipso facto*, hoc est immanissimo sacrilegio sanctificetur?

Dices ita forte potuisse *affici*, vt crederet immissam sibi esse à Deo cogitationem & voluntatem cooperandi principibus sacerdotum, seque hoc pacto solutum esse omni officio erga Christum ab eo qui vitæ illius necisque potestatem & habet ipse & dare potest cui libuerit, & quando libuerit; ergo potuisse tunc ex ingenti erga Deum amore, studioque parendi, velle promouere consilia Iudæorum. Atqui est manifestum, homines hoc pacto doceri rationem qua fiant religiosa flagitia, cunctarumque fœditatum putor in odorem suauitatis commutetur. Ita enim & latro cogitare poterit sibi cœlitus immissam esse cogitationem & voluntatem expoliandi mercatorem hunc, Deo punire volente immodicam illius auaritiam. Ita & homicida se diuinitus impelli ad eum vita priuandum, quem Deus maturè cupit suo sisti iudicio. Ita & adulter cælestem esse inspirationem, qua sentit concupiscentiam commoueri alienæ vxoris appetitu, Deo hanc pœnam infligente effrenatæ mariti lasciuiæ. Occupemus ergo illius bona Deo huiusce rei copiam vltro facienti obsequium præstabimus. Fauces alteri elidamus, animo in Deum intento; sacrificium erit. Quin etiam irruamus in istius torum, sed elatis in cœlum oculis; *ipso facto sanctificabimur*. O suauissimam doctrinam, & efficacissimam ad persuadendam sceleratis omnibus sine cuiusqua mtergiuersatione innocentiam!

TRIGESIMVM. *Deum neque velle malum, neque nolle.*
„ Ita cap. 24. numero 2. vbi sic loquitur. Fateor
„ Deum volentem permittere malum & diuinam volun-
„ tatem positiuè versari circa permissionem mali: aliquem
„ autem dari actum positiuum diuinæ voluntatis circa ma-
„ lum emergens, & Deum aut NOLLE ipsum aut velle,
„ omninò nego. Si nollet, non fieret: si vellet, &c. Quam verum sit in eius sententia Deum *non velle malum*, antea monstratum est. Nunc autem quod etiam *omnino negat* Deum *nolle malum*, mihi suspectum esse facit, quod idem docet cap. 25. numero 10. *clarissima esse scripturæ testimonia, quibus perhibetur Deum non modo non velle, sed odisse malum.* Odisse est quidam actus voluntatis, & proinde quoddam velle au nolle, cum ergo *odisse malum*, non sit velle malum, superest, vt sit *nolle malum.* Clarissima igitur scripturæ testimonia, erroris conuincunt negantem Deum *nolle malum*. Dicere debuit Deum nolle malum, quod causæ liberæ perpetrant, & quidem *efficaciter nolle*, quantum est ex se sed non *absolutè*: quod suæ nolitionis effectum pendere velit ab hominum arbitrio.

TRIGESIMVM-PRIMVM. Erit corollarium ex superioribus quod est huiusmodi. *Deum esse authorem peccati.* Nam iste Author, lib. 2. cap. 23. numero 2. & 3. colligit eam esse Caluini sententiam, ex eo, quod docuerit peccatum fieri *Deo non solum permittente, sed & volente, ordinante, prædestinante, operante.* Atqui iam monstratum est ipsummet eadem dicere: ergo etiam ipse Deum peccati authorem constituit. Minor patet. Nam cap. 25. bis negat peccata hominum deprauatorum fieri *Deo tantum sinente*, quin etiam munit se scripturæ testimonio, quam negat *solum dicere Deum permittere peccata*. Non fiunt igitur hæc peccata, *Deo solùm permittente.* Iam verò soli permissioni vt aliquid fit, nihil potest superaddi præter voluntatem vt fit: ac proinde dum negatur Deus *permittere solùm*, consequens est vt concedatur, *velle peccatum.* Et verò concedere etiam videtur, cap. 24. numero

numero 5. cum illi voluntati, quæ specie tenus est permittens, cum reuera sit prosequens, obiectum assignatur *malum quatenus per modum medij fit bonum*, hoc enim vti ostendimus idem est ac *Deum velle malum sub ratione medij ad bonum finem.* Præterea, diuina iustitia *ordinante* fieri dixit, vt sectetur mendacium, qui noluit obedire veritati, cap. illo 25. numero 11. & numero 8. diuina iustitia *statuente* subjici peccatorem peccato, itaut noua peccata committat. Ergo peccatum *ordinante Deo committitur*, ex sententia huius authoris. Rursus eodem cap. 25. numero 3. vidimus Deum prædifinientem & prædeterminantem actus, quos impij ex lege atque impetu propriæ deprauationis operantur, hoc decreto *volo vt impius hic sua illa praua animi dispositione consilijs meis ita seruiat.* Quæ prædefinitio non potest non esse *prædestinatio* quædam illorum actuum, qui mali sunt. Idem lib. 1. cap. 8. & cap. 26. Excusationem autem quæ affertur, Deum non prædefinire illos actus *quatenus mali sunt*, ostendimus eandem esse Caluini & Caluinistarum. Verba Caluini sunt in lib. de æterna Dei prædestinatione: Equi- " dem QVATENVS MALA SVNT, quæ malo animo perpe- " trant homines, Deo minime placere fateor. Non vult „ ergo esse *prædestinationem* malorum actuum *quatenus mali sunt.* Da esse prædestinationem eorum qui sunt mali, & qui sciuntur esse mali, tum à Deo prædestinante, tum ab homine perpetrante: da esse prædestinationem quâ fiat *vt sint, vt humani sint, vt sint media* diuinis consilijs idonea, idque in eo circumstantiarum procinctu à quo est impossibile malitiam abesse; saluus sim nisi Caluinus iureiurando contestatur se nunquam credidisse aliam esse malorum actuum *prædestinationem.* Atqui das hæc omnia, vt ex dictis constat: ergo fateris mala fieri Deo ita *prædestinante* quo modo prædestinare censuit Caluinus, hodieque sentiunt Caluinistæ. Denique Deum etiam induxit hic Doctor ita *operantem* subiectionem peccatoris ad peccatum, *vt noua exinde peccata sequantur*, eodem cap. 25. numero 8. committuntur ergo noua ista peccata *operante Deo*; censet gitur idem Doctor fieri peccata Deo *non tantum permit-*

ſimas irrogando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas atque ſubſtantias in quantum ſunt naturæ atque ſubſtantiæ, vbi Florinus errabat. Vides vt fidei doctrinam Coluthianorum errori contrariam S. Auguſtinus contineri putat abſoluta illa ſententia, *Deus creat mala, pœnas iuſtiſſimas irrogando*? Idipſum habet S. Anſelmus in lib. de concor: & Scholaſtici plerique omnes cum S. Thoma quæſt. 1. par. 49. art. 2. vbi ſic loquitur, Ad ordinem vniuerſi pertinet Ordo iuſtitiæ, qui requirit vt peccatoribus pœna inferatur. Et ſecundum hoc Deus eſt author mali quod eſt pœna: non autem mali quod eſt culpa. Certè Scripturæ locutiones abſolutæ ſunt atque rotundæ. *Ego Dominus creans malum.* Eſech. 48. & Amòs 3. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Quæ igitur iſta eſt confidentia, hominem & vnum & priuatum, exiſtimare prouidentiam ſuam Theologiæ neceſſariam eſſe, ac vereri poſt Eccleſiæ declarationem, poſt SS. Patrum ſuffragia, poſt examina Scholaſticorum, ne malè ſonet id quod omnes dicunt, *Deum eſſe cauſam mali pœnæ*, niſi temperamentum ipſe adhibeat iſtud, *non prout eſt malum*, *ſed prout eſt pœna*, vel ſubtilem hanc interpretationem, *non eſſe cauſam mali in pœna, ſed eſſe cauſam pœnæ in malo*? Nam quod ait S. Thomam 22. quæſt. 164. art. 1. negare mortem eſſe à Deo *ſecundum quod eſt quoddam malum naturæ humanæ*, iuuaret, ſi hoc eſſet negare mortem eſſe à Deo, *quatenus eſt malum peccatoris*. Hoc autem neque ille dicit, neque S. Auguſtinus; qui etiam fruſtrà adducitur, cum non poſſit prodeſſe huic ſententiæ, niſi noceat ſuæ.

Subtilitas autem illa, *non prout eſt malum, ſed prout eſt pœna, item pœnæ in malo, non mali in pœna*, dilutior eſt quam vt Philoſophum ſapiat. Diſpungit enim rationes inter ſe neceſſariò implexas. Propria germanaque ratio pœnæ eſt, *Eſſe malum delinquentis infligendum à iudice*; quemadmodum propria germanaque ratio præmij eſt, *Eſſe bonum rectè agentis ab eodem iudice retribuendum.* Ergo fieri non poteſt vt iudex velit pœnam vt pœnam, quin velit pœnam, *vt eſt malum eius qui delinquit.* Quemadmodum neque

fieri poteſt, vt velit præmium vt præmium; quin velit præmium *vt eſt bonum eius qui rectè agit.*

Sed nihil me magis mouet hoc loco quam iſtius Doctoris religio, qui *vt diuinam bonitatem maximè commendaret*, vt ipſe loquitur, nullum illi attribuendo malum effectum, memorabilem illam diſtinctionem inuexit, *mali in pœna, & pœnæ in malo*, ne Deus diceretur abſolutè *cauſa mali pœnæ*: cum tamen tam prope abſit ab ijs, qui *malum culpæ* illi adſcribunt. Contremiſcit vbi cæteri alacres ſunt: ridet vbi cæteri expaueſcunt. Deum prædefinire actus quos impij ex lege atque impetu prauitatis ſuæ operantur; abſolutè velle, vt impij ſuo conſilio ſeruiant, propriæ impietatis exercitio; operari ſubiectionem peccatoris ad peccatum, quando illud perpetrat, ita vt noua peccata committat; ordinare vt ſectetur mendacium qui noluit obedire veritati; velle malum culpæ quatenus per modum medij fit bonum; denique præmouere ac prædeterminare ad actus malos ſub triplici ratione, quatenus actus ſunt, quatenus ſunt humani, & quatenus ſunt media diuinis apta conſilijs; cæteris paſſim Theologis monſtra ſunt horrida; quæ tamen vnus iſte ita cicurauit vt ei ſint blanda: Deum eſſe cauſam mali pœnæ, quod cæteros nihil moratur; philoſophandi quadam ſuperſtitione ita crudum ei viſum eſt, vt ſorbere non potuerit, niſi prius dilueret ſalſamento præclaræ illius diſtinctionis, *mali in pœna, pœnæ in malo.*

TRIGESIMVM-TERTIVM, habetur eodem lib. 2. cap. 25. numero 2. vbi de prædeſtinatione diſſerens, Vtramque *dicit* ſupponere maſſam Adami peccato infectam, eſſeque prædeſtinationem ſecretionem ab illa: Reprobationem autem derelictionem. Deum igitur ex maſsâ perditionis, qua omnes implicantur, iſtos ſeligere, alios autem in peccato videntem relinquere: velle tamen vt hi ad gloriam ſuam inſeruiant, ideoque partim dare illis bona opera benè facienda: partim bona opera facienda ſecundum ſubſtantiam: partim, &c.

Vides reprobationem in vniuerſum dici eſſe *derelictio-*

nem in massa peccato Adami infecta; itaque derelictos censeri etiam illos, *quibus Deus dat bona opera benè facienda*, vt videantur comprehendi reprobi, qui ad fidem vocantur, atque ex illius directione aliquandiu bene viuunt. Horum vero reprobationem dicere esse *derelictionem in massa peccato Adami infecta*, non videtur esse orthodoxum: quia sequitur inde illos remanere in huiusmodi massa: neque vnquam vere ablui ab originis macula, contra manifestam Concilij Tridentini sanctionem sess. 5. can. 5. vbi definit in ijs qui rite baptizantur *tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet*. Et sess. 6. can. 17. damnantur ij qui dicunt, *iustificationis gratiam contingere solis prædestinationis ad vitam æternam*. Vtrobique autem denotantur hæretici Lutherani atque Caluiniani. Atqui constat fulmina hæc omnia bruta esse si verum sit, *omnes omnino reprobos in massa infecta peccato Adami relinqui*. Quomodo enim in illa relinquuntur, qui vere iustificantur à peccato, hoc est, qui ex illa fæce purgati ad statum sanctitatis & innocentiæ transferuntur?

TRIGESIMVM-QVARTVM continetur adhuc in eodem loco, cum dicitur, *Velle tamen Deum, vt illi, quos in huiusmodi massa relinquit, ad gloriam suam inseruiant: ideoque partim dare illis bona opera benè facienda: partim, &c.* Quibus verbis vt apparet significatur Deus, quanuis non velit extrahere quosdam reprobos ex massa perditionis, nec proinde velit illis dare bona opera eo fine vt inde emergant; nihilominus tamen ea dare, quod sciat alia ratione quam per ipsorum salutem, inseruire posse ad gloriam suam. Nolim prorsus affirmare; sed tamen verisimile est ex ipsa inspectione loci hanc esse genuinam eius sententiam.

Mihi vero ideo suspecta est, quod ex eâ sequatur, non esse veram atque sinceram in Deo voluntatem saluandi reprobos illos, qui toties inuitantur vt diuinam gratiam recipiant, atque in ea recepta perseuerent. Quis enim concipiat *velle* reuera illos saluare, si *volens* dere-

linquit in interitu : alioque dirigit beneficia Redemptoris quæ illis confert, quam ad ipſorum felicitatem? Ergo illis illuditur, quoties applicantur illa Spiritus Sancti teſtimonia, quibus Deus ſpem facere videtur conſequendæ ſalutis, ſignificatione deſiderij ſui atque amoris: falluntur que ſi putant illum tangi aliquo affectu, qui æternam ipſorum vitam reſpiciat: vel ſi aliud colligunt ex tanta beneuolentiæ ſignificatione, quam ſignificari quidem illam, non tamen eſſe. Quod qui ſibi perſuadeat, quid habet, quo Deum circulatori præferat & proxenetæ?

TRIGESIMVM-QVINTVM, ad eoſdem reprobos pertinet, & in vniuerſum ad omnes homines, de quibus ita loquitur ib. *Ita vt reprobi conſiderari debeant in illa maſſa tanquam homines perditiſſimi, & ad omne ſcelus projecti, parum admodum damnatis Dæmonibuſque diſſimiles: & id quidem merito peccati originalis, quod adeo violenter & intimè corrupit naturam, vt niſi gratia adſit Redemptoris, non modo nihil operaremur boni, ſed quotidie in noua ſcelera ferremur toto impetu, &c.*

Caluinus nihilo magis, exaggerat originalem corruptionem vt patet ex 2. Inſt. cap. 1. & 3. Huiuſmodi autem amplificatione opinio ſubornatur illa, quæ opera infidelium omnia dicit eſſe peccata: quæ libertatem arbitrij extinguit: quæ ſolius mali copiam homini facit. Nam ſi poteſt ſine gratia Redemptoris eſſe aliquod opus non malum; quid ni & in infideli? Si non poteſt, tantaque ad malum obſtinatio eſt, vt ſit æmula Dæmonum, quare *Arbitrium* cum Catholicis vocatur *liberum*; & non potius cum Lutheranis ſeruum? Denique vnde petitur coniectura illa nullius actionis vnquam futuræ niſi flagitioſæ, citra Chriſti gratiam, ſi labentium hominum voluntas alterius rei facultatem retinuit quam ſolius mali? Sin autem illam tantum retinuit; quid improbamus in art. 9. confeſſionis noſtratium hæreticorum, [d] Vbi libertas

d Et combien que l'homme ait volonté par laquelle il eſt incité à faire cecy ou cela : toutesfois elle eſt du tout captiue ſoubs peché en ſorte, qu'il n'a nulle liberté à bien que celle que Dieu luy donne.

quam reliquit originalis corruptio infra potestatem boni tantum deprimitur, circa mala vagari non impeditur? Molinæus in hac parte aliquanto moderatior fuisse videtur. [e] Neque enim eo vsque producit hominis deprauationem, vt non putet relictam esse libertatem ad actiones bonas atque honestas ciuili quadam honestate, quin etiam ad politicam Ecclesiasticæ disciplinæ obseruationem illam in qua ratio ipsa pietatis non consistit. Quod procul abest ab effrenata in omne scelus *proiectione* perpetuoque bonorum operum odio, quod noster Author sola Redemptionis gratia cohiberi putat.

[e] L. 1 du Boucl. sect. 21. Nous dis͂ps de plus, que l'homme a son franc arbitre ès actions bonnes & honnestes d'vne honnesteté ciuile. Ie dis le mesme de l'obseruation de la police Ecclesiastique en laquelle ne consiste point l'essence de la pieté.

Porro Catholica doctrina fert, ita corruptam esse hominum libertatem originali contagio, vt nisi Deus intuitu meritorum Christi peculiari quodam auxilio succurrat, nihil agere possit quod saluti conducat, vt puta merendo, impetrando vel alia quadam ratione mouendo diuinam misericordiam, vt conatus humanos secundet, nisi quos eadem præuenerit. In ijs vero quæ ad hanc vitam tantum spectant, neque possunt esse salutis initium, non solum non docemur *nihil nos agere posse sine Christi gratia nisi malum*; quin etiam si qui visi sunt ita sentire, damnati sunt. Etenim inter propositiones Michaëlis Baij, quas Pius 5. & Gregorius XIII. damnauerunt hæc est 28. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad „ peccandum valet *Hæc* 29. Pelagianus est error dicere, „ quod liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitan- „ dum. *Hæc* 36. Amor naturalis qui ex viribus naturæ „ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptio- „ nis humanæ cum iniuria Crucis Christi defenditur à non- „ nullis Doctoribus. *Hæc* 37. Cum Pelagio sentit qui boni „ aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus „ ortum ducit, agnoscit. *Hæc* 38. Omnis amor creaturæ „ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, „ quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas qua „ per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. „ *Hæc* 65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest vsus „ aliquis liberi arbitrij bonus siue non malus: & gratiæ „ Christi iniuriam facit qui ita sentit & docet. Huiusmodi „

omnes assertiones, quas summi Pontifices vna cum alijs multis, *in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento* damnauerunt vt *hæreticas*, *erroneas*, *suspectas*, *temerarias scandalosas*, *& in pias aures offensionem immittentes*, compendio quodam comprehensæ videntur ab eo qui dixit Reprobos in massa originalis peccati considerari debere tanquam homines perditissimos, & ad omne scelus proiectos, parum admodum Damnatis Dæmonibusque dissimiles: & naturam humanam illius peccati merito ita corruptam, vt, nisi gratia Redemptoris adsit, non modo nihil boni operatura sit: sed in noua quotidie scelera toto impetu ruitura.

Ex dictis hactenus liquidò constat, non posse verum esse quod hic Author dixit in Epistola nuncupatoria, se doctrinam hanc accepisse ab illustrissimo Cardinale Berullio. Quia si hoc esset, posset esse suspecta illius viri fides, cuius ne sanctitas quidem dubia est. Neque ignorandum fuit, quando de aliquo in album sanctorum referendo causa instruitur, primam haberi quæstionem, de recta illius in Deum fide.

TRIGESIMO-SEXTO loco, ponendum videtur genus quoddam orationis & piæ ad Deum aspirationis, cuius speciem edidit Author lib. 1. cap. 23. numero 9. Vbi post acrem animaduersionem in eos qui putant scientiam conditionatam vsui esse Deo in decernendis causarum liberarum operationibus; orationem ad Deum conuertit, animumque zelo plenum diuinis infundit auribus. Qui ita sentiunt, *inquit*, de te Domine Deus meus, vt velint attendi ad se priusquam quidquam de illis statuas etiam boni, vias suas bonas nolunt esse prorsus tuas. Tribuunt sibi initium salutis suæ; & post Pelagianorum hæresim & reliquias, Ecclesiæ tuæ iudicio seuerè damnatas, Amor propriæ excellentiæ, & sibi aliquid tribuendi insanus ardor, in hunc se locum tanquam in tutissimum recepit asylum. *Et deinde*. Absit à me Domine, absit, sic de te sentire, sic de me præsumere.

Voluit vt opinor, hic Doctor, proponere Lectori exemplum

exemplum aliquod familiaris suæ cum Deo conuersationis; vt sciamus ecquid illius animus voluere soleat, quando silentio cæteris cogitationibus imperato, cælo tantum & superis patet. Ergo materiam in primis idoneam eligit, doctrinam *de vsu scientiæ conditionatæ*; cuius indignitate suggeritur vberrima piarum querelarum seges. Nam quod Caluino consentiatur in neganda libertate arbitrij circa conuersionis actum, & quemcunque alium qui quidem rectâ in Deum tendat: quod eidem annuatur in approbanda peccandi necessitate diuinitus imposita *per prædefinitionem & prædeterminationem eorum actuum, quos impij ex lege atque impetu propriæ prauitatis operantur:* quod eadem cum illo subeatur alea constituendi Deum peccati Authorem: vno verbo, quod hodiernis hæreticis iusta præbeatur occasio accusandi Tridentinorum Patrum iudicia, tanquam iniqua, quippe quæ illos constringant qui nihil sentiunt ab ijs diuersum, qui Catholici audiunt; res est eiusmodi cuius gratiâ ne manus quidem vertēda sit. At vero esse aliquem qui putet, Deum priusquam prædefiniat bonum hominis actum, scire non deesse sibi multiplex medium ad illud procurandum, tum fallibile tum infallibile, pro creatæ voluntatis ingenio, atque hac vti scientia prædefinientem liberum huiusmodi actus exercitium (quæ summa est & quasi medulla totius doctrinæ de scientia media) hoc, inquam, adeò est immane, vt humana subsellia tanto flagitio imparia sint; ad ipsum Deum accusatio sit trahenda. Iam vero, quia nudum crimen exponere, neque inuestigare causas vnde illi nequitia accrescit, indiserti accusatoris est; istius pietatis suæ partem esse putauit religiosus Doctor, commemorare quam originem quosque natales habeat opinio de vsu scientiæ hypotheticæ. Hoc autem breuiter atque dilucidè præstitum ab eo est illis verbis, *Amor propriæ excellentiæ & sibi aliquid tribuendi insanus ardor, &c.* Quibus assertorum illius scientiæ tria peccata leuicula perstringit, *ambitionem, insaniam, arrogantiam.* Et quia commendabilem facit oratorem innocentia odiumque illorum præsertim vitiorum, quæ in alijs insectatur; neque hanc partem omittit,

TTtt

ideoque ſubiungit, *abſit à me Domine, abſit, ſic de te ſentire, ſic de me præſumere.*

Verum his nequicquam obſtantibus, hic typus orationis mihi ſuſpectus eſt. Primò, quia inter orandum confiteri Deo aliena peccata, & ſuas virtutes enarrare peruerſum eſt, atque ab ipſomet Deo improbatum in illo qui dicebat, *Domine gratias tibi ago quia non ſum ſicut cæteri hominum, Raptores, &c.* Secundò, quia delicta illa quæ hic Author recenſet, vel falſa omnino ſunt, vel ei vt minimum incerta. Quis enim illi animum aperuit Theologorum quos accuſat, vt in eo legeret *amorem propriæ excellentiæ, & inſanum ardorem tribuendi aliquid ſibi*, vnde incunabula peteret ſcientiæ conditionatæ? Deo autem inſuflare mendacia, & liuidas alienorum vitiorum ſuſpiciones, irreuerentiæ genus eſt non ferendæ. Neque ignorandum quid Deus illis reſpondere ſoleat, qui ſedentes aduerſus fratres ſuos loquuntur, ſuaque illi dicta probari putant, *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.*

VLTIMO LOCO ponam iudicium de cauſis, quibus adducti ſunt Theologi recentiores, vt ſeſe phyſicis prædeterminationibus opponerent: qua in inquiſitione occupatur toto cap. 36. lib. 1. Eorum autem quæ dicit omnium hæc ſumma eſt. Qui prædeterminantibus contradicunt, ſunt Sui amantes, ignaui, ſocordes in ſuperandis ſtudiorum difficultatibus: Non ſatis complexi ſunt animo ſui abnegationem: Libertatem ambiunt diſſolutam, vagam, fræni expertem, ſubiectionis ad Deum impatientem: Non ſtudent ſoliditati doctrinæ, ſed facilitati: Plauſum captant auramque populi & ex eo fine metiuntur ſuorum dogmatum veritatem: Vtuntur periculoſa methodo, etiam in ijs quæ ad ſalutem ſpectant; quo fit vt in diſcrimen æternæ vitæ adducant eos qui ſe inſtitutioni eorum credunt: Ruinoſo fundamento ſuperſtruunt, quia non accommodant ſe Scripturæ ac Patribus, *hoc eſt ſupremis fidei regulis*; ſed illas potius ad ſenſus proprios incuruant: Cauent ſibi tantum à craſſioribus errori-

bus : Refiftere malunt veritati reuelata facie oftendenti » fe, quam fuos lapfus fateri : quæ eft hæreticorum pertinacia, & vnum ex nefandis illis ac numquam remittendis peccatis,quæ pugnare dicuntur contra fpiritum fanctum: Denique non norunt humilitatem S. Auguftini malè olim à fe credita retractantis. Eia mi Pater, aduerte quæfo quis te fpiritus agitet? Quis crederet fub illa tua virtutis profeffione, fub illa fermonis dulcedine, fub illis oculis meras fuauitates fpirantibus, fub illa modeftia fpecieque fanctitatis, tam virulentum oculi potuiffe animum? Sed ne debile fit Auguftinianæ humilitatis confilium, fuo illud exemplo bonus Doctor confirmat, fatetur enim fe vnum effe ex *rariffimis* illis, qui *fummam Diui Auguftini humilitatem* imitantur : nempe *fibi olim accidiffe vt ardenter amplecteretur* opinionem quam modo impugnat.

Sed quidquid fit de hac humilitate,quam ego nolim reuocare in dubium, poftquam ipfe me fuo teftimonio de illâ certiorem fecit, iudicium tamen de caufis, quæ *tam multos*, vt ait, Theologos, vel impulerunt in eam fententiam à qua tantopere nunc abhorret, vel forte impulfos in eadem retinent, mihi valde fufpectum eft. Primò, Quia caufas huiufmodi refundit in occulta vitia, itáque repugnat edicto Chrifti Domini, *nolite iudicare & non iudicabimini*, Secundò, Quia non decet Catholicum Doctorem ftilum acuere in eos à quibus nullo vnquam verbo quod fciam læfus eft. Tertiò, Quia cum hoc femper dedeceat, multo magis in opere illo quod primum prodit, quod oporteat ftudiorum fuorum puras Deo atque hominibus offerre primitias. Quartò, Quia hoc maximè videtur effe turpe Sacerdoti, cuius in ore cum etiam ioci vertantur in blafphemias ; calumnijs quid fiet? Quintò, Quia cum ifte Author non viuat fibi, fed fit eius congregationis membrum, quæ cum doctrina pietatem & profitetur & præftat; velle debuit non fuo tantum, fed & illius quoque nomini confultum effe : ad hoc autem referebat plurimum, non videri locum in ea vllum effe liuori. Sexto, Idem Author primariam eius familiæ domum adminiftrat; & res ipfa poftulabat vt focijs fuis fpecimen daret

caritatis solidæque modestiæ. Nocuisse verò exemplum hoc, probant quæ prodiere nudius tertius, Quæstiones Philosophicæ Selectæ. Septimò, Non potuit nescire inter eos qui sine physicis prædeterminationibus philosophantur, quam plurimos esse nominis celebritate conspicuos, eâque famâ quam eximia virtus, insignis eruditio, & summa dignitas latè dispersit. Si velim numerare qui fuerint vel in ipsa tantum Gallia illius sententiæ Patroni, numerosum agmen Illustrium Episcoporum ducent Eminentissimi Cardinales, qui & vita iam functi sunt gloriosissima, & adhuc, atque vtinam diu, funguntur. Parcere igitur debuit eorum Purpuræ, neque in vniuersos spargere idem atramentum *Ignauiæ, Socordiæ, Philautiæ, Superbiæ, Insaniæ, Contumaciæ in errore tuendo, &c.* Octauo, Sorbonæ ritibus initiatus, hunc honorem habere debuit Academiæ nobilissimæ & Catholicarum Scholarum parenti, cum sciret plerosque in ea peritissimos esse Theologiæ Magistros, qui physicas prædeterminationes auersantur. Petrus à sancto Ioseph Cisterciensis neminem excipit: tract. de gratia disp. 7. eiusque testimonio similitudinem veri addidit iste Author, quando ex ipso gremio Parisiensis facultatis Louanium ire coactus est, vt saltem in terris Hispanorum inueniret vnum, Theologum cui doctrina illa probaretur. Nono, Exciperet saltem ab eadem calumnia Philippum Gamachæum, *splendissimum Sorbonæ lumen, Præceptorem suum, cui se plurimum debere* profitetur, cap. 33. numero 13. Edita enim in lucem illius opera palam ostendunt, ipsum quoque præmotionibus aduersari. Ille igitur *periculosa methodo* vsus est in discenda docendaque Theologia? Ille suorum opinionum exordium sumpsit *à proprio ingenio*, cum deberet à diuinis potius oraculis? Ille vel ita fungus fuit, vt non videret *permulta prorsus absurda ne quid peius dicatur*, quæ sequebantur ex ipsius sententia: vel ita cerebrosus, vt veritatem in vinculis habere vellet, errore manumisso? Ille *mollis & effœminatus* in amoliendis obicibus, qui veri sedem obsident? Ille popularis auræ mancipium, dum præfert *plausibilitatem* doctrinæ *soliditati*? Vide, mi Pa-

ter, quid rependas ei viro, *cui te plurimum debere*, profiteris. Decimo, Dandum aliquid erat piæ memoriæ Illustrissimi Cardinalis Berullij *Parentis optimi*, quem hic Author fatetur *admodum probasse cultores eius sententiæ*, quorum ipse tum virtutem infuscat, tum eruditionem deprimit. Vndecimò, Erat etiam in eo consulendum eiusdem viri nomini, quem fama fert argumentis confirmata luculentis, optimum fuisse virtutis ac rerum spiritalium magistrum, quod probare debuerant mores discipuli. Denique, nemo speraret eam laudem, quam furor sæuissimorum hostium reliquam fecerat, ijs qui humanorum actuum præmotoribus in primis resistunt, ab eo Authore demeti, de cuius æquo in omnes animo nulla debuit esse suspicio. Scimus enim cum nostra memoria sycophantæ quidam verbo calamoque in eorum famam grassarentur, neque integrum quidquam in vita, moribus, doctrinaue relinquerent; Theologiam tamen excepisse nominatim; neque vt in alijs solebant, in eo quoque ausos mentiri, ratos si secus facerent se communi omnium opinione redarguendos. Quid peccauere deinceps, vt ne ipsis quidem crudelium inimicorum reliquijs digni viderentur? Nam si segnes sunt ignauique in superandis studiorum laboribus: si placita sua componunt ad plausum hominum potius quam ad amussim veritatis: si adeo sunt in philosophando peruersi, vt prima cura sit proprijs litare cogitationibus, posterior adirè Deum & sapientes, si forte adduci possint vt sententiæ constitutæ subseruiant; quis id genus hominibus in Theologorum consessu locum esse vllum patiatur?

In Epist. dedic. ad Vio. VIII. S. P.

Neque vero prætereundum est id quod dicit cap. 36. iam cit. numero 2. dum refert secundam causam auersandi præmotiones. Ait enim, *eandem esse quam in re simili recensent inter alias plerasque qui literas perire conqueruntur.* Quibus verbis nescio quid mali ominis concinere videtur in studia Theologiæ, si docere pergant ij, quos insectatur, nec torpentes iam Theologorum or-

dines recenti acceſſione roborentur. Abſit vero vt quenquam tanta occupet inuidia, vt priuatum nomen exiſtimet communi anteponendum vtilitati, malit-ve ſingularis & eximius eſſe, quam ſuccreſcere alios, à quibus id quod ab ipſo peccatum eſt in hac præſertim ſcientiarum principe corrigatur. Quin etiam ex animo gratulor literariæ Reipublicæ noua continuò ſupplementa. Atque vtinam Deus adeo felices eſſe velit eorum impetus, vt cæterorum errata deinceps fraudi eſſe nemini queant. Sed vt dicam quod res eſt, ſi iudicium vniuerſum ex opere *De Libertate Dei & Creaturæ* ſit ferendum; nos illius rei ſpe minori eſſe quam deſiderio neceſſe ſit.





CAPVT SECVNDVM.

PVGNANTIA.



X iis quæ hucuſque diſſeruimus abundè patet, nupero huic prædeterminationum patrono non ſatis conuenire cum communi ſanaque doctrina. Quid verò id mirum eſt, cum ſit etiam manifeſtum non ſatis illi conuenire vel cum ſua? Incredibile enim eſt quam multas ille in omnes operis ſui particulas ſententiarum ſparſerit contrarietates. Vt minimè laborandum ſit, vnde promamus argumenta nouis illius opinionibus confutandis idonea; quando conſtat, nullum ab eo memorabile placitum adſtructum eſſe, cui ſubruendo non ſtatim occurrat erecta quædam per ipſum machina. Siue ita tulit illius ingenij fortuna, ſeu voluit inire nouam philoſophandi rationem, & humilem illam pauidamque cæterorum methodum deſpexit, qui animo ſemper in antecedentium & conſequentium nexus & commiſſuras intento, dicta ſua omnia circumſpiciunt, ac veluti mouerentur incluſi labirintho, continuum ad ſingulos paſſus tenere filum conantur. Ipſe cui propoſitum eſt ex hiſce anguſtijs expeditum animum educere in *ſummam amplitudinem*, altius aliquid meditatus videtur, & opus ſuum concepit in morem vniuerſi, ex contrarijs atque pugnantibus, vt mox liquebit.

I. Hic Author toto ſuo in opere negantes prædeterminationem cauſarum liberarum impugnat, ſeque cum

Thomistis sentire profitetur : & tamen ipse non aliam agnoscit prædeterminationem, quam eam, qua nemo vnquam Thomistarum contentus fuit, quam nemo vnquam aliorum negauit, scilicet *Intentionem finis*. Ita lib. 1. cap. 19. numero 3. & cap. 20. numero 5. quo fit vt in eorum gratiam philosophari velle videatur à quibus reipsa dissentit, & ab ijs dissentire, cum quibus reipsa philosophatur.

II. Necessariam putat præmotionem quæ vt ipsum quo-
„ que nomen significat, sit aliquid præsuppositum ad ope-
„ rationem causæ secundæ, *cap. 18. num. 1.* aliquid impres-
„ sum in causam, & non solum in effectum *ibid. numero 2.*
„ quod se teneat ex parte causæ secundæ & in ea recipiatur:
„ quod sit quasi complementum agentis creati. *Ibid. nume-*
„ *ro 4.* quod sit distinctum à concursu simultaneo. *Ibid. nu-*
„ *mero 1. & cap. 19. numero 5. Et capite 26. numero 5. ait se* vali-
„ dissimis rationibus demonstrasse, motionem Dei recipi
„ in mobili : esse præuiam ad actum, nec esse idem cum
„ concursu simultaneo.

Et tamen idem fatetur *Intentionem finis*, quæ est motio & præmotio, vt iam dictum est, *Interdum identificari electioni*, quæ est, vt ipse putat, primum exercitium agentis liberi. Ita cap. 28. numero 3.

At, quî fieri potest vt quod identificatur effectui & non causæ, sit aliquid verè ac reipsa præsuppositum ad productionem effectus? Sit aliquid impressum in causam & non solum in effectum? Se teneat ex parte causæ potius quam ex parte effectus? Sit complementum causæ, &c. Quomodo, inquam, fieri potest, vt eius productio, quod est idem cum effectu causæ liberæ, non sit etiam idem cum eiusdem causæ liberæ actione, ac proinde non sit ipse concursus simultaneus identicè?

III. Cap. 1. numero 1. Ponit libertatem de qua loquitur *in adhæsione ad Deum*, & in illa *Amplitudine* quæ talem adhæsionem sequitur, & eodem loco dicit libertatem de qua loquitur, *esse illam ipsam quæ requiritur etiam ad malum meritum* & sine qua nullum peccatum committitur. Annon implicat in adiecto, *requiri adhæsionem ad Deum*, vt

quis possit adhærere diabolo? hoc est, necessarium esse amorem Dei, vt quis illum oderit?

IV. Hic author in ipsa statim præfatione libri. 1. vehementer improbat doctrinam recentiorum qui negant *esse in beatis libertatem.* Quod iterum repetit lib. 2. cap. 27. Nulli autem sunt recentiores qui negent libertatem aliorum actuum in beatis, quam amoris beatifici & gaudij seu fruitionis. Rursus idem dicit, Scholasticos præsertim recentiores quando de libertate disputant, intelligendos *de libertate exercitij*, ita in fine capitis secundi lib. 1. Ergo recentiores non aliam libertatem negant actibus illis beatorum, quam *libertatem exercitij.* Denique idem ipse agnoscit in illis actibus libertatem quam vocat *secundum statum*, tantum: Eam vero quæ est *secundum exercitium*, negat, Ita cap. 9. numero 3. & 5. cap. 10. numero 1. & aperte lib. 2. cap. 3. num. 6. Quare igitur ægre fert eorum sententiam, à quibus sua ipsius confirmatur? Patiatur quæso sibi alios consentire.

V. Lib. 1. cap. 3. numero 1. docet Christum Dominum, Ioan. 8. dum ait, *Tunc verè liberi eritis* & cæt. loqui de libertate *non oppositâ necessitati & immutabilitati:* & eodem prorsus loco docet libertatem de qua loquitur Christus, esse libertatem *à necessitate.* Si est libertas à necessitate, illi opponitur, Ergo loquitur Christus de libertate quæ opponitur necessitati.

VI. Idem docet cap. 6. numero 7. ex Gandauensi, *Libertatem coniunctam cum immutabili necessitate, esse aliam à libertate arbitrij eâque superiorem.* Et deinde cap. 8. num. 1. docet ex Augustino. *Libertatem arbitrij non destrui, sed adstrui per immutabilitatem, nec opponi vniuersim necessitati.* Sequitur ergo, libertatem, quæ compatitur immutabilem necessitatem, esse & non esse aliam à libertate arbitrij.

VII. Docet cap. 6. numero 12. *Nos non alligari operationibus nostris, sed rebus:* Ideoque pronuntiat Vasquesium perperam locutum, quando dixit, *Liberum esse qui non sit alligatus ad operationem suam.* Et tamen cap. 7. numero 2. dum explicat libertatem à necessitate, illam esse dicit,

Per quam exempti sumus ab alligatione ad operationem nostram. Ille igitur ipse est, qui vel perperam loquitur, vel perperam in Vasquesium animaduertit.

VIII. Cap. 7. num. 1. Negat *hominem dici posse sui dominum*, eo quod dominium sit ad aliud. Et cap. 10. numero 1. & 2. concedit *hominem eà libertate quæ est secundum exercitium, esse sui dominum*, & cap. 34. numero 8. dicit liberum, *esse tum aliorum tum sui Dominum.* Negat igitur se benè sentire ac loqui: & destruit quod dixerat dominium esse ad aliud.

IX. Quod dicit. Capite 9. num. 4. *Voluntatem non latius patere quàm libertatem*, Omnino pugnat cum eo quod toties inculcat & fusè probat cap. 31. *Potentiam peccandi non esse libertatem nec eius partem*: & lib. 2. cap. 27. & 28. *In dæmonibus & damnatis non esse libertatem.* Numquid enim negat esse in illis voluntatem? Et potentia peccandi quam excludi vult à libertate, num excludetur & à voluntate?

X. Eodem cap. 9. numero 8. hic autor docet condistingui *libertatem exercitij contra libertatem status*: quod fecerat etiam cap. 2. Rursus dicit *libertatem exercitij conuerti cum libertate contradictionis*: non igitur patet latius libertas contradictionis quam libertas exercitij. Falsum est ergo quod anteà retulit ex Augustino cap. 4. numero 4. *esse in Angelis beatis libertatem contradictionis quæ sit etiam libertas secundum statum.* Aut est verum *esse libertatem exercitij quæ sit etiam libertas secundum statum*: & proinde falsum *libertatem exercitij condistingui contra libertatem status.*

XI. Dicit eodem capite 9. numero 6. *Eum qui in deliberatione de vitæ statu concludit pro Deo potius quam pro sæculo, non carere culpà, eo quod seipsum sibi finem præfigat.* At hoc implicat, vt aiunt, in adiecto. Si enim seipsum sibi finem præfigit, pro se concludit, & non pro Deo. Et fieri-ne potest vt quisquam reipsa concludat & ad peccandum & pro Deo?

XII. Eodem cap. 9. numero 5. & 6. dicit. *In interiori occupatione circa Deum, hominem mereri & esse laude dignum, quamuis in ea nulla sit libertas contradictionis*, nec proinde libertas exercitij quæ cum libertate contradictionis con-

uertitur, vt iam visum est. Ergo vt quis mereatur & sit laude dignus sufficit *libertas status*, vt ipse vocat.

Rursus idem autor eodem cap. 9. numero 8. negat, *conuersionem nostram ad Deum, quatenus præcisè tendit in Deum, esse meritoriam, vt actum nostrum*; seu, *nos per illam proprie mereri, eo quod libertas quæ* illi sub ea ratione competit *sit tantum libertas inchoata status*. Ergo libertas inchoata status sufficit & non sufficit ad meritum nostrum.

XIII. Loco citato ideo negat actum conuersionis nostræ vt tendit præcisè in Deum esse meritorium, vt actum nostrum, *quia Deus est, qui nos ad illum mouet, non autem ipsi nos.* Et tamen deinde cap. 14. num. 6. & antea cap. 1. numero 7. ait, *nos quamuis moueamur à Deo, censendos tamen moueri à nobis*; Quare igitur non censeamur mereri tanquam per actum nostrum? Et si censemur moueri à nobis, quamuis moueamur à Deo; quare negamur ipsi mouere nos, quando Deus nos mouet?

XIV. Ruit ille philosophandi modus quo, loco iam citato, censet distinguendam esse in nostra conuersione duplicem rationem, nempe ipsam præcisè rationem con- » uersionis ad Deum, & rationem auersionis à creaturis: & » hanc quidem auersionem à creaturis, prout innititur Deo » sicut fini nostro cui inhærenus, esse meritoriam vt actum » nostrum; rationem verò conuersionis præcisè non esse » meritoriam vt actum nostrum; hoc, inquam, se ipso con- » cidit. Quid enim quæso est, *auersionem à creaturis inniti Deo tanquam fini nostro*, nisi, *auersionem à creaturis includere & esse conuersionem ad Deum?*

Ergo cum dicitur esse meritoria vt actus noster sub eâ ratione *qua innititur Deo vt fini nostro*; idem est ac, esse meritoriam vt actum nostrum sub eâ ratione *quà vel includit vel est formaliter conuersio ad Deum:* hoc est sub eâ ratione quâ non debet distingui à conuersione. Ergo ridiculum fuit distinguere illam duplicem rationem auersionis, & conuersionis & assignare auersioni sic distinctæ meritum quod sit nostrum, cum nullum habeat nisi vt à conuersione non distinguitur.

XV. Ruit etiam quod dicit ibidem, formalem rationem

conuersionis nostræ ad Deum, non esse meritoriam vt actum nostrum; *sed vt opus Dei per Christum in nobis.* Quia manifestum est implicare contradictionem, vt aliquod opus sit meritorium sub eâ ratione qua est opus causæ quæ non potest mereri: atqui Deus non potest mereri vt notum est ex penetratione terminorum. Ergo implicat vt conuersio sit meritoria, *quatenus est opus Dei.* Neque dicas Deum posse mereri per Christum: quia hoc quoque perinde implicat ac, Deum per Christum cognoscere, ambulare & cæt. (neque enim huc pertinet doctrina de communicatione idiomatum) Addo neque Christum iam mereri quicquam. Quare vel nullum est meritum in conuersione hominis ad Deum, vel est ipsius hominis meritum.

XVI. Capite 14. numero 1. & 2. refutat eos qui dicunt
„ Finem vltimum non mouere voluntatem ita sufficienter
„ in proprio genere, vt non sit necessarium voluntatem
„ quoque ipsam concurrere ad illum motum, *aitque* hoc
„ malè sonare, *& numero* 3. *contendit*, non posse dici homi-
„ nem non determinari sufficienter à fine, nisi adiungatur
„ determinatio voluntatis, etiam per modum principij
actiui. Quod præterquam quod est falsum, pugnat etiam cum Autore ipso. Vult enim finem esse sufficientem ad determinandam voluntatem *in proprio tantum genere*, & numero 1. disertè pronuntiat *esse verum, finem non determinare finaliter simul & effectiuè.* Vnde sequitur euidenter, quamuis dicatur *principium actiuum* (siue illud sit voluntas, siue non sit) *debere fini adiungi ad ponendam re ipsa voluntatis determinationem*, nihil dici quod officiat sufficientiæ finis, & quod non sit *verum*: Ergo quando dicitur voluntas non esse adiungenda, *etiam per modum principij actiui*, quod eâ ratione destruatur sufficientia finis, dicitur aliquid falsum. Confirmatur, quia quando finis vltimus mouet ad electionem mediorum, vel mouet sufficienter in proprio genere; vel non. Si dicas secundum; non bene concinis, quia per te hoc *malè sonat.* Si dicas primum; Ergo stat, finem vltimum non ita sufficienter mouere voluntatem in proprio genere, quin egeat ipsa

liberè consentiente ac cooperante *per modum principij actiui.* Alioqui motus electionis non esset ei liber, contra quàm sentias.

XVII. Capite 14. numero 4. vt probet finem vltimum esse sufficientissimum determinandæ voluntati, absque eo quod ipsius quoque determinatio adiungenda sit, ait *se supponere intentionem illam siue conuersionem, quæ est causalitas & motio finis in ordine gratiæ, esse perfectam & efficacem.* Antea verò cap. 9. numero 6. asseruit, ante conuersionem quæ sequitur intestinum bellum hominis ad meliora conantis, quæ sola sine dubio est *perfecta & efficax*, esse aliquod meritum nostrum, & operationem merendo idoneam, & gratiam ex qua vtrumque sequatur. Vnde inferas euidenter, priusquam sit illud, quod est *gratia & motio, & causalitas finis vltimi; esse gratiam & motionem, & causalitatem eiusdem finis.*

XVIII. Capite. 18. numero 8. docet, Deum dare voluntati consensum independenter ab eius consensu futuro sub conditione antequam daretur, vel dari determinaretur. Cuius propositionis non potest esse alius sensus, quam, Deum dare illum consensum absque eo quod sit necessarium præsupponi esse futurum ex hypothesi qua Deus vtitur & ex quâ illum educit: *vel* absque eo quod sit necessarium hoc à Deo sciri. Hoc vero implicat contradictionem, vt per se patet. Quia postquam reuera sequitur consensus ex tali hypothesi, impossibile est ex eadem non fuisse secuturum si poneretur: & similiter est impossibile hoc non esse à Deo scitum, postquam est verum: idque ante omne decretum liberum de hypothesi absolutè ponendâ, & consequenter de consensu futuro absolutè procurando. Quia prius ratione quam esset eiusmodi decretum, verum erat, si fieret hypothesis secuturum effectum.

XIX. Capite 19. numero 2. Vt agens liberum, *inquit*, libere operetur, duo intelligere oportet. Primum est agens esse secundum se indifferens ad agendum & non agendum, *alterum subiungit*, Vt determinetur, non ad finem, neque ad media; sed ad finem per media. Mitto tenuem

& implicatam iſtorum verborum ſententiam. Scopus Autoris, vt opinor, iſte eſt, *Agentis liberi proprium eſſe, vt & ſit indifferens ad agendum & non agendum, & ſimul etiam determinatum; indifferens quidem ſecundum ſe; determinatum verò* (determinatione ſcilicet antecedenti) *per intentionem finis ad electionem vtilium ad finem.* Quam ſententiam dico pugnare ſecum.

Sic enim argumentor. Quando dicis *agens liberum debere eſſe indifferens ſecundum ſe*, vel per illud *ſecundum ſe* abſtrahis agens liberum ab eorum ſuppoſitione quæ illi neceſſaria ſunt, vt ſit in procinctu ac proxime aptum & expeditum ad actionem; vel non abſtrahis, ſed coniunctum ſumis cum tali ſuppoſitione: ſi primum, ſenſus eſt, *agens liberum poteſt agere modo ei adiungatur ſuppoſitio eorum, quæ ſunt ad agendum neceſſaria: & poteſt non agere modo ea ſuppoſitio tollatur; atque ita ſecundum ſe indifferens eſt ad agendum & non agendum, quatenus eſt indifferens ad habendam aut non habendam ſuppoſitionem illam.* Et hoc ſenſu tecum pugnas, quando indifferentiam illam proponis veluti condiditionem propriam & neceſſariam agenti libero; quippe quæ conueniat, & non libero. Cum enim huic quoque neceſſaria ſit aliquorum ſuppoſitio, quâ fiat proximè atque immediatè aptum agere: verè de illo dicitur agere poſſe, modo ea ſuppoſitio adueniat, & poſſe non agere modo non adueniat. Canis, inquam, verè poteſt ſorbere offam, ſi temperatam ſentiat, & non ſorbere, ſi feruentem experiatur: & Dæmon, quem nihilo liberiorem cane putas, vel certè lepore, aduolare poteſt ad tentandum hominem, vel ab eo recedere, prout intelligit ſe in eo magis aut minus offendere Deum, iuxta tuam doctri- (L. 2. c. 29. numero 5.) nam. Quare, & canis ſecundum ſe indifferens eſt ad ſorbendam, vel non ſorbendam offam: & Dæmon ad hominem tentandum vel non tentandum. Hoc igitur non pertinet propriè ad cauſam liberam.

Si ſecundum, ſenſus eſt, *Agens liberum, vt completum iam per ſuppoſitionem neceſſariorum ad agendum*, ſiue, *principium illud quod ex tali coniunctione conflatur & concreſcit, eſt indifferens ſecundum ſe ad agendum & non agendum.* Et hoc ſenſu

implicatur manifesta contradictio, dum dicitur suppositio antecedens, quæ coniungi debet agenti libero vt sit omnino completum ad actionem, *esse determinatio ad agendum.* Hoc enim est, *ex agente libero & determinatione, concrescere aliquid indifferens ad agendum*, quod est idem ac ex aëris & luminis coniunctione concrescere aliquid tenebrosum.

XX. Capite 20. numero 3. Docet ex parte subiecti motionem inefficacem reddi, quando Deus motionem immittit ex se ad hominis conuersionem destinatam: sed quæ imperfectè recipitur, & propter subiecti vel imbecillitatem, vel deprauationem, prohibetur ne scopum attingat. Impedit ergo subiecti deprauatio & imbellitas, id quo efficacia gratiæ constat.

Rursus eodem loco significat, id quo efficacia gratiæ constat, esse *diuinam voluntatem & intentionem vt sequatur effectus: eam enim esse quasi spiritum gratiæ.* Vnde inuehitur in eos qui *quod est potissimum in gratia & quasi spiritus eius, efficaciam scilicet, creaturæ attribuunt.* Ex quibus ita argumentor.

Si efficacia gratiæ constet illa intentione diuinâ, manifestum est id tantum impedire ne gratia sit efficax, quod impedit ne sit illa intentio: atqui est etiam manifestum deprauationem & imbecillitatem subiecti non impedire ne sit illa intentio Dei, quia illa non est aliquid quod recipi debeat in subiecto: Ergo subiecti deprauatio non impedit efficaciam gratiæ.

Dices, deprauationem subiecti mereri ne Deus habeat talem intentionem. Contra, si peccatum includat, esto: at hic Autor id ipsum censet de subiecto nullum habente peccatum, vt erat Adamus in statu innocentiæ, & Angeli ante lapsum cap. 21. numero 4. in quibus sola excogitari potest imbecillitas sine deprauatione: item de deprauatione quæ solam dicat pronitatem ad peccandum, sine vllo merito malo, qualis est hominis iam iustificati. Hæc ergo non possunt mereri subtractionem vllius boni, ac proinde nec impedire intentionem, quæ gratiam efficacem reddit.

Explicatur aliter hæc contradictio. Imbecillitas subiecti recepturi aliquam formam non potest impedire aliud quam quod spectat ad entitatem formæ recipiendæ, vt per se statim apparet: & consequenter imbecillitas subiecti recepturi gratiam non potest impedire aliud quam quod spectat ad entitatem gratiæ recipiendæ: atqui efficacia gratiæ non spectat ad entitatem gratiæ recipiendæ, vt idem fatetur loco citato. Ergo imbecillitas subiecti recepturi gratiam non potest impedire illius efficaciam. Necesse est igitur alterutrum neget, aut imbecillitatem subiecti atque etiam deprauationem impedire ne gratia sit efficax, aut eius efficaciam esse petendam ex intentione Dei.

XXI. Eodem cap. numero 5. ait, *hominem per intentionem finis mouere seipsum, vt recipientem tantum.* Quod est eatenus mouere ipsum se, quatenus alius tantùm ipsum mouet: seu eatenus agere quatenus tantùm patitur. Hoc vero est eatenus mouere se, quatenus se non mouet, & eatenus agere quatenus non agit. Quo quid fingi potest implicatius? Nonne satius erat ingenuè negare, quod tamen omnes affirmant, *hominem mouere omnino seipsum in finem.*

„ XXII. Capite 21. numero 7. Deus, *inquit*, offert homini
„ motionem qua ad se finem vltimum transferat: ipse au-
„ tem peruersè dispositus recipit motionem illam secun-
„ dum modum suum, imperfectissimè ac tenuissimè, nihil
„ recipiens illius nisi quo sibi arctius alligetur. Hoc autem pugnat cum eo quod dictum est. Capite 20. numero 3.
„ Quod gratia sit inefficax non oriri ex vlla eius depen-
„ dentia à causa secunda proinde quasi consensum eius expectet. Quia manifestum est Deum dare re ipsâ quidquid offert, nisi subiectum cui offert, sit in recipiendo liberum. Si enim non est liberum, quod impedit ne aliquid ei detur, impedit etiam ne offeratur. Nisi fortè putamus Deum equino corpori offerre animum rationalem, & alas Elephanti ad volandum. Iam verò constat hominem non recipere re ipsa perfectam illam motionem, vt Autor quoque fatetur eodem loco: Ergo

Ergo debet esse in eius receptione liber. Ergo existentia perfectæ motionis pendet à libera hominis acceptatione: Atqui hoc quoque negatur vt monstratum est: Eligat igitur autor vtrum retractare malit.

XXIII. Capite 22. numero 1. dicit Se prædeterminationem sumere strictè prout idem est ac præmotio efficax. „ *Et ibidem dicit*, prædeterminationem ita sumptam esse „ duplicem: alteram facultatis, quæ vel est, *inquit*, pro toto „ vitæ tempore, vel pro exiguâ illa temporis parte quo ad „ eiusmodi actum prædeterminatur: alteram esse prædeterminationem actus, num. 2. Hæc autem pugnant inter se, quia si *prædeterminatio* non est aliud quam *præmotio efficax*, euidens est illius tantum esse posse *prædeterminationem*, cuius esse potest *præmotio*: Atqui est etiam manifestum *præmotionem* nullam esse posse nisi facultatis, siquidem ipse actus præcisè, est tantum terminus ad quem est *præmotio*: Ergo nec est vlla *prædeterminatio* nisi facultatis. Ergo nulla est distinctio inter *prædeterminationem facultatis* illam quæ dicitur esse *pro exigua tantum temporis parte*, & inter *prædeterminationem ipsius actus*.

XXIV. Eodem loco docet prædeterminationem facultatis etiam illam *quæ est pro exigua tantum temporis parte*, non relinquere in facultate potentiam suspendendi actum. Prædeterminatur facultas, *inquit*, quando ita à „ Deo afficitur, & in eo statu intrinseco constituitur, vt „ non possit ad oppositum eius quod ipse voluerit se con- „ uertere. *Et Paulo post.* Qui ita ad Deum se habuerit, cum „ ab ordine Dei deficere vel absolutè, vel pro illo saltem „ tempore nequeat, non potest etiam ad id non esse con- „ uersus, ad quod Dei motio illum applicat. Hoc modo „ censet prædeterminatos esse in cœlo Beatos omnes, & olim etiam in terra Christum Dominum. Prædeterminatio verò actus importat etiam, *inquit*, in voluntate ali- „ quid intrinsecum, saltem per modum transeuntis; sed „ non tale quod illam omnino penetret ac possideat, & cui „ resistere non possit. Et is est communis modus quo Deus „ homines gubernare consueuit. Addit eodem capite numero 8. cum prædeterminatione actus non posse com-

XXxx

poni resistentiam voluntatis. Hæc verò pugnant inter se.

Nam quod prædeterminatio facultatis tollat potentiam in oppositum, non potest esse verum, nisi tantùm *in sensu composito*; quod nimirum sit talis, vt illi coëxistere vel cum ea componi non possit suspensio actus ad quem quis prædeterminatur: cum antea monstratum sit etiam ex sententiâ huius autoris, liberam facultatem esse debere secundùm se, hoc est saltem in sensu diuiso aut diuidente à prædeterminatione, indifferentem ad agendum vel non agendum.

Atqui prædeterminatio actus est etiam talis, vt ei coëxistere, vel cum eâ componi non possit suspensio actus, vt ostensum est: Ergo prædeterminatio actus male distinguitur ex eo capite à prædeterminatione facultatis, illâ saltem quæ est pro exigua temporis parte. Quod autem insuper additur ab Autore, vnam *non perinde penetrare ac permeare facultatem* atque aliam, verba sunt quæ imperiti non capiant, periti exsufflent. Quid enim an-ne aliqua est animo superficies quam prædeterminatio facultatis transgrediatur, cui prædeterminatio actus inhæreat? Aliqua-ne profunditas à qua vna excludatur, admittatur altera? Fateatur ergo vel male positam, vel male expositam esse hanc prædeterminationis distinctionem.

XXV. Loquitur hic Autor capite 30. numero 4. de prædeterminatione quæ vulgò datur viatoribus, hoc est de prædeterminatione actus. De qua proinde interpretandum est quod dicit, *eum qui non tantùm suadet, sed insuper dat ipsum velle*, nimirum per hanc prædeterminationem, *non relinquere hominem indifferentem ad agendum, vel non agendum.*

Atqui non potest dici *non relinquere indifferentem*, quòd tollat potentiam agendi: quia potius illam iuuat: Ergo quòd tollat potentiam non agendi. Sed hanc quoque negat tollere citato capite 22. numero 2. vbi dicit *voluntatem prædeterminatam prædeterminatione actus, elicere actum* CVM POTENTIA ALITER SE HABENDI, & numero 3. *non esse*

talem cui voluntas resistere non possit: Ergo hic autor ipse sibi resistit.

XXVI. Est iterum alia contradictio in eodem capite 22. inter duas propositiones iam adductas. Prima est, *Voluntatem prædeterminatam vulgari prædeterminatione*, *posse nihilominus illi resistere.* Secunda est, *Esse impossibile*, ita enim loquitur. numero 8. *resistentiam illam componi, seu simul existere cum tali prædeterminatione.*

Sic igitur argumentor. Si est impossibile resistentiam voluntatis componi cum prædeterminatione, necessariò fatendum est prædeterminationem esse impedimentum efficax & insuperabile, resistentiæ: Atqui primum est verum; ergo & secundum. Rursus. Si prædeterminatio est impedimentum efficax & insuperabile resistentiæ; Euidens est voluntatem esse prædeterminatam idem esse, ac voluntatem esse efficaciter & insuperabiliter impeditam ne resistat: atqui primum est verum, ergo & secundum.

Iam verò dicere voluntatem *efficaciter & insuperabiliter impeditam ne resistat*, *posse nihilominus resistere*, nonne res est digna quæ risu risibilium omnium excipiatur?

XXVII. Hic autor eodem capite 22. numero 6. quæstionem qua petitur, quî fieri possit vt idem actus contingenter simul & immutabiliter procedat à voluntate prædeterminata communi prædeterminatione quæ, *actus*, appellatur, hac fere ratione soluit. Scilicet, duo quædam esse, voluntatem, & prædeterminationem; ideóque actum qui elicitur concipi posse tum vt oritur à voluntate præcisè, & sub ea ratione *contingenter elici*: tum vt oritur à prædeterminatione, & sub eâ ratione *non elici contingenter, sed immutabiliter.* At, numquid voluntas, & prædeterminatio illa specialis, quæ *facultatis* dicitur, *& pro exiguo tantùm tempore*, duo quædam sunt perinde distincta? Numquid ergo pariter concipi poterit actus, & vt procedens à voluntate præcisè, & vt procedens ab illa prædeterminatione? Iterùm, si concipiatur vt procedens à voluntate præcisè, estne ratio cur dicatur procedere *immutabiliter & non potius contingenter.* Nititur ergo in veti-

tum, dum conatur probare aliis, ſuum illud commentum de diſtinctione duplicis prædeterminationis, cum ex hoc capite nulla colligi poſſit inter vtramque differentia.

XXVIII. Eodem cap. 22. numero 7. docet. *Cùm homo poſſit viâ perſuaſionis pertrahere hominem quò voluerit, multò magis hoc poſſe Deum.* Et deinde, numero 11. dicit, *viam ſupremæ poteſtatis*, quam diſtinguit à viâ perſuaſionis, *non ſolùm eſſe aptam perfectæ conuerſioni, ſed ſolam aptam, viam autem perſuaſionis negat eſſe ad hoc aptam.* Si poteſt Deus *viâ perſuaſionis* ducere hominem *quò voluerit*, quomodo non etiam ad *perfectam conuerſionem?* aut ſi ducere non poteſt ad *perfectam conuerſionem*, quomodo dicitur ducere poſſe *quò voluerit?*

„ XXIX. In eodem capite 22. numero 7. ait Deum per-
„ ſuadere poſſe hominem, quemcumque, quocumque
„ tempore, & ſub quibuſcumque occaſionibus conſtitu-
„ tum: *item* hominem quantumuis induratum, *item* ani-
„ mum quantumuis indiſpoſitum, perditum, & profliga-
„ tum.

„ Et tamen mox numero 10. cenſet vſum illius modi mi-
„ nus Deo dignum eſſe, eo quod ſupponat hominem taliter
„ affectum, & ſuper illo fundamento ſtruat eligendorum
„ rationes, *& num.* 11. Deum non immutare cor immediatè,
„ hoc modo per ſeipſum, ſed per hominem quem ita affe-
„ ctum ad finem reperit, & ſuper cuius diſpoſitione ædificat.
O miram in dicendo inconſtantiam! Quomodo ſupponit Deus hominem *taliter diſpoſitum*, vt illum *viâ perſuaſionis* pertrahat, ſi pertrahere poteſt *quantumuis indiſpoſitum perditum & profligatum?*

XXX. Eodem cap. 22. eodemque numero 11. ſignifi-
„ cat idem Autor Modum inducendi homines effica-
„ citer ad bonum, qui eſt per viam perſuaſionis, vſitatio-
„ rem eſſe altero, qui eſt per viam potentiæ. Et tamen
„ cap. 30. numero 4. negat Satis eſſe, ſi dicatur Deus
„ ſuadere tantùm bonam voluntatem, ſed inſuper dicen-
„ dum eam dare. Si non poteſt Deus dici *ſuadere tantùm* bonam voluntatem, quomodo dici poteſt vti *tantùm viâ perſuaſionis* ad eam procurandam? Vel ſi cùm dicitur vti

via persuasionis tantùm, non excluditur quominus censeatur *dare bonam voluntatem*; quomodo id ipsum excluditur, si credatur eam *tantùm suadere*? Numquid *suadere*, & *vti via persuasionis* idem sunt? Certè hic Autor videtur esse in hac parte Deo quodammodo potentior, vt qui *viâ persuasionis*, res adeo absurdas implicatasque in animum admittat suum.

XXXI. Est & alia contradictio in distinctione duplicis illius modi quo à Deo pertrahi potest voluntas ad bonum opus, iuxta expositionem huius Autoris. Siquidem quando vtitur Deus efficaciter viâ persuasionis, non potest excludi prædeterminatio, seu intentio, & quidem efficax vt patet ex cap. 22. numero 11. sine qua nihil vnquam fit. Rursus neque excludi potest diuinum decretum, seu voluntas vt sit effectus, postquam efficacia illa exinde petenda est. Itaque sequendo viam persuasionis hæc omnia necessaria sunt, cogitationes piæ allicientes voluntatem ad bonum opus, intentio finis, & Diuinum decretum absolutum & efficax circa opus.

Ego verò ignoro quid horum excludat vsus alterius modi, qui est per viam potentiæ, vel quid superaddat. Nam cùm non ducat voluntatem in incognitum, fatendum est includere cogitationes prælucentes voluntati circa bonum appetendum; intentionem efficacem non excludit vt pote propriam Dei causalitatem iuxta doctrinam huius Auctoris; nec consequenter decretum qui est *spiritus* huius intentionis. Ad hæc autem quid potest superaddere quod non sit superfluum consensui procurando? Ergo *via potentiæ* coincidit cum *via persuasionis*, & vice versâ: Ergo falsa fuit cogitatio cui vna præ alia visa est esse *vsitatior* numero 11.

XXXII. Docet hic Auctor, Non consentire Diuinæ „ gratiæ qua quis incitatur ad bonum, vel esse peccatum, „ vel certè defectum eiusmodi qui cadere non possit in „ voluntatem Beatorum vel B. Virginis, vel Christi Do- „ mini dum essent in viâ. Ita in hoc cap. 22. numero 4. „ & antea. cap. 1. numero 3. Et lib. 2. cap. 27. numero 3. Multominus ergo poterit ille defectus in Deum refundi.

Rurſus docet cap. 20. numero 3. *quod gratia ſit inefficax in quibuſdam, adſcribendum eſſe diuinæ voluntati.* Atqui non poteſt illi adſcribi quòd gratia ſit *inefficax*; quin eidem adſcribatur quòd non ſit effectus: quare igitur tantus eſſe creditur *defectus* ille, vt ne minimo quidem ex Beatis hominibus adſcribi poſſit? Vel quare ſit Auctor Deus illius *defectus*, cuius conſcientia Beatorum impatiens eſt?

XXXIII. Num. 12. eiuſdem cap. 22. duas libertates „ diſtinguit; Vnam quæ eſt pura & conſiſtit in indifferen-„ tia ad agendum & non agendum ſeruato ordine finis: „ Aliam quæ eſt impura & importat potentiam ad benè „ & malè agendum. *Et deinde ſubiungit*, Si noſſe velimus „ id quod de verâ libertate reperitur in hoc ſecundo mem-„ bro huius diuiſionis, ſpectandam ſolum eſſe facultatem „ agendi, vel non agendi ſeruato ordine finis.

At, hæc *facultas* ſpectari non poteſt in ſecundâ libertate, niſi in ea includatur. Si verò includitur, includitur id in quo per te poſita eſt prior libertas: ac proinde prior, libertas includitur in poſteriori. Diuiſio autem cuius membrum alterum in altero includitur, peccatum eſt Dialectici triduani. Ergo fateare neceſſe eſt, vel malè conſtitutam, vel malè expoſitam à te libertatis diuiſionem illam.

XXXIV. Eſt & alia contradictio eodem in loco. Siquidem ſecundæ tantùm libertati, quam vocat *impuram*, adiungit *poteſtatem peccandi*, à qua liberam eſſe ſignificat priorem & *puram* libertatem. Et ſimul fatetur priorem & *puram* illam libertatem fuiſſe in Adamo in ſtatu innocentiæ. At, numquid & *poteſtas peccandi* in eo fuit? Quare igitur ſeparas *puram* libertatem à *poteſtate peccandi*, aut cur fateris fuiſſe illam in Adamo, cum hæc quoque in eo fuerit?

XXXV. Cap. 23. numero 6. Docet *D. Auguſtinum quamuis non neſciret eſſe ſcientiam mediam, numquam tamen ad eam recurriſſe*, in quæſtione ſcilicet de gratia efficaci: Et paulo ante numero 2. probat S. Auguſtinum agnouiſſe ſcientiam mediam ex eo quod habetur in quæſt-

2. lib. 1. ad Simplicianum *Propterea Deum nullius frustra misereri, quia cuius miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere vt vocantem non respuat.*

Atqui est manifestum S. Augustinum explicare ibi efficaciam gratiæ. Hæc igitur sunt simul vera, *sanctum Augustinum non recurrere vnquam ad scientiam mediam in explicanda efficacia gratiæ*, Et, *scientiam ad quam recurrit dum explicat efficaciam gratiæ, esse scientiam mediam.*

XXXVI. Eodem cap. 23. numero 3. Docet *Deum videre futura conditionata, vt sunt in suis causis tanquam probabilia tantùm*, id est, videre solùm eorum probabilitatem. Et numero 4. dicit, si Deus non apponat obiecto „ scientiæ conditionatæ suum decretum, saltem per hy- „ pothesim, nihil videre certum; Sed videre solùm pro- „ babilem connexionem talis causæ cum tali euentu. „

Rursus idem autor, vt iam vidimus in cap. 20. num. 3. Docet voluntatem & intentionem diuinam esse quasi „ spiritum præmotionis efficacis, ita vt eadem entitas præ- „ motionis in se immutata ex suppositione diuinæ volun- „ tatis, & intentionis circa effectum, fiat efficax, & ea de- „ ficiente inefficax. „

Quod si hoc verum est, perspicuè sequitur, Deum qui scit certò, & euidenter, se non habere *voluntatem, & intentionem vt sequatur effectus* qui dicitur conditionatè futurus; certò etiam & euidenter scire talem effectum non futurum. Quomodo igitur est verum *si Deus non apponat suum decretum obiecto scientiæ conditionatæ, scire tantùm illud esse probabiliter futurum*, cum certò & euidenter sciat non futurum? Item, cum illa non existentia effectus ex suppositione, sit aliquid contingens, & futurum sub conditione, sciaturque à Deo euidenter & certò; quomodo Deus in vniuersum dicitur scire tantùm probabilitatem futurorum sub conditione?

XXXVII. Capite 23. numero 8. Scientiæ mediæ vtilitatem impugnat hoc principio. Nullum esse statum „ nullasque dispositiones in quibus Deus non possit creatu- „ ram reuocare à peccato & in viam salutis reducere si velit: „ atque ita frustra & in dedecus Diuinæ Omnipotentiæ „

„ excogitari certas circumſtantias in quibus tantùm hoc poſſit. Sed ſcire debuit, ſtatum in quo Deus à deffenſoribus ſcientiæ mediæ negatur effecturus vt creatura conſentiat gratiæ ſuæ, continere hanc hypotheſim, *Si creatura ponatur in illis circumſtantijs, eique offeratur diuina gratia, relicta penes ipſam optione vtendi aut non vtendi, non conſentiet.* Quo poſito, peto ab Aduerſario quid ſignificet illud *ſi velit?* Num ſenſus eſt, *Si Deus velit voluntate abſoluta & efficaci & omnino determinata ad conſenſum procurandum, creatura ſemper conſentiet?* At implicat Deum habere voluntatem hanc in hypotheſi data, quippe quæ contrariam inuoluit vt dictum eſt. Num igitur ſenſus eſt, *Si Deus velit quantùm eſt ex ſe, & dummodo creatura pro ſua libertate non ſuſpendat effectum huiuſce voluntatis?* Atqui hoc pacto non tantùm petitur principium; Sed inſuper aſſumitur id quod in horas ſingulas omnium ferè mortalium experientia conuincitur eſſe falſum. Quidquid enim boni liberè vſquam omittitur, omittitur Deo ita volente vt non omittatur.

XXXVIII. Similiter implicat quod ait eodem num. 8.
„ & 9. quando ita ratiocinatur. Si creatura, *inquit*, eſſet
„ aliter diſpoſita quam ſit ſub his circumſtantiis (in quibus
„ ſcilicet præſcitur non conſenſura) conſenſura eſſet, vt
„ autores iſti fatentur: atqui Deus poteſt diſpoſitionem
„ illam in ea excitare: Ergo in quocumque ſtatu efficere
„ poteſt vt peccator conſentiat. O ſupinam cogitationem! Non vides aliâ *excitatâ diſpoſititione*, ſtatum quoque alium conſtitui: atque ita falſum eſſe in *quocumque ſtatu* elici conſenſum à voluntate: cùm ille in quo elicitur, ſit alius ab eo in quo dicebatur non eliciendus?

XXXIX. Implicat quod docet cap. 24. numero 1.
„ Cauſam rectè diuidi in neceſſariam, contingentem, &
„ liberam. Neceſſariam eſſe quæ determinata eſt ex ſe ad
„ opus ſuum; Contingentem, quæ eſt impedibilis, aut
„ defectibilis; Liberam verò excelſam illam ac generoſam quæ in amplitudine paſcitur.

Ego verò argumentor in hunc modum. Vel ſumis cauſam quam diuidis ſecundùm ſe, ac præciſè à circumſtantijs

ſtantijs omnibus ad agendum prærequiſitis, vel non: ſi primum, ruit diuiſio; quia nulla eſt cauſa neceſſaria diſtincta à contingenti; nulla enim eſt ita ſumpta, quæ non ſit *impedibilis* atque adeo *contingens*. Si ſecundum, ruit iterum diuiſio; quia nulla eſt cauſa contingens diſtincta à libera; cùm nulla ſit quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis *impedibilis* ſit ne agat præter liberam. Hæc enim ſola tunc poteſt ſuſtinere ipſa ſeſe, atque impedire ne agat. Quare quocumque te vertas, vel malè diuidis, vel à te diuiſa malè exponis.

XL. Iterum ſecum pugnat hic Auctor eodem loco numero 3. vbi reiecto aliorum dicendi modo, circa intelligentiam ſenſus compoſiti & diuiſi; ſubjicit iactabundus. Nos autem longè pro veritate ac libertate fortiores, tuemur ex præiactis fundamentis, ideò neceſſitatem ſenſus compoſiti cum libertate optimè cohærere, quia, &c. libertatem non in indifferentia abſoluta ad actus, ſed in indifferentia ad obiecta collocantes. Et mox dum exponit ſuam hanc indifferentiam. Indifferentia, *inquit*, ad actus ſeruato ordine finis, durat etiam quando agimus: & hac ratione cenſet durare libertatem. Vbi vides modò negare, modo ſupponere, *indifferentiam* in qua ponitur libertas, eſſe indifferentiam ad actus.

XLI. Quod docet ib. numero 4. Neceſſitatem agendi quæ oritur ex aliqua ſuppoſitione tum antecedente tum independente à libertate noſtra non tollere libertatem: ET TALEM SVPPOSITIONEM ESSE FINEM VLTIMVM INTENTVM AB EO QVI AGIT; Deſtruit quod dixerat capite 22. numero 2. *ſuppoſitâ prædeterminatione actus*, hoc eſt in eius ſententia, *ſuppoſita intentione finis vltimi efficaci, retineri nihilominus à voluntate* POTENTIAM ALITER SE HABENDI. Sic enim argumentor.

Sicut quod dicitur neceſſariò eſſe, non habet potentiam ad non eſſe; ita manifeſtum eſt id quod dicitur neceſſario agere, non habere potentiam ad non agere. Quia neceſſarium in vniuerſum dicitur id tantùm *quod non poteſt aliter ſe habere*. Atqui *ex ſuppoſitione intentionis efficacis vltimi finis*, ſequitur eſſe neceſſarium vt voluntas agat, per

YYyy

te, cum dicis *talem ſuppoſitionem eſſe finem vltimum intentum, &c.* Ergo ex eadem ſuppoſitione ſequitur vt *non poſſit non agere*, ſeu vt *non habeat potentiam non agendi:* Ergo ex eadem ſuppoſitione habet & non habet illam potentiam, quod implicat.

XLII. Implicat & quod dicit capite 25. numero 1. Pec- » catum cognoſci à Deo futurum in definitione Dei, & de- » terminatione receptâ debiliter & imperfectè à causâ ſecundâ. Nam vel confundit *determinationem* illam cum *definitione*, quæ eſt decretum diuinæ voluntatis; vel ſumit diſtinctè pro ſua illa *intentione finis* voluntatis creatæ: Si primum, implicat futurum in ea cognoſci *vt debiliter receptâ*, quia decretum diuinum non eſt aliquid receptum in causâ ſecundâ ſeu fortiter ſeu debiliter: Si ſecundum, ſimiliter implicat in ea cognoſci futurum, quia ita Deus peteret ſuam ſcientiam ab aliquo creato, vt pote quod illi eſſet medium ad ſciendum, id quod huic Auctori vehementer diſplicet cap. 18. num. 5.

XLIII. Hic Auctor à cap. 15. ad 21. perpetuò & docet & ſupponit determinationem & præmotionem Dei neceſſariam eſſe cuicumque cauſæ ſecundæ ad quemcumque effectum poſitiuum: & tamen deinde capite 26. num. 2. concludit, *Deum non mouere ad materiale peccati*, dumque exponit ecquid tandem ſit illud *materiale*, dicit inter alia eſſe *primos motus vindictæ, concupiſcentiæ, inanis gloriæ, &c.* Mitto nouum prorſus atque inuſitatum eſſe, materiale peccati hoc vocari; nec fas eſſe vt cuiquam liceat, ſine ratione, ſine probatione, ſine cuiuſquam exemplo, vel auctoritate, viam inire docendo cæteris contrariam, ac iubere vt qui ſe ſequi velint dediſcant reliquos. Interrogo tantum num *illi motus* ſint aliquid poſitiuum in rerum natura? Num habeant cauſam efficientem? Num creatam? Num vel ipſam voluntatem ſi ſpiritales ſunt, vel appetitum ſi corporei? Nihil horum negari poteſt, niſi ab eo qui limen philoſophiæ numquam ſalutarit: eſt igitur ad illorum motuum productionem neceſſaria Dei motio ac proinde datur & non datur, ex principiis huius Auctoris, *cauſa creata producens effectum poſitiuum abſque*

præuia motione Dei. Vnde ſequitur.

XLIV. Contradictio, quæ eſt repugnantia iſtius ſententiæ cum eo quod relatum eſt ex cap. 18. num. 5. Deum cognoſcere futura tantùm in definitione ſuæ voluntatis, „ non verò in vlla ratione creata quæ ſit illi motiuum co- „ gnitionis. Quia iam negatur *eſſe vlla definitio diuinæ voluntatis circa materiale peccati*, neque tamen dici poteſt neſciri à Deo eſſe illud futurum. Ergo diuinæ voluntatis definitio eſt & non eſt adæquata ratio ſciendi futura.

XLV. Repugnat & quod dicit eodem cap. 26. num. 2. *Deum motione ſua non poſſe nos diſponere ad id quod prohibet, & à quo nos auertit*, cum eo quod ibidem addit: num. 14. *Deum mouere nos & præmouere ad actum qui malus eſt.* Perſpicuum enim eſt non ſolum malitiam actus eſſe prohibitam, ſed & ipſum quoque actum cui malitia coniuncta eſt. Non ſolum prohibitum eſt ne actus odij Dei ſit malus, ſed abſolutè ne ſit: Ergo Deus qui ad illum *præmouet*, poſtquam præmouet ad omnem qui eſt malus, *præmouet ad id quod prohibet.*

XLVI. Repugnat quod ibidem dicit num. 6. *Creaturæ vitio fieri vt determinatio Dei ad actus qui mali ſunt non ſit perfecta*; cum eo quod dictum eſt in cap. 24. num. 4. *intentionem vltimi finis efficacem*, quæ reſpectu bonorum actuum eſt ipſiſſima *determinatio perfecta*, vt ſæpe monuimus, *eſſe ſuppoſitionem antecedentem vſum libertatis, & quæ non eſt in noſtra poteſtate.* Sic enim argumentor.

Manifeſtum eſt nemini poſſe vel laudi vel vitio verti, niſi quod eſt in eius poteſtate: ſed quod determinatio perfecta, ſit, aut non ſit, non eſt in poteſtate creaturæ: ergo quod determinatio perfecta, ſit, aut non ſit, nec laudi, nec vitio creaturæ verti poteſt. Ergo vel malè aſſertum eſt *creaturæ vitio fieri vt determinatio non ſit perfecta*; vel, *hanc determinationem eſſe ſuppoſitionem antecedentem etquæ non ſit in noſtra poteſtate.*

XLVII. Implicat quod dicit cap. 28. num. 2. *Intentionem* quæ eſt determinatio cauſæ liberæ, *præſupponere naturam minimè determinatam, ſed indifferentem ad creata omnia*; *Non vero ad ipſum finem*, & quod ſubjicit, *Intentionem non deter-*

minare ad media, sed ad finem per media. Sic enim argumentor.

Intentio debet dici absolutè determinare naturam ad ea ad quæ absolutè dicitur ipsa natura esse indifferens ex se vt patet: Atqui natura in priore loco dicitur absolutè esse indifferens ex se ad *creata omnia*, quæ sunt media, *non verò ad ipsum finem.* Ergo intentio dici debet absolutè determinare naturam ad creata omnia, hoc est ad media, non verò ad finem. Quid igitur sibi volunt illæ tricæ verborum quæ sunt in posteriore loco, vel quid succi continent; *Intentionem non determinare ad media, sed ad finem per media?* num. 5.

XLVIII. Quod docet ibidem num. 4. Ideò determinationem voluntatis quæ fieret à causâ creatâ, vt v. g. ab habitu naturali, nocituram libertati, *quod alliget bono particulari*: determinationem verò Dei non nocere, *quia numquam alligat bono particulari & creato, sed finit nos semper versari summa in amplitudine*: Hoc, inquam, pugnat cum eo quod dictum est, *Deum nos mouere, imò & præmouere, & prædeterminare ad actus qui mali sunt.*

Sumo enim vnum ex his actibus, ex c. illum cui adulterij malitia coniungitur, & interrogo quodnam sit eius obiectum? Mirum sit, si putat adulteros ex amore Dei tales esse, & non potius ex affectu ad voluptatem. Quomodo igitur fieri potest, vt hominis voluntas prædeterminetur à Deo ad illum actum in particulari, & non prædeterminetur ad illam voluptatem in particulari? Et quo ergo sensu negatur *prædeterminari ad bonum particulare & creatum*? Et quomodo stabit allata distinctio, inter determinationem quæ à Deo, & determinationem quæ ab habitu?

Item interrogo, num singularis illa prædeterminatio spectet potiùs actum cui coniungitur adulterij malitia, quàm actum cui coniungitur honestas virginitatis? Si primum, dicere hominem tali prædeterminatione affectum, itaque ordinatum iam, ac respicientem adulterij obiectum tantùm, esse nihilominus solutum ab omni bono creato, & in summa versantem *amplitudine* beneficio præ-

determinationis, numquid hoc demum est *amplissimè* nugari? Si secundum, numquid perperam esse dicitur prædeterminatio ad actum cui adulterij malitia coniungitur? Sicut enim ipsa voluntatis natura; eo quòd secundum se sit capax, vel adulterij, vel castitatis, dici nequit secundum se determinata esse ad adulterium: Ita si prædeterminatio illa de qua est quæstio, sit ex se capax vt cum ea coniungatur vel castitatis votum, vel adulterij actus, ineptissimè dici potest prædeterminatio ad actum cui adulterij malitia coniungitur.

XLIX. Quod concedit cap. 29. num. 6. *Libertatem contradictionis exigi ad bonum malumque meritum*; manifestissimè pugnat cum eo quod dictum est. cap. 9. num. 5. & 6. *homines pios per interiorem occupationem circa Deum mereri & esse laude dignos, & tamen in ea nullam esse indifferentiam, siue libertatem contradictionis.*

L. Quod dicit cap. 30. num. 2. D. Augustinum lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. dum ait, Cuius Deus miseretur »
ita eum vocat quomodo scit ei congruere vt vocantem »
non respuat, *loqui* de notitia congruitatis & proportionis »
quæ inest homini respectu consensus futuri; non autem »
de notitia consensus ipsius; apertè destruit quod dictum »
est cap. 23. num. 2. Sanctum Augustinum ibidem loqui *de scientiâ mediâ*. Quia scientia media, est scientia effectus causæ secundæ futuri sub conditione, non verò dispositionis causæ ipsius, quæ est effectus Dei tantùm: Ergo vel non est intelligendus de scientiâ mediâ, vel est intelligendus de scientia, seu notitia futuri consensus. Et tamen vtrumque huic Auctori aduersatur.

LI. Quod dicit eodem cap. 30. num. 7. *Nos non habere nos passiuè ad diuinam determinationem, quod per illam attollamur supra inferiora*, præterquam quod absurda ratione nititur, pugnat omnino cum eo quod dictum est antea cap. 20. num. 5. *hominem ad intentionem finis non nisi passiuè se habere* & paulo ante num. 2. *habitudinem nostram ad finem vltimum esse passiuam non actiuam.*

LII. Eodem loco num. 8. testimonio S. Anselmi de necessitate quæ oritur ex suppositione antecedenti; Ref-

pondet primò, *concedendo huiusmodi necessitatem tollere libertatem*, quæ erat maior argumenti propositi: & *negando talem esse necessitatem quæ oritur ex diuina præmotione*, quæ erat minor; Quam solutionem putat esse Sancti Thomæ, eamque *appositissimam & ad mentem S. Anselmi.* Et tamen paulo ante in capite 24. num. 4. *Ex dictis*, inquit, *euidenter constat non omnem suppositionem antecedentem obesse libertati* (vocat autem suppositionem antecedentem, *quæ non est in nostra potestate, imò quæ anteuertit potestatem nostram*) Et mox subdit, *hoc ita perspicuum esse, vt nemo obluctari posit*, talemque suppositionem dicit esse finem vltimum intentum videlicet à nobis, itaque præmouentem nos.

Censet igitur hic Auctor *ita perspicuum esse*, necessitatem ortam ex diuina præmotione esse necessitatem ex suppositione antecedenti & indepenti à libertate nostra, neque tamen tollere libertatem, *nemo vt sit qui obluctari possit.* Et simul censet eam solutionem qua quis ita *obluctatur*, vt concedat, *suppositionem antecedentem tollere libertatem, & neget talem esse suppositionem diuinæ præmotionis*, esse *appositissimam & ad mentem Sancti Anselmi & S. Thomæ.* Quis non admiretur hominem adeò fortem, vt hoc faciat ipse, quod à *nemine fieri posse* prædicat?

LIII. Quod docet cap. 31. num. 5. Leonardum Lessium & Gabrielem Vasques primos post hominum memoriam *violare ausos esse sanctitatem eius doctrinæ* quâ constitutum est peccandi potentiam nec esse libertatem nec partem libertatis; Destruitur ab eo quod addit paulo post num. 9. *Obiectionem contra illam doctrinam petitam ex D. Dionysio cap. 9. de Cæl. hier. à nullo auctore fieri posse, tamquam suam sententiam propugnaturo*; NVLLVM ENIM ESSE QVI APERTE DEFENDAT *peccandi potentiam ad libertatem pertinere.* Si nullus hoc apertè defendit, quodnam igitur est Vasquezij & Lessij sacrilegium? Sin autem illi, quidni ab eis fieri possit illa obiectio, tamquam suam sententiam propugnaturis?

LIV. Capite 32. num. 9. & 10. Vulgatam illam definitionem potentiæ liberæ, qua dicitur, *Positis omnibus*

ad agendum prærequisitis , posse agere , vel non agere , rejicit, eo potissimum nomine, quòd particulæ istæ desint, *seruato ordine finis.* At hoc destruitur postea cap. 35. num. 1. vbi & refertur & approbatur descriptio libertatis *recepta vnanimi philosophantium consensu*, cum dicitur libertas esse *Facultas qua ad vtramque contradictionis partem conuerti queas.* Cum enim tam necessarium sit, addi huic definitioni particulas *seruato ordine finis* , quam priori; Euidens est, vel hanc non debere admitti, vel illam non debere repudiari.

LV. Quod dicit eodem cap. 35. num. 6. *Intentionem esse motum voluntatis liberiorem Electione ; & illam libertatem pertinere ad statum* , seipso destruitur. Primò quia implicat in terminis *motum* pertinere ad *statum*, hoc enim perinde est ac si diceres cæcitatem pertinere ad visum. Secundò quia negari non potest; nisi ab eo cui philosophorum lingua peregrina est, quin intentio sit actus vitalis, eo ipso postulans fieri à potentiâ vitali creatâ. Est igitur exercitium voluntatis , & aliunde dicitur libera: ergo est exercitium liberum. At *exercitium liberum* opponitur *statui libero* in istius hominis sententia?

L VI. Quod dicit in vltimo cap. num. 4. *Sibi olim accidisse vt sententiam quam impugnat ardenter amplecteretur*, clarissimè probat, esse fictitia & affectata, nec ex interno animi sensu, quæ proloquitur in præf. l. 1. se nimirum cum mente concepisset nobilissimam quandam libertatis speciem, vt pote quam & Christus, & Apostolus & SS. Patres impensè commendarent , incidisse in ,, libros quorundam recentiorum, à quibus illa adeò su- ,, blimis doctrina obscurari & attenuari visa est: *tum verò* ,, obstupuisse , ac conuersum ad vetustiores Theologos ,, deprehendisse aliam fuisse illorum sententiam. Fuit igi- ,, tur in mente huius Auctoris hæc veluti variarum tempestatum successio. Primò, tempus erat quo se decipi passus est, falsa & indigna libertatis opinione recepta. Deinde , aduenit tempus quo germanam illius imaginem animo conciperet, vt pote illuminatam perspicuis Christi Domini, Apostolorum, & Patrum testimonijs. Ter-

tiò intellexit esse recentiores quosdam qui aliter de libertate sentirent, quàm pro illius dignitate speciei quæ iam hæserat animo. At, quomodo fieri potuit vt hoc nunc primùm intelligeret, qui principiò eadem senserat quæ isti recentiores? Quartò, secutus exinde stupor, & quidem meritò; quippe res apparebat noua, cui tamen ab initio assueuerat. Denique conuersus ad antiqua scholæ Parisiensis lumina, comperit aliam fuisse illorum doctrinam. Quod & illos, *inquit*, demum sensisse obseruaui quibus magistris in eadem schola fœliciter vsus sum. Sera, Deus immortalis, obseruatio, & quæ fieri tum debuit cum magistros illos audiebat. Nec illi fœliciter docuerint, qui tanto tempore non intelligerentur. Et si hæc erat Magistrorum sententia, qui nam igitur illi sunt, qui eum initio in errorem induxerunt?

LVII. Eodem cap. num. 6. *Nefas esse* dicit *tuendæ libertatis causa obsistere diuinæ gratiæ*. Id quod nemo sanus inficiabitur. Sed aut ego valde fallor, aut ipse tribuit & meritum & laudem operi illi *nefario*. Nam cum in cap. 9. num. 6. affirmet, in ea lucta carnis & spiritus quæ perfectam conuersionem hominis ad Deum præcedit, interjici aliquam operationem nostram *& meritoriam & laudabilem*; non video quæ nam ea sit, nisi conatus quidam voluntatis in Deum nitentis, qui ab Auctore nomine *conuersionis frequentis* imperfectæ scilicet, designatur. At, de illa ipsa conuersione imperfectâ idem pronuntiat, *comparari potius ad operationem gratiæ vt obicem quàm vt partem*: Ergo qui *obicem* illum ponit, itaque *obsistit* diuinæ gratiæ, quod *nefas* est, meretur laudem.

LVIII. Eodem cap. num. 2. Fusè contendit opinionem quam oppugnat, hoc est, aduersantem physicis præmotionibus non esse amplectendam, *quamuis mira sit eius facilitas*. Quæ cogitatio sponte sua ruit. Nam cum nulla sit opinio facilis, nisi quæ paruo negotio conciliatur, & cum diuino testimonio, & cum autoritate hominum qui censendi ius habent, & cum naturali lumine rationis; (quidquid enim horum opponas difficultatem ingerit) nolle inter philosophandum sequi opinionem facilem,

facilem, quid est aliud quam velle Deo, hominibus, & ipsi demum rationi præbere se difficilem, hoc est, fieri contumacem?

Scio quasdam esse propositiones difficiles, & tamen credendas: sed postquam hæ credendæ sunt, aio difficiliores esse contrarias. Ex. c. Difficilis est creditu personarum diuinarum distinctio cum identitate naturæ, quòd pugnare videatur cum naturali ratione: at contrarium pugnat cum testimonio diuino, cuius pondus quia supra comparationem omnem maius, ideò & fortius premit, & difficultatem injicit neganti grauiorem. Quare eum qui dicit, opinionem quæ de medio tollit physicas prædeterminationes, esse *mirum quantum facilem*, neque tamen sequendam, aut aberrare necesse est, aut ad contumaciam hortari.

Iterum scio, sententiam nonnumquam aliquam apparentem habere facilitatem, veram autem difficultatem; sed sicuti quod habet tantùm auri speciem, naturam verò aurichalchi, non aurum dicitur sed aurichalchum: ita neque illa sententia facilis est dicenda, sed absolutè difficilis. Addo neque posse fallere nisi rudes atque imperitos, cum tamen non neget Auctor, neque vero negare possit, eos qui facilitate sententiæ præmotionibus contrariæ capiuntur, vt sunt quamplurimi numero ita & eruditione insignes esse.

LIX. Lib. 2. c. 3. num. 5. cuidam argumento Vasquezij respondet Auctor, Verè liberum opponi alligato, & li- »
bertatem obligationi & subiectioni; sed adhærere summo »
non esse obligationem & subiectionem. At hoc destruit »
quod dictum fuerat lib. 1. c. 1. num. 2. Libertatem dicere ordinem intrinsecum & essentialem ad finem, *& alligationem ad ipsum*, & mox, libertatem constare ordine *& subiectione immediatà ad finem vltimum.* Et cap. 22. num. 13. veram libertatem quantacumque *alligatione* ad Deum, non deteri sed augeri & illustrari.

LX. In eodem lib. 2. cap. 25. num. 16. Deus, *inquit*, nul- »
lomodo determinat ad voluntatem occidendi sumptam »
in genere moris, nisi eum cui potestatem quoque occi- »

dendi dederit. At hoc destruit quod dictum est lib. 1.
» cap. 24. num. 4. Deum mouere, imò & præmouere ad
» actus qui mali sunt, quatenus & actus sunt, ET HVMANI SVNT. Scitum enim est vel inter Theologorum nouitios, actum *humanum* non alia de causa *humanum* dici, quam quia moralitati, vt aiunt, subjicitur, vt idem omnino sit determinari ad aliquem actum quâ *humanum*, & determinari ad actum *sumptum in genere moris*.
» LXI. Ib. cap. 24. num. 2. asserit Diuinam voluntatem
» versari positiuè circa permissionem peccati: sed dari
» actum positiuum circa malum emergens, omnino nego, inquit. Hoc autem destruitur postea num. 5. Vbi dicit.
» Si quæras quod sit obiectum illius voluntatis permitten-
» tis, dicam esse ipsum malum, vt per modum medij sit bonum. Si voluntas illa permittens *positiua* est; si obiectum illius est *malum*; quomodo negas dari actum in Deo *positiuum circa malum*? Et sicut negari non potest, quin ea voluntas cuius obiectum est sanitas, quatenus seruit ad diuinam gloriam, censeatur versari circa sanitatem; & ea cuius obiectum est furtum vt necessarium ad largiendam eleëmosinam, versari circa furtum: quare negabitur illa cuius obiectum est *malum* prout est vtile ad finem diuinæ prouidentiæ, *versari circa malum*? Dicendum igitur potius erat, postquam velle permittere peccatum, nihil est aliud quam nolle impedire; obiectum illius *velle* nihil aliud esse quàm obiectum istius *nolle*, negationem scilicet gratiæ impedientis peccatum, non autem peccatum ipsum.

LXII. Hoc ipsum quod dictum est, *Diuinam voluntatem versari positiuè circa permissionem peccati tantùm*, iterum
» destruitur seq. cap. 25. num. 7. cùm ait, Non tantùm
» finit te Deus in noua peccata labi, sed etiam subjicit te
» Tyrannidi peccati, adeò vt noua peccata committas. Si
» non tantùm finit, quomodo tantùm permittit? Et si *non tantùm permittit*, quomodo dicitur eius voluntas *versari tantùm circa permissionem*?

LXIII. Eodem modo quod dictum est cap. illo 24. num. 2. *Nullum dari actum positiuum circa malum emergens*

ex permissione, postea destruitur cap. 25. num. 2. Vbi diuinum decretum circa malos actus in hunc modum concipitur. *Volo vt impius hic sua illa praua animi dispositione consilijs meis ita seruiat.* Si enim retegatur id quod latet sub illo, *ita seruiat*, nihil aliud apparebit quam, *peccando seruiat.* Hoc verò quid aliud est quàm positiuo actu velle peccatum fieri, vt seruiat diuino consilio?

LXIV. Eodem cap. 24. num. 2. Quando, *inquit*, con- „ sideras Deum versari circa permissionem mali, iam ma- „ lum à causa secunda egrediens supponis; & si aliter sapis „ desipis. Desipis inquam, si peccatum non præsupponis „ diuinæ voluntati, & si contendis peccatum nonnisi ex „ præsupposita Dei voluntate & ordinatione in creatura „ nasci. Ego verò operam dabo vt non *desipiam*, sicuti res postulat; sed interea miror quomodo hic Auctor tam citò *sapere* desierit. Siquidem statim cap. 25. numero 2. Deus, *inquit*, prædefinit & prædeterminat actus quos „ homines reprobi ex lege & impetu propriæ deprauatio- „ nis operantur. Dic age amabo te, mi Pater, expone „ nobis quî fieri possit, vt peccatum diuinæ huic voluntati *prædefinienti & prædeterminanti* actum malum *præsupponatur.* Potestne malitia *præsupponi* actui qui malus est? Et actus qui malus est, potestne *præsupponi* voluntati qua *prædefinitur*? Quomodo igitur eidem voluntati præsupponitur *malitia* seu *malum*? Iterum peto vt doceas nos, quis sit ordo inter voluntatem *prædefinientem* actum malum, & voluntatem *permittentem* malum? Num prius est Deum velle *permittere* malum, quam *prædefinire* actum qui malus est? Implicat ergo quod dicis dum supponitur permissio mali *supponi malum iam egrediens à causa secunda:* quia est impossibile *supponi malum egrediens à causa secunda* prius ratione quam intelligatur ab ea egredi actus qui malus est: & hoc non intelligitur nisi post prædefinitionem, si sit vlla. Num ergo simul sunt Deum velle permittere malum, & prædefinire actum qui malus est? Redit contradictio: quia sicuti posterior est actus malus prædefinitione, erit quoque posterior permissione, atque ita *malum* quod nulla ratione præintelligi potest actui malo;

non poterit quoque præintelligi vel prædefinitioni, vel permiſſioni, contra quàm velis. Dic ego priorem eſſe prædefinitionem actus mali, poſteriorem vero permiſſionem mali: Atqui permiſſio ea ratione ſuperflua eſt, atque etiam inepta. Poſtquam enim prædefinieris vt ſit actus malus, ridiculum eſt facultatem dare vt ſit: poſtquam etiam prædefinieris vt ſit actus, permittere vt ſit malus, ſimiliter eſt ineptum: eſſe enim non poteſt niſi malus, ex ſuppoſitione quod & prohibeatur & tamen prædefiniatur, etiam ſub ratione liberi & humani: vt ideò ſuperuacanea ſit permiſſio, & redundans. Quare quocumque te vertas à te ipſo diſſentis.

LXV. Iterum videtur hic Auctor tranſilire lineam ſapientiæ à ſe poſitam loco iam citato ex cap. 24. lib. 2. num. 2. Dum ait, *Deſipis, inquam, ſi contendis peccatum nonniſi ex ſuppoſita Dei voluntate & ordinatione in creatura naſci.* Mox enim ſubdit cap. 25. num. 11. in excæcatione & induratione, *diuinam iuſtitiam* ORDINARE, *vt ſectetur mendacium qui recuſauit obedire veritati.*

Si eſt verum diuina iuſtitia *ordinante* fieri, vt ſectetur mendacium is qui recuſauit obedire veritati, quidni ſine inſipientia dicatur *nonniſi diuina iuſtitia ordinante fieri*, vt ille miſer ſectetur mendacium: ac proinde *nonniſi diuina iuſtitia ordinante fieri* vt aliquis ſectetur peccatum? Et ſi *deſipit* qui hoc dicit, quomodo poteſt tam propè ac tam ſimilis ei eſſe, qui putat ſe ſapere?

LXVI. Cap. 22. lib. 2. num. 15. Quando petitur vtrum ſit prius in Deo, permiſſio mali, an intentio glorificandi ſe per bonum illud quod ex malo oritur; Reſpondet, „ Permiſſionem peccati ſumptam vti, debet pro volun-„ tate permittendi, coincidere cum voluntate glorifican-„ di ſeipſum, idemque iterum inſinuat cap. 24. num. 4. „ vbi dicit voluntatem glorificandi ſe, vel præſupponi à „ voluntate permittendi peccatum, vel eſſe illam ipſam.

Quæ doctrina egregiè pugnat cum eo quod ſtatim ad-„ ditur hoc poſteriore loco, Peccatum non intelligitur „ vt medium quoddam in manu Dei, niſi intelligatur per-„ mitti, ſiue niſi intelligamus Deum nolle ipſum impedire.

SVPPOSITO AVTEM QVOD PERMITTATVR, agnoſcimus voluntatem Dei poſitiuam, at non circa peccatum ipſum, ſed circa gloriam Dei vt promouendam & adaugendam peccato quod non impeditur. „

Eia, mi Doctor, Dei voluntas glorificandi ſe, coïncidit cum voluntate permittendi peccatum, ſublato prioris ac poſterioris ordine; & tamen eandem ſupponit? Ecquid hoc rei eſt, *Voluntas glorificandi ſe, vel præſupponitur vel eſt ipſa voluntas permittendi peccatum*, Et, *ſuppoſito quod permittatur peccatum, eſt in Deo voluntas glorificandi ſe?*

LXVII. Cap. 22. num. 16. Ita loquitur. Obſerua peccatum duobus modis eſſe futurum, vel abſolutè, vel quantum eſt ex vi cauſæ ſecundæ. Permiſſio porro ſicut & præſeruatio præſupponit peccatum futurum hoc ſecundo modo. *Et mox*, Quod ſpectat ad peccatum futurum primo modo *puta abſolutè*, præſupponit Deum noluiſſe creaturam prohibere ne laberetur, quod eſt, permiſiſſe. *Subdit* inde ſequi neque hominem peccaturum niſi Deus permitteret, neque Deum permiſſurum niſi homo eſſet peccaturus. „

Quâ doctrinâ nulla potuit eſſe feracior idonearum rationum ad configendum Auctorem ipſum. Germanus enim ac neceſſarius ſenſus eſt, *Deum nec velle permittere peccatum, nec velle ab eo præſeruare, niſi ſcientem peccatum ipſum futurum*; ſcientem, inquam, non *abſolutè*, ſed conditionatè; ita vt obiectum illius ſcientiæ ſit, *talem eſſe propenſionem cauſæ ſecundæ ad peccandum, vt ſi peccare permittatur, peccatura ſit.* Hæc, inquam, & germana, & neceſſaria eſt Auctoris ſententia, ſi verba eius intelligantur.

Vnde patet primò ſcientiam illam, quæ tum voluntati *permittendi*, tum voluntati *præſeruandi* à peccato neceſſariò præſupponitur, eſſe ſcientiam conditionatam; quippe cuius obiectum ſit peccatum futurum ex ſuppoſitione quod permittatur. Quid ergo ſibi vult illa concio quam habet hic homo lib. 1. capite 18. & 23. vbi tam vehementer inuehitur in eos qui dicunt huius ſcien-

tiæ vtilitatem aut necessitatem esse aliquam: postquam ipse quoque fateri tandem cogitur, *& esse illam scientiam & necessariam esse tum voluntati præseruandi à peccato, tum voluntati illud permittendi?* Et, si dicendum est, scientiæ quâ intelligitur malum sub conditione futurum, esse aliquem vsum in iis decretis quæ ad ordinem gratiæ pertinent; qua veri similitudine potest negari, vsum quoque aliquem esse eiusdem scientiæ, quâ bonum eodem modo futurum attingitur?

Secundò, si suppositio ex qua sequitur peccatum esse sub conditione futurum, inuoluit eius permissionem sub conditione ponendam, ita vt id quod scitur, sit, *Si Deus permittat talis causa secunda peccabit*; Et, si suppositio ex qua sequitur peccatum absolutè futurum, inuoluit permissionem Dei absolutè positam, ita vt quod scitur, sit *postquam Deus statuit absolutè permittere peccatum, illud est absolutè futurum*: Si res, inquam, ita habet, vti habere colligitur ex dictis huius Auctoris, & ipsa quoque veritas fert; quò pertinent verba illa quæ antea relata sunt, ex cap. 24. num. 2. vel quid continent solidæ cogitationis, „ Quando consideras Deum versari circa permissionem „ mali, iam malum à causa secunda egrediens supponis, & „ si aliter sapis desipis, desipis inquam, si peccatum non „ præsupponis diuinæ voluntati? Peccatum non est conditionaliter futurum, nisi ex suppositione permissionis conditionaliter ponendæ: nec est absolutè futurum, nisi ex suppositione permissionis absolutè positæ: & quocumque modo intelligatur futurum, eodem modo intelligitur præsupponi permissio, ex istis principiis, imò & ex veris: Et tamen, inquit, præintelligere peccato futuro voluntatem permittentem, *desipere est.* Quis ergo relinquitur sapientiæ locus? Quod si nihil aliud intendit hic Auctor, quàm permissionem absolutam futuri peccati, supponere illud esse futurum ex hypothesi quod permitteretur; rem magnam loquitur, & ingenti beneficio cumulat rempublicam Theologorum tanto enunciato mysterio. Quasi verò quisquam nescire hoc queat, vel aliquid iuuet, vt peccatum futurum imputari Deo minus possit.

Tertiò, Quando supponit Deum permittentem vt peccatum absolutè sit, *præscire peccatum esse futurum* conditionatè, id est quantum est ex vi causæ secundæ, & ex hypothesi quod ea peccare sinatur; vel supponit Deum præscire peccatum *certò*, futurum; vel esse aliquam tantum eius rei probabilitatem: si primum, Ergo est falsum quod dictum est lib. 1. cap. 23. Deum nihil aliud *certò* scire de futuris conditionatis, quam ipsius, vt ita loquar futuritionis *probabilitatem*. Si secundum, Ergo falsum quod hic dicit, cap. 24. num. 5. *posita permissione peccatum intelligi vt medium quoddam in manu Dei.* Neque enim putandum est, Dei manum sumere media, quorum existentia sit *tantum probabilis.*

LXVIII. Quod dicit cap. 25. num. 7. Deus non tantùm " sinit te in illa peccata labi, sed etiam subjicit te Tyranni- " di peccati in te regnantis, ITA VT NOVA ILLA PECCA- " TA COMMITTAS. Pugnat cum eo quod subdit paulo- " post, Deum facere vas in contumeliam, subjiciendo pec- " catorem vilitati peccati IN QVO ILLVM REPERIT NON " CONSTITVIT. num. 9. Sic enim argumentor. "

Subiectio illa actiua Dei, non *reperit* peccatorem constitutum in iis peccatis quæ sequuntur ex ipsa: Atqui noua peccata sequuntur ex ipsa per te, dum dicis *ita subjici peccatorem peccato vt noua peccata committat*, Ergo non *reperit peccatorem constitutum* in nouis illis peccatis: Ergo Deus subjicit etiam peccatis *in quibus non reperit*: Ergo inane quod dicis Deum subjicere peccatorem peccato *in quo reperit, non constituit.*

Præterea, Deum subjicere hominem peccato in quo eum reperit non constituit, est *sinere tantùm* vt peccatum committat & in eo versetur: Atqui Deus non tantùm *sinit* per te: Ergo non tantum *subjicit peccato in quo reperit*; sed etiam in quo subjiciendo *constituit.*

LXIX. Eodem cap. 25. num. 9. *Contra eos, qui dicunt Deum creare homines ad certum exitium*, *opponenda* putat *Apostoli verba, Deus vult omnes homines saluos fieri*: Sed interrogo de qua Dei voluntate interpretetur Apostolum? An de simplici & inefficaci? An de efficaci, & qua seriò

Deus nolit ſtare per ſe quominus omnes homines ſaluentur? Si primum, falſum eſt *opponenda illa verba dicentibus Deum creare homines ad certum exitium*, quia non reſiſtent eorum ſententiæ. Poteſt enim abſolutum decretum perdendi aliquem, ſtare cum voluntate ſimplici eundem ſaluandi, Vt in Chriſto, abſoluta voluntas offerendi ſe morti, cum voluntate ſimplici retinendi vitam. Si ſecundum, falſum eſt quod poſtea ſubditur, *Deum ex maſſa Adam cum omnes in ea eſſent, vnos elegiſſe, alios reieciſſe.* Quomodo enim vllos rejicit, ſi ſeriò illos iuuare velit vt inde educantur & ſalui fiant?

LXX. Aliud agenti ſeſe obtulit hæc etiam contradictio vltimo loco numeranda. Dicit hic Auctor l. 2. cap. 4. » num. 1. Deum in æternis proceſſionibus ita liberum eſſe, » vt non ſit illi liberum ſe per illas communicare aut effun- » dere: quia hoc importaret eum eſſe indifferentem, vt » per eas ſe communicet vel illas contineat. Senſus eſt, Patrem Æternum in Æterno Filio generando v. c. liberum eſſe; ſed tamen generationem illam Filij non eſſe Patri liberam. Quam doctrinam dico in primis pugnare ſecum. Quòd certiſſimum ſit & exploratum apud omnes, iſta conuerſim dici, Principium quodcumque eſſe in producendo liberum: & productionem eius eſſe liberam ipſi: nec aliud ſit productionem alicui principio eſſe liberam, quam principium eſſe liberum circa illam.

Secundò. Dico doctrinam hanc pugnare cum ea quæ tradita eſt in lib. 1. cap. 22. & 33. Nempè, prædeterminationem qua præuenta fuit Chriſti Domini, & B. Virginis & excellentiorum Sanctorum voluntas in via, non reliquiſſe facultatem abſtinendi ab actu ad quem prædeterminabantur, quod eſt abſtuliſſe indifferentiam eliciendi aut non eliciendi talem actum, neque tamen obſtitiſſe quominus liberrimum eſſet in illis virtutis exercitium. Vnde ſic argumentor. Quamuis Chriſto liberum fuerit obedire imperio Patris, non ſequitur tamen eum fuiſſe indifferentem vt contineret ſuum obſequium vel illud exhiberet per te: Ergo quamuis dicatur Æterno Patri Patri liberum, gignere Filium, non ſequetur *illum eſſe indifferentem*,

differentem, vt se per generationem *communicet, vel vt illam contineat:* contra quam hic asseris. Vel, Si esse liberum Patri gignere Filium, importet *eum esse indifferentem vt se per generationem communicet vel illam contineat:* Sequitur à pari, postquam obedire Patri fuit liberum Christo, fuisse Christum indifferentem, vt obediret vel non obediret, quod tamen negatum est prius.

Hæc habui quæ notarem sententiarum istius Auctoris dissidia ex libro sui operis primo, & vno aut altero tantùm capite secundi. Laborem vltra ne producerem materiæ vbertas copiaque, simul & proposita breuitas prohibuit. Et iam operæ istius fructus opinione mea maior extitit. putabam enim me spicilegium esse facturum: vt vides, messis fuit.





CAPVT TERTIVM.

SVPPOSITITIA.



I cui vacat huius Auctoris cum quo diſputamus probare fidem, erit opinor hac etiam in parte dequo dubitare meritò poſſit. Siue enim aliorum ſcriptorum ſuffragia repræſentat ad conciliandam opinioni ſuæ auctoritatem: ſiue recitat eorum doctrinam quos ſibi ad impugnandum propoſuit, magna facilitate alios affirmare dicit quod non affirmant; alios negare quod non negant: quin etiam interdum affirmare quod negant, & negare quod affirmant. Truncat etiam nonnumquam, & eam verborum partem omittit, quæ ſi apponerentur, longè alia legentium animis occurreret forma ſententiæ. Siue illud arte quadam induſtriâque factum eſt, ſeu more animi aliqua iam opinione occupati, qui ſibi omnia concinere vt cupit, ita & retur.

„ Ergo hic Auctor ad calcem lib. 1. veluti fidem liberaſ-
„ ſet quam in præfatione obligauerat, obtendentibus ad-
„ uerſarijs magnam eorum multitudinem quos aut ducunt
„ aut ſequuntur. In primis, *inquit*, ab illo numero eximen-
„ di, quos ſupra pro hac noſtra ſententia laudauimus, ſcho-
„ laſticæ Theologiæ proceres, D. Thomas, Scotus D. Bo-
„ nauentura, Henricus Gaudauenſis, Durandus, maioriſ-
„ que nominis philoſophi Plato, Ariſtoteles, Epictetus,
„ Seneca, Boetius; & inter Eccleſiæ patres ille qui omnium

instar esse queat in hac præsertim materia de gratia & »
libero arbitrio, D. Augustinus: quibus adde nostro sæ- »
culo Cardinalem Contarenum, & omnes D. Thomæ »
discipulos. Vbi vides, Optime Lector, ex tota theologorum republica Quinque-viros omninò sibi delegisse quorum testimonio niteretur; totidem ex omnibus philosophorum familijs: ex Patribus antiquis vnum, vnum item ex nuperis: ad extremum omnes D. Thomæ discipulos. Nolo contra numerum hunc pugnare pro maiore; libenter permitto vt sufficere videatur ad ferendam in eos sententiam qui huic Auctori resistunt, cæteris omnibus nequicquam opitulantibus.

§. I. PHILOSOPHI.

VERVM vt ordiar à philosophis, constat ex illis quinque, Platonem, Epictetum, Senecam, semel tantùm, ad summum bis toto in progressu libri fuisse productos, idque ad hanc vnam propositionem confirmandam, *Libertatem in Amplitudine sitam esse*, de qua nulla dum fuerat controuersia. Aristoteles & Boetius sæpiusculè nominantur; sed perpetuò fere in earum disceptatione quæstionum, quæ ad hanc litem non pertinent. Nam dum agitur de necessitate physicæ motionis, quæ præuia sit ad actionem agentis liberi; Quæ illius virtuti superueniat; Quæ supponat cæteras conditiones necessarias cognitionem, habitum, & si quid aliud requiri consueuit; Quæ sit independens à libertate; Quæ illam tamen ita subigat vt sit necessitas agendi, & quidem ineluctabilis, eo quòd implicet resistentiam voluntatis cum ea componi: tum verò illorum testium ne vocula quidem auditur vna. Perspicuum igitur est aliena testimonia in eorum loco supponi quæ huiusce causæ propria sunt.

Quod si res pateretur fusam earum sententiarum recitationem, quibus ijdem Auctores arbitrium voluntatis liberum à physicis prædeterminationibus esse significant; facile esset conuincere Aduersarium suis ipsius testibus. Quid enim responderet ex. c. Boetio, quem constat

a Lib de Consol. prof 5. & 6. [a] non alia ratione tueri libertatem quam repudiata omni necessitate antecedenti vsum illius, & proinde omni prædeterminatione huiusmodi necessitatem inferente? Quid Aristoteli, qui propterea negat determinatam futurorum contingentium præscientiam, [b] quod vereatur vt quæ inde sequitur necessitas, contingentiam & libertatem humanarum actionum destruat? [c] Quid cum requirit, vt aliquid censeatur esse in nostra potestate adesse potestatem non faciendi; hoc est abesse faciendi necessitatem? Quid cum in eo distinguit causam liberam à non libera, quòd quamuis hæc sit debitè applicata passo, duo tamen possit pro eodem tempore, agere scilicet, & non agere: illa hoc vnum possit, scilicet agere? [d] Nihil igitur causæ fuit cur hic Auctor philosophos illos suo adiungeret triumpho; nisi fortè voluit locum illis in hac pompa eorum assignare cum quibus pugnauisset.

b Lib de Interpr. cap 9

c L Eth. cap 5

d 9. Met. tex. 10.

§. II. SCHOLASTICI. D. BONAV. HENR. DVR.

NIHILO FIDELIVS ad hoc iudicium vocati sunt Scholastici. Nam primò ex ijs quinque quos laudat, D. Bonau. Henr. & Durand. tot in quæstionibus quot sunt agitatæ toto disputationis decursu vna tantum & altera vice locuti sunt. Henricus quidem & Durandus in cap. 6. vt confirmarent libertatem esse ponendam in *Amplitudine*. D. verò Bonau. tum hoc posteriore loco tum cap. 31. vt negaret potentiam peccandi vel esse libertatem vel eius partem. Iam verò cum hæc controuersia mille capita contineat, eos qui vni tantum & alteri conclusioni de quibus minima est controuersia testimonium dant, veluti Auctores totius doctrinæ celebrare, nonne hoc demum illudere hominibus est? Nam de *Amplitudine* num in ea ponenda sit ratio libertatis, nondum institu talis fuit, neque vt opinor instituetur deinceps. Non quòd ille philosophandi modus cuiquam probetur: sed quia postquam aliqui visum est, suas cogitationes pascere vacuis imaginibus, scholarum limâ minimè adhi-

bitâ, & spectris quibusdam philosophiæ Platonicæ ludificari: saluus sit, quis enim ei velit esse molestus? Itaque non est dubium quin tutam in *Amplitudine* illa stationem hic Doctor inuenerit, perinde velut in aliqua imaginarij spatij plaga. Sicuti enim nemo erit qui eum illuc sequatur vt adhæreat; ita neque qui quæsitum eat vt pugnet.

De fine, vtrum aliqua circa illum sit libertas; nisi quæstio est de libertate arbitrij, non disceptamus, atque ita nihil nobis officiunt adducti Theologi: si verò de illa, dicimus esse aliquam in viatoribus, in comprehensoribus nullam, quo-ad actus beatificos: & in eo Theologos illos nos sequimur, vnus ipse deserit, quo ad actus viatorum.

Quò igitur pertinet oratio illa cap. 9. num. 3. Si Authores postulas quorum suffragio ista doctrina confirmetur; en tibi D. Thomam, D. Bonau. Scotum, Henr. & Dur. Theologiæ Scholasticæ clarissima sidera, qui &c.? Ego verò, mi Doctor, nullum postulo authorem qui nobis circa finem libertatem inesse aliquam suo confirmet suffragio: neque sum ita importunus vt hoc mihi probari velim de quo nullus dubito: sed cum ea quæstio ab hac nostra prorsus aliena sit; abs te peto, ne rectos *clarissimorum siderum* radios in obliquum flectas: ne-ve testimonia quæ vni fauent opinioni traducere velis ad confirmationem alterius.

Idem esto iudicium de potentia peccandi; quam etsi negaueris esse libertatem aut partem libertatis: nihil erit Aduersario concessum quod ei sit vtile in ea causa quæ tractatur. Quod si contendat horum trium aliquo dato, *Libertatem esse in amplitudine positam: Veram libertatem circa finem nobis inesse: Potentiam peccandi nec esse libertatem nec eius partem*, cætera consequi, quæ finiendæ huic controuersiæ necessaria sunt; procul errat: neque obtinebit vnquam vt continuum ab illis principijs ad suas conclusiones filum ducere sinatur. Ex his igitur palam fit, ex quinque illis Scholasticis tres esse subducendos tanquam falso suppositos. Facilè autem esset reducere illos & præ-

determinatoribus opponere, si ea res nunc ageretur. Quid enim dicerent D. Bonauenturæ affirmanti arbitrium non esse liberum *si arctetur ad bonum*, in 2. dist. 24. dub. 3. Esse non posse *determinatum ad vnum ita vt non habeat potentiam in oppositum* ibid. *art.* 2. quæst. 3.? In hoc attendi dominium potentiæ respectu actus quod potentia possit esse in actu & ab eo cessare, *secundùm suum imperium & secundùm proprium motum.* ibid. dist. 25. quæst. 3? Prædestinationem prout est causa, *non necessariò ponere effectum*, etiam si necessariò inferat 1. dist. 40. artic. v. quæst. 1? Quid *Durando qui dicit libertatem* esse proprietatem voluntatis *quam habet respectu eorum* AD QVÆ NON NECESSITATVR *2.* dist. 24 quæst. 1. num. 7. & quæst. 3. num. 15. Libertatem arbitrij esse facultatem ad opposita, *absque necessaria determinatione ad alterum?* Sed Henrici vnum & alterum testimonium exscribendum est: tum quia nemo vnquam efficacius & apertius loqui potuit contra physicas præmotiones; tum quia continentur iisdem locis quæ ab Auctore citata sunt ad confirmandam opinionem suam, vt vel ex hoc vno intelligi possit nequaquam illum habuisse vsum aliquem certamque notitiam Auctorum quos nominabat; sed temerè casuque fortitum insignia quædam nomina, quæ operi inscriberet suo. Ita igitur loquitur Henricus. Quodlib. 3. quæst. 12. *Si autem consideretur liberum arbitrium in secundo respectu.* (Id est si comparetur cum operationibus & cum obiectis) *sic dico, quod voluntas dicitur libera, quia indifferens ad diuersa & contraria* SINE OMNI DETERMINATIONE RESTRINGENTE IPSAM AD ALTERVM EORVM. Ita iterùm. Quodlib. 12. quæst. 26. *Sic ergo voluntas seipsa per seipsam exit in actum volendi, tam finem quàm ea quæ sunt ad finem; absque omni alia dispositione seu motione existente seu præcedente in ea. Talem enim dispositionem seu motionem non requirit ad hoc quod exeat in actum volendi, neque à seipsa agente illam: neque à quocumque agente alio:* NEQVE ETIAM A DEO. Hi sunt radij *clarissimi sideris Scholæ Parisiensis*, ad cuius splendorem præmotionum necessitas Authori huic nostro refulsit.

Durandi locus qui citatur cap. 6. num. 8. deprauatus est. At ille nos *habentes conclusiuum iudicium aut electionem non necessariò tendere in eorum obiecta*, LOQVENDO DE NECESSITATE ABSOLVTA. Quæ vltima verba expuncta sunt ne obessent huic interpretationi. Quod est, *inquit* „ *Auctor*, etiam in sensu composito & supposita electione „ alicuius medij ad finem intentum, nos liberos esse circa „ tale medium. „

§. III. SCOTVS.

SCOTVS SEQVITVR, cuius tria omnino testimonia præmotionibus approbandis adhibentur: sed quod dictu mirabile est, primum illas funditus destruit. Ita enim habent quæ lib. 1. cap. 6. num. 6. ex eo referuntur in Quodl. quæst. 16. Cum libertas necessitatem com- „ patitur, tum necessitas cadit sub voluntate, sic quòd „ voluntas propter firmitatem libertatis suæ SIBI IPSI NE- „ CESSITATEM IMPONIT, & in eliciendo actum & in per- „ seuerando siue figendo se in illum. Vnde sic argumentor. „ Necessitas quam libertas compatitur cadit sub voluntate, vt Scotus censet: Necessitas quam infert prædeterminatio non cadit sub voluntate, vt aduersariorum doctrina fert: Ergo necessitas quam prædeterminatio infert, non est necessitas quam libertas compatitur, iuxta Scoti mentem. Item, voluntas imponit sibi eam necessitatem quæ cum ipsius libertate conciliatur ex Scoto: voluntas nòn imponit sibi eam necessitatem quæ sequitur ex prædeterminatione, quippe quæ dicatur esse à solo Deo: Ergo necessitas quæ sequitur ex prædeterminatione non est necessitas quæ iuxta Scotum cum libertate conciliatur.

Hic autem occurrit Doctoris nostri solutio *Deum esse omnibus omnia*: itáque Sanctis esse *formam & actum intimiorem illis intimo suo, & maximè proprium illorum bonum*: quare quam ab illo necessitatem sortiuntur, censendos imponere ipsos sibi: hoc autem est voluntatem quando à Deo in *actum figitur*, censendam figere ipsam se: quod

vnum Scotus postulat ne libertas necessitate violetur. Verum hæc dicendi ratio tolerabilis foret: si pro concione ad moniales vsurparetur; in Schola verò ad viros Theologos explicandæ quæstioni difficillimæ seriò intentos, ne proferenda quidem fuit.

Atque hinc sequitur, neque aliud Doctoris subtilis pronuntiatum, quod vnicum in hac materia proponi potest, obesse quicquam. Est autem illud quo *diuinæ voluntatis definitio dicitur esse vnica ratio diuino intellectui prænoscendi futura.* Cum enim ex dictis constet nullam à Scoto necessitatem agendi admittendam esse in libero arbitrio, nisi quæ libertati subsit, fatendum est non esse ita interpretandam *definitionem diuinæ voluntatis*, vt efficaciter & absolutè, & antecedenter, & immediatè, in ipsam futuri contingentis positionem tendat. Quomodo igitur, inquies? Non curo iam quomodo tendat, modò sciam quomodo non tendat; nempe itâ vt sequatur inde agendi necessitas à libertate independens. Perspicua enim sunt Scoti verba. Quodl. quæst. 16. *Si esset necessitas præuia ad voluntatem, & voluntas intelligeretur cadere sub necessitate* TANQVAM IMPELLENTE IN ACTVM ET FIGENTE IN ACTV; *voluntas ageretur & non ageret*, NEC STARET IN ACTV LIBERTAS. Quid apertius dici potuit contra præmotionem omnem quæ necessitatem inferat voluntati ab ipsa independentem?

Cæterum in referendo Scoti testimonio illo, Aduersarij fides aut fallit aut fallitur. Sic enim loquitur cap. 18.
» numero 5. Scotus etiam eandem doctrinam profitetur
» varijs in locis, in 2. dist. 87. qua ferè tota vt benè obser-
» uat Guillelmus Estius acerrimus eiusdem sententiæ pro-
» pugnator & vindex, supponit tamquam rem confessam &
» indubitatam voluntatem creatam determinari à diuina,
» soluitque argumenta quæ in contrarium adduci possunt,
» & ostendit absurda in quæ labuntur oppositæ sententiæ
» deffensores: quæ ad duo præsertim capita reuocat, sci-
» licet Deum nisi voluntates nostras determinet neque
» fore Omniscium neque fore Omnipotentem, &c.

Estij-ne an Aduersarij sit hoc peccatum non liquet; certum

certum eſt tamen ſuppoſititium eſſe quod Scoto attribuitur. Et vt omittam citari diſtinctionem 87. quæ eſt 43. poſt vltimam, fuiſſeque potius numerandam 37. quantum conjicere licet ex duabus illis rationibus de Omniſcientia & Omnipotentia, Falſum eſt primò Scotum *in tota fere diſtinctione illa ſupponere* voluntatem creatam determinari à diuina. Hoc enim in nulla eius parte *ſupponit*, nedum in *tota fere*. Falſum eſt 2. ſoluere argumenta quæ in contrarium adduci poſſent: quia nullum ſoluit: & ne quæſtionem quidem illam mouet. Falſum eſt 3. ex contraria ſententia deduci à Scoto Deum non fore *Omniſcium*, neque *Omnipotentem*. Quia hoc tantum deducit ex ea ſententia quæ aſſerit *voluntatem creatam eſſe totalem cauſam illius actus qui peccato ſubſternitur, negatque, Deum immediatè cooperari:* quam etiam ſolam refutat. Vnde ſequitur, *Magno illi lumini ſæculi noſtri*, vt iſte Doctor loquitur. Eſtio ſcilicet, cuius hæc eſſe fertur interpretatio, Scotum fuiſſe obſcurum; hoc eſt ſui nominis Auctorem.

Tertium Scoti teſtimonium proponitur cap. 18. cit. „ num. 9. in hunc modum. Idem Scotus, *inquit*, in 4 dict. „ 49. quæſt. 6. dub. 1. affirmat fore contra naturam & li- „ bertatem voluntatis creatæ ſi ab habitu ſibi in-hærente „ determinetur, non autem ſi à cauſa priori & ſuperiori „ cuiuſmodi eſt voluntas diuina: Et ib. docet, poſito quod „ cauſa ſuperior puta voluntas diuina voluntates noſtras „ determinet, eas tamen æquè manſuras eſſe cauſas con- „ tingentes. „

In hoc etiam teſtimonio referendo multa peccantur. Nam primò conſtat Scotum agere de illa determinatione voluntatis quam experiuntur Beati circa perpetuum Dei ac ſuæ beatitudinis amorem; quam cenſet ſtare poſſe cum libertate contradictionis & exercitij, repugnantibus, non ſolum ijs qui phyſicas prædeterminationes rejiciunt; ſed & omnibus Thomiſtis, & hoc ipſo Auctore, qui Scotum objicit. Vnde obſeruanda eſt obſeruatio illius ſane lepida, cum ſubdit, Vbi aduerte quod „ dicit (*Scotus*) manſuras eſſe cauſas (*creatas*) contingen- „

» tes atque adeò liberas libertate peccatorum, quæ de-
» fectibilitatem admixtam habet. Quasi diceret, vbi aduerte, Scotum dicere quod ego non credo imò quod ego falsum esse contendo, qui tamen hoc testimonio tanquam veraci vti volo. Sed quo iure poscis, mi Doctor, vt sit locus auctoritati apud nos, cui tute nullum relinquis? Secundò. Esto tamen habenda sit fides Scoto, nec enim facilè negari debet tanto viro. Nihilominus tamen cum ea determinatio voluntatis à causa superiore cum qua retineri putat arbitrij libertatem eiusmodi esse à te dicatur, vt *ea posita* voluntas creata *æquè mansura sit causa contingens*; hoc nostræ opinioni non incommodat: tuæ non opitulatur. Si enim verum est creatam voluntatem *posita* determinatione illa esse *causam contingentem*; verum etiam est ex suppositione talis determinationis non contrahere agendi necessitatem: cum constet necessitate agendi nihil esse quod magis aduersetur contingentiæ agentis. Quòd si non nascitur inde agendi necessitas, sequitur determinationem huiusmodi nec eam esse quam nos aduersamur, nec eam quam ipse intendis. Tertiò. Sed
» neque hoc ipsum verum est, Scotum docere, posito quòd
» voluntas diuina nostras voluntates determinet, æquè
» mansuras esse causas contingentes. Docet enim tantùm,
» superesse adhuc aliqualem contingentiam: & paulo ante
» docuit, numquam causam secundam præuentam à causa
» superiori, agente ad vnum oppositorum, posse, poten-
» tia propinqua, exire in aliud oppositum. Quod si causa secunda sub illa determinatione Dei antecedente, atque independente à voluntate, non est *proximè* potens tendere in oppositum eius ad quod determinatur: consequenter nec est *proximè* contingens in agendo: Ergo agendi contingentia, & consequenter libertas eius *remota* solùm est: Ergo non est *æquè contingens*, ac si non esset illa determinatio vt Auctor volebat. Quartò. Scotus apertè significat ea ratione philosophandi non satis exponi quomodo stet in beatis libertas amoris cum determinatione ad amandum, & ideò aliam statim solutionem subijcit, *Aliter*, inquit, *potest dici, &c.* Atque hoc poste-

riori dicendi modo tamquam probabiliore vtitur deinde sequenti dubio. Ambiguum ergo testimonium suppositum est pro certo. Addo egregiè corruptam ab eo esse aliam Scoti sententiam cap. 28. lib. 1. num. 5. dum ait illum 4. sent. dist. 49. dub. 1. vbi censet obesse libertati si voluntas determinetur à causa superiore, intelligendum de habitibus acquisitis & naturalibus, non verò de supernaturalibus & infusis. Atqui est manifestum Scotum loqui potissimùm de his. Nam & quæstio id postulat, quæ est tantùm de libertate quam inesse putat amori beatifico: & postquam docuit ex habitu gloriæ oriri in beatis necessitatem secundum quid, non oriri verò ex habitu charitatis, concludit tandem. Non est ergo contra naturam eius *(voluntatis liberæ)* quòd determinetur à causa superiori; hoc est quòd non sit contra naturam eius oppositum agere: sed esset contra naturam eius determinari ab habitu siue à natura inferiori. Quasi diceret, determinationem primæ causæ stare posse cum libertate, quòd eâ non inferatur agendi necessitas: non posse autem ita stare determinationem ab habitu etiam infuso, propter contrariam rationem.

Ex his liquet & irrito conatu & fide parum sincera laboratum, vt Scotus in partes prædeterminantium traheretur: cùm constet ne stetisse quidem medium in hoc dissidio. Nam primò iam audiuimus *nullam* ipso sanciente *imponendam agenti libero necessitatem agendi quæ non sit in potestate voluntatis*. Secundò, *Deo ad vnum oppositorum determinante*, absolutè scilicet & merè antecedenter & efficaciter, tolli proximam non agendi potentiam. Tertiò. 2. sen. dist. 37. quæst. vn. §. *ad solutionem istorum*, loquens de concursu causæ primæ cum secunda, admittit *habere illas ordinem secundùm perfectius & imperfectius causare*; *non tamen habere prioritatem naturæ in causando*: eoque principio vtitur vt neget Deum esse causam peccati. Quid igitur fiet præuio influxu in causam secundam? Quartò. Negat ib. intelligi posse in peccato omissionis, *subtractionem vllam causæ prioris, propter cuius defectum non possit voluntas rectè agere.* Non magis ergo *subtrahitur* præde-

terminatio ei qui omittit actum, quem debet elicere; quam ei qui non omittit, & proinde non magis est in vno quam in alio. Quintò. En vt Scotus profligat omnem liberi agentis prædeterminationem. 2. sent. dist. 25. quæst.
,, vn. §. *dico ergo ad quæst. vbi dicit.* Necessarium esse vt id
,, quod contingenter & euitabiliter euenit, eueniat à causa
,, indeterminata ad alterutrum oppositorum. Si enim sit
,, determinata, effectum non posse pro isto instanti pro
,, quo est sic determinata euenire contingenter.

Eódem pertinet id quod habet in 1. sent. dist. 39. §.
,, Quantum ad primam, Potentiam causæ liberæ, esse ad
,, oppositum eius quod causat SINE SVCCESSIONE. Et,
,, Actum primum consideratum in eo instanti in quo est
,, prior naturaliter actu secundo; ita ponere illum in esse
,, tamquam effectum suum contingentem., quòd vt prior
,, naturaliter posset æquè ponere aliud oppositum in esse. In contraria sententia, vt potentia libera possit oppositum eius quod causat, an non opportet vt prædeterminatio prædeterminationi succedat? Ac proinde potestne causare oppositum *sine successione*? Et, si actus primus vt prior actu secundo potest æquè ponere oppositum eius quod causat, potest-ne vllam includere prædeterminationem cum qua componi nequeat vel actus vel non actus? Cum ergo hi sint præcipui totius controuersiæ nodi; quibus solutis nulla deinceps altercatio superesse possit; liquidum est, si quidem vlla sit in hoc iudicio Scoti auctoritas, vt certè debet esse plurima, litem nobis adiudicari. Quodsi percurram alia pleraque principia huiusce Doctoris propria Scoto verò aduersantia; vt circa doctrinam de actibus indifferentibus, de potentia peccandi an sit à Deo, de eadem an sit pars libertatis, de libertate intentionis finis de conceptu libertatis exposito per nudam indifferentiam agendi & non agendi, &c. non obscura erit suspicio quæ verebitur, ne Scotus nupero defensori præmotionum nomine tantùm fuerit cognitus; quando illius arbitrio totius doctriuæ suæ commisit approbationem. Sed D. Thomas aurem vellit.

§. IV. S. THOMAS.

IN inuestiganda sententia D. Thomæ circa necessitatem physicarum præmotionum, sola prolixitas metuenda est: Actum agam si velim operi huic adlaborare, cum præsto sint recentes à Typographo commentarij eorum qui huic officio cumulatè satisfecerunt. Moneo tantùm tria.

Primum est. S. Thomam ne nominasse quidem vnquam *præmotionem* vel *prædeterminationem physicam*. Ad consequentias tantùm ex quibusdam illius principijs lis vniuersa reducitur. In quibus si propiùs aduertas, inuenies ex indefinito antecedente certum & determinatum deduci consequens. v. g. dicit. S. Thomas. *Causam secundam etiam liberam, non agere nisi motam à prima.* Ergo, inquiunt, *admitti debet specialis motio, superaddita tum productioni, tum conseruationi virtutis actiuæ, tum eius positioni in omnibus circumstantijs ad agendum requisitis*: nego consequentiam. Item *Ergo debet admitti motio præuia & distincta realiter ab operatione causæ secundæ*: iterum nego. Item. *Ergo debet admitti ea motio, qua voluntas creata subjiciatur, itaque impellatur ad agendum vt ab ea minimè pendeat vel quod motio existat, vel quod sit infallibiliter efficax.* Rursus nego. Item *Ergo debet admitti ea motio qua talis ac tanta inuehatur agendi necessitas, vt sit impossibile voluntati efficere: vt cum ea simul existat τὸ non agere.* Semper nego. Atque harum & similium illationum vt probetur non dico necessitas, sed vel saltem veri-similitudo, & iam pridem expectatur, & olim etiam expectabitur.

Secundum est, multa esse. S. Thomæ placita quæ necesse sit in contraria sententia, vel eludi, vel sperni, vel rejici. Et primò S. Thomas 1. p. quæst. 14. art. 13. ad secundum, dicit, ideò necessarium esse vt si Deus aliquid sciuit futurum, illud sit, *quia omne quod est, quando est, necesse est esse*: quod est S. Thomam credere illam necessitatem oriri tantùm ex suppositione consequente rei existentiam, siue vt idem loquitur in suis ad Boëtium com-

mentarijs, esse necessitatem *quam faciat ipsa rei præsentia* è contrario, prædeterminantes dicunt eam necessitatem sequi ex suppositione antecedenti rei existentiam, scilicet ex prædeterminatione.

Secundò. ibid. quæst. 19. art. 8. concludit S. Thomas diuinam voluntatem quibusdam volitis imponere necessitatem, ***non autem omnibus***, *videlicet ijs quæ procedunt à causis secundis liberis.* Atqui necessitas imponitur à Deo etiam hisce causis, si est vlla prædeterminatio. Nec satisfacit quod respondent, hanc esse necessitatem *ex suppositione*, non autem *absolutam.* Vel enim intelligunt suppositionem antecedentem & pendentem à Deo; vel consequentem & pendentem à libertate causæ secundæ: Si primum, eadem est ratio necessitatis impositæ causis necessarijs, & causis liberis. quæ enim imponitur causis necessarijs pendet ex suppositione diuinæ voluntatis: si secundum, ergo iuxta S. Thomam diuina voluntas non determinat antecedenter ad omnem vsum libertatis. Eodem modo rejicitur quod alij respondent, necessitatem impositam voluntati per prædeterminationem esse tantùm *conditionatam.* Quia vel intelligunt conditionem à voluntate pendentem, vel à Deo tantum: si primum, ergo vsus libertatis aliquis est prior prædeterminationis existentia; si secundum, ergo similis est hæc necessitas illi quæ imponitur naturalibus causis, debetque respectu voluntatis vocari *absoluta* potius quam *conditionata.* Alij dicunt hanc esse tantùm *necessitatem infallibilitatis*, ideóque non obesse libertati. Quod perinde est ac si dicerent esse viridem & non coccineam, & ideò compati libertatem. Quid enim hæc iuuant si est & insuperabilis &independens à voluntate? Alij dicunt hanc esse necessitatem quæ impellit voluntatem ad agendum conformiter ad suam naturam, hoc est ad agendum liberè. Quòd est, esse necessitatem quæ impellit ad agendum sine impulsu necessitatis, quod implicat.

Tertiò. S. Thomas 1. p. quæst. 42. art. 2. docet. In „ voluntarijs agentibus effectum esse posteriorem suo prin- „ cipio: non quòd illi aliquid desit ad agendum necessa-

rium : neque quòd effectus sit successiuus : sed propter „
electionem : quia vt eligit effectum, ita & tempus in quo „
illum ponat. At non eo modo generari verbum à Patre. „
In contraria sententia manifestum est, effectum agentis voluntarij numquam suspendi, ac proinde numquam *tali agente posteriorem esse effectum*, quin desit prædeterminatio : & consequenter *quin desit aliquid necessarium ad ponendum huiusmodi effectum*, contra S. Thomam. Item, cum τὸ, *non agere*, non possit componi cum eo quod est, *agens esse prædeterminatum*, fieri non potest vt ista duo non sint semper simul tempore, *agens voluntarium esse prædeterminatum ad agendum, & existere illius effectum* : cùm tamen S. Thomas dicat fieri posse vt effectus sit posterior tempore. Atque hinc sequitur aliud quod est valde notatu dignum. Scilicet, cum S. Thomas tanquam propriam agentis voluntarij, hoc est liberi, differentiam hanc proponat. Quòd tametsi nihil desit necessarium ad agendum, possit tamen esse prius tempore quam effectus; si quis illud agens ita definiat, Agens liberũ est quod „
etsi habeat omnia quæ requiruntur ad agendum potest ni- „
hilominus agere vel non agere, sequitur inquam, afferre „
illum ipsissimam S. Thomæ definitionem. In quo autem differt hæc alia, *Agens liberum est quod positis omnibus ad agendum necessarijs potest agere & non agere*, quam iste Auctor ludibrio habet, omniumque possibilium pessimam prope vocat ? Quartò. S. Doctor primâ secundæ quæst. 10. art. 4. sic loquitur, *Quia voluntas est actiuum principium, non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa ; sic Deus ipsam mouet quòd non ex necessitate ad vnum determinat : sed remanet motus eius contingens, & non necessarius*. Age, numquid in contraria sententia Deus *ita mouet* voluntatem vt *etiam determinet* ? Numquid implicat eam determinari ad vtrumque oppositorum ? ac proinde numquid *ad vnum tantùm* determinat ? Numquid & *tantà necessitate* determinat ad illud vnum, vt sit impossibile voluntati componere cum illa necessitate alterum ? Numquid ex suppositione prædeterminationis, fieri dicitur *necessarius* voluntatis motus ? quomodo ergo

remanet *contingens*? Et quæ ratio tuendæ auctoritatis S. Thomæ sincerè philosophantibus? Idem in quæst. 3. de poten. art 7. ad 13 & 2. sent. dist. 25. quæst. 1. ad tertium.

Quintò. 3. con. Gen. cap. 73. docet S. Thomas, *Cum in alijs rebus contingentia oriatur ex imperfectione & defectu: in voluntate tamen prouenire ex perfectione & potestate quam habet producendi hunc vel illum effectum.* Sensus est, cùm quòd ignis v. g. non semper faciat quod aliquando facit, oriatur ex imperfectione ipsius & aliquo defectu rei necessariæ ad agendum; tamen quòd homo non semper faciat quod aliquando facit, non oriri necessariò ex vllo defectu; sed ex ipsius perfectione & potentia, quam habet ad vtrumlibet. At numquid hoc quoque oritur ex defectu prædeterminationis iuxta contrariam doctrinam?

Sextò. In commentarijs ad lib. primum de interpret. cap. 9. necessitatem illam qua dicitur, contingens quando est necessariò esse, in hoc tantùm principio fundari significat, *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Atqui est & aliud in quo fundetur, nisi falsa est contraria sententia: nempè, *Impossibile est prædeterminationi ad aliquem effectum coëxistere* negationem, seu non esse eiusdem effectus. Hæc & alia id genus plurima occurrunt apud S. Thomam, quæ conuincunt illum in hac disputatione stare à nobis totum.

Tertium, quod moneo est, S. Thomam à defensore præmotionum fide parùm sincera citatum esse. Et primò, cap. 6. num. 2. abutitur ea propositione quâ dictum est; 1. p. quæst. 82. art. 1. *necessitatem naturalem non auferre libertatem.* Adducitur enim in eum finem, vt neque Beati negentur esse in amando liberi, quantumuis suspendere non possint exercitium amoris, neque viatores, etiamsi eâdem impotentiâ laborent vt ipse putat. At verò quod dictum est à S. Thoma *potest benè & malè intelligi*, vt loquitur Caietanus in eum locum: malè, si sensus sit necessitatem exercitij non auferre libertatem: benè, si hoc intelligatur de necessitate specificationis. Atque ita nihil inde

inde sequitur, vel pro libertate Beatorum in amando Deo: vel pro libertate viatorum, nisi necessitas amoris continuo exercendi reijciatur.

Secundò. Ib. num. 5. deprauatur alius locus S. Thomæ ex 1. 2. quæst. 13. ar. ad secundum vbi dicit, Principia ex quibus deducuntur conclusiones circa contingentia quæ à nobis fieri possunt, non esse necessaria *absolutè*, sed solùm *ex conditione, vt si currit mouetur*, quæ est necessitas consequens. Et ideò censet electionem esse liberam, quia etiam tum cùm vnicum medium eligibile occurrit, principium ex quo necessariò sequitur illud eligendum esse, necessarium est illâ tantùm necessitate. Nempe vult S. Thomas ex suppositione tantùm quod intendatur aliquis finis, esse necessarium eligere hoc medium quod vnicum est: & quia liberum est finem intendere, non esse proinde necessarium eligere hoc medium, nisi necessitate consequente vsum libertatis. Hæc est germana S. Thomæ verissimaque sententia: quam Auctor iste absque alia vlla ratione, sed quia ita placet & commodum est, sic interpretatur vt dicat, principium illud *conditionatè* tantùm necessarium, ex quo electio necessariò deducitur, hoc esse, *Quod Deus decreuit facere, necesse est. Quod principium*, inquit, *necessarium tantùm est ex suppositione diuinæ ordinationis*. Vbi vides id quod dictum est à S. Thoma de necessitate dependente à libertate nostra, transferri ad eam necessitatem quæ dependet à solo Deo: & suppositionem consequentem, vt, *si currit mouetur*, in antecedentem mutari, *si Deus hoc decreuit necesse est facere*.

Tertiò, cap. nono num. 7. D. Thomæ tribuitur quòd *expresse* docuerit, *conuersionem nostram fieri à Deo in nobis sine nobis*. Iam monstrauimus contrarium à D. Thoma *expressè* doceri vel illo ipso loco, qui designatur ab Aduersario.

Quartò. Cap. 16. num. 3. Deus, *inquit*, vult nobis bonum simpliciter quod est ipse: inde nascitur in nobis, desiderium Dei, tamquam impressio à primo volente, vt habet S. Doctor 1. p. q. 103. art. 3. & 3. con. gen. cap. 67. „

Iste Auctor suas cogitationes vbique legit. Illius *desiderij Dei* apud S. Thomam nulla vsquàm mentio.

Quintò Cap. 17. num. 2. ait S. Thomam 3. con. gent.
„ cap. 66. in quarto argumento, distinguere complemen-
„ tum virtutis à virtute agentis secundi & innuere creatu-
„ ram tum accipere complementum virtutis, quando agit
„ in virtute agentis primi. Ne apex quidem est apud S. Thomam, quo id *innuatur*. Item num. 3. affirmat S. Thomam docere ibidem *causas 2. non ponere suos effectus in esse, nisi vt ad id determinantur & mouentur à Deo*. Iterum falsò. Nullum verbum ea de re. Imò ratione tertia dicit causas secundas esse *determinantes & particulantes* actionem primi agentis.

Sextò. Eodem capite 17. num. 6. Postquam retulit sententiam S. Thomæ 3. con. gen. cap. 88. Vbi dicit Vo-
„ luntatem nostram nonnisi ab eo qui condidit moueri
„ posse efficienter sine violentia; *Subdit*. Vnde sequitur, si
„ ego qua ego me moueam; motum illum fore aliquan-
„ tisper violentum. Sed hoc est palam abuti testimonio S. Thomæ; qui eò loci excludit tantùm à motu voluntatis agentia extrinseca omnia præter Deum: vt constat vel ex ipso capitis argumento, quod est huiusmodi, Quod substantiæ separatæ creatæ non possunt esse causa directè electionum voluntatum nostrarum. Quod ergo à D. Thoma concluditur, *Deum solum, ex omnibus causis extrinsecis, causare posse nostras electiones sine violentia*, perinde proponit iste Auctor, quasi comprehenderetur inter illas causas *quæ non possunt causare sine violentia*, ipsa quoque voluntas; vel ipse homo cuius est voluntas. Peruersè admodum. Vt verò tegat hunc dolum, Platonem de more vocat in subsidium: & affert illud, *hominem in Deo spectatum esse ipsummet ipsum*; in se autem, esse *ipsum alterum*. Verum hæc & id genus alia Platonicorum oculiferia, idonea quidem sunt suspendendis imperitorum animis, at non erudiendis.

Septimò. Cap. 19. num. 1. vt probet præmotionis necessitatem, argumentationem ponit quam esse dicit *totam* D. Thomæ de creat. quæst. 3. art. 7. Huius autem

argumentationis maior propositio est, Nullum agens „
constituere posse suum effectum in certa specie, nisi PRÆ- „
MOTVM à causa quæ respicit totam speciem: neque in „
certa ratione entis, nisi PRÆVENTVM & PRÆMOTVM à „
causa quæ est fons & origo totius entis. „
Sed apertum est apud S. Thomam nullam fieri mentionem *præuentionis aut præmotionis*.

Octauò. Cap. 21. num. 1. D. Thomam de malo quæst. 3. art. 2. dicere ait Motionem causæ liberæ & rationalis, „
quæ vocatur præmotio, quæque anteuertit deliberatio- „
nem nostram: neque sequitur determinationem volun- „
tatis; sed antecedit & infert illam; inæqualiter recipi pro „
inæquali dispositione causæ secundæ. Hoc verò falsum „
est, nullum enim est signum quòd de illa motione loquatur S. Thomas, *quæ vocatur præmotio quæque anteuertit, &c.* Quinimò significat potius se loqui de motione identificata motioni qua ipsa etiam causa secunda mouet se. Primò Quia comparat illam cum motu qui à cœlo causatur in corporibus animatis quæ se ipsa quoque mouent. Secundò. Quia subjicit post illam comparationem, Sic ergo dicendum, quod cum Deus sit primum princi- „
pium motionis omnium; quædam sic mouentur ab ipso, „
quòd etiam ipsa seipsa mouent, sicut quæ habent liberum „
arbitrium. Nota, *sic mouentur quod etiam ipsa seipsa mouent.* Hoc enim est, sic mouentur, quod Deus non est totale & adæquatum motionis principium per exclusionem cooperationis ipsorum. Mitto alia pleraque. Ex his enim satis patet non esse metuendum vt hic Auctor laboret probationum penuria; cum constet testimonia queis suam opinionem confirmet; facile apud optimos quosque Auctores aut inuenire illum, aut facere.

§. V. THOMISTÆ.

POST S. Thomam sibi quoque blanditur iste Auctor de suffragio vt ipse putat *omnium eius discipulorum.* Capite 36. num. 3. Neque dubium est quin tantæ ac tam eruditæ familiæ communia suffragia plurimum &

fiant & fieri debeant. Mihi tamen persuasum est inanem esse illius spem, neque vllam hinc approbationem expectari posse. Primò. Quia iam ita significatum est ab aliquibus Thomistis & quidem physicarum præmotionum amantibus; quibus noua hæc philosophandi ratio tota displicet. Secundò. Quia quamuis in speciem videatur illis gratificari assumpto præmotionum patrocinio; re tamen ipsa beneficij sui gratiam corrumpit, dum quæstionem vniuersam ad propria quædam principia reuocat, itáque tacito iudicio significat, hactenus ignorasse Thomistas, quæ tandem esset legitima ratio conciliandæ libertatis cum diuinis motionibus. Ecquando impetrabit vt schola illa pateat hisce pronuntiatis? Amplitudinem esse veluti proprium libertatis characterem; neque aliud impedire quo minus liberi simus, quam quod impedit ne versemur summa in amplitudine: Non aliam esse prædeterminationem causæ liberæ quàm intentionem finis: Ad intentionem huiusmodi, voluntatem nonnisi passiuè se habere: Hanc præmotionem interdum esse inefficacem: Esse interdum æqualem quoad entitatem in ijs duobus quorum alter consentit alter non consentit: Prædeterminationem propriè sumptam distingui à præmotione: Eandem absumere aliquando potentiam non consentiendi, saluâ libertate arbitrij: In explicanda huiusmodi libertate satis esse, si pro illo quidem tempore quo aliquid est in ordine finis, sit potentia illud prosequendi, & pro alio tantùm tempore quo idem erit extra ordinem illum, sit potentia respuendi: Post diem iudicij nullam fore in beatis libertatem exercitij: Nos non esse propriè dominos actuum nostrorum sed obiectorum potius: quare quorum obiectorum non habemus dominium; nec habere nos dominium actuum quibus illa attinguntur: non subesse igitur dominio libertatis amorem Dei; quippe neque ipsum Deum: Materiale peccati esse motus primos concupiscentiæ, vindictæ & similes, non autem actum qui malus est: alia id genus sexcenta sparsim habentur? Quando inquam obtinebit vt ita philosophantem *discipuli omnes* S. Thomæ admittant? Tertiò. Qui



fieri poteſt vt huius Doctoris opinionem Thomiſtæ *omnes* approbent; cum ne ipſorum quidem *omnium* opinio vna ſit? Antiquiores enim ea ſenſiſſe ac docuiſſe, quæ ſtare non poſſunt cum phyſicis prædeterminationibus, probatu facile eſt. Certè Dominicus Bannes ad quæſt. 19. art. 9. ex prima par. diſſimulare non poteſt animi ſui dolorem, cum videt Cardinalem Caietanum Thomiſtarum facile principem repudiare illas ad art. 8. eius quæſt. Eſt enim clariſſima illius ſententia id quod dicitur, cauſam ſecundam moueri à prima, intelligendum, NON DE MOTIONE PRÆVIA, ſed de motione intrinſecè cooperatiua „ propriæ actioni. Et ſenſum eſſe puerilem, ſi quis putet „ eſſe aliquam durationem naturæ, in cuius primo inſtanti „ cauſa prima reſpiciat effectum, & in ſecundo cauſa ſe- „ cunda: Quod ergo dicitur cauſam primam prius agere „ interpretandum QVOAD INDEPENDENTIAM, ET INTIMITATEM tantum. Quid apertius dici potuit contra phyſicas præmotiones? Similia leguntur apud Capreolum, Conradum, Soncinnatem & alios. Dominicum Soto repugnauiſſe prædeterminantibus in Concilio Tridentino, refert hiſtoria Concilij lib. 2. Cuius Auctor quamuis luxata ſit fide; qui tamen hominem norunt, numquam adducentur vt credant illum à Ieſuitis inire gratiam voluiſſe. Dominicus Bannes & Didacus Aluares acriter pugnant pro prædeterminationibus: nec quiſquam maiore animo ſorbuit difficultates omnes quæ illam doctrinam conſequuntur. Sed horum auſteritas alijs diſplicuit eiuſdem Scholæ Theologis, qui probare non poſſunt quod ab ijs dictum eſt circa prædefinitionem & prædeterminationem malorum actuum. Ita Gonzales 1. p. diſp. 59. ſect. 2. vbi ſignificat in eo ſibi minus probari *Reuerendiſſimum Aluarem* & Nazarius ib. quæſt. 22. art. 4. controu. 3. eos qui ſic philoſophantur ſibi videri dicit *minus dignè de Deo ſentire*. Et ſuperioribus annis cum hæc quæſtio agitaretur Toloſæ in generalibus comitijs ordinis S. Dominici, obtendereturque Banneſij & Didaci auctoritas pro prædeterminatione ad actus malos; ſignificatum eſt ab ijs qui poſitiones ea de re propugnabant,

opinionem illam non videri huic tempori consentaneam. Rursus cum alij passim doceant, necessariam esse præmotionem illam bonis saltem actibus exercendis; Blasius Verdun in relect. de Aux. concl. 12. probabilius putat opus moraliter bonum ordinis naturalis fieri posse sine præuia determinatione speciali: sed satis esse generalem concursum simultaneum: itáque sensisse magistrum suum. Denique Thomistæ quidam Salmanticenses quos impugnat Gonzales loc. cit. disp. 58. sect. 2. & disp. 75. sect. 3. negant prædeterminationem ad actus supernaturales ita esse antecedentem, vt omnino sit independens à libertate, prout hactenus fuerat creditum: sed putant consensum voluntatis sic esse cum illa comparandum, quomodo in eadem Schola comparatur actus contritionis cum habitu gratiæ dum quis iustificatur à peccato extra Sacramentum. Addo nostra memoria propugnatas Auenione theses quibus negabantur physicæ præmotiones causarum liberarum: idque coram Prouinciali & Inquisitore fidei atque ipso totius Prouinciæ Capitulo.

Quæ cum ita sint, ego non video quò spectet huiusce Theologi votum illud quod est in Epistola ad summum Pontificem, *vt eo Præside ac Magistro Ecclesiæ, veritas hæc dilucescat.* Nam si doctrinam suam sanciri cupit auctoritate Pontificia; rem magnam postulat: cùm sit necessarium eodem fulmine peti & Thomistas & Iesuitas, & omnes Ecclesiæ Catholicæ scholas alterutri parti iam addictas. Sin autem optat ferri sententiam in gratiam Thomistarum sibi malè precatur: cùm ob diuersitatem sententiarum, approbatio illorum, ipsius condemnatio futura sit. Adde liquere iam ex dictis, nihil in hac controuersia definiri posse pro præmotionibus, quo non etiam Thomistarum aliqui feriantur.

§. VI. SORBONICI.

„ DENIQVE in præfatione lib. 1. de consensu scholæ Parisiensis gloriatur. In ea enim plurimos etiam-

num modo acerrimos eiusdem doctrinæ vindices se præ- „
bere; vt proinde ad hanc litem dirimendam nequaquam „
necesse sit Academiæ huius limitibus egredi. Ibi albes- „
cere veritatem, ibi iucundissimum eius splendorem illu- „
cescere. Quæ si Constantinopoli scriberentur aut Alexandriæ Ægypti, tolerari vtcumque potuissent: nunc verò quis ferat edita esse Parisijs, vbi nemo non experitur esse falsa? Nam quod ante aliquot annos scribebat Iosephus à S. Ioseph Cisterciensis, alienos esse à physicis prædeterminationibus Sorbonicos *omnes* Professores, adeò perseuerat; vt ex illis sex qui quotidie ad Sorbonam docent, nullus eam opinionem approbet: Et anno superiori cum ad pileum Baccalaurei supra quadraginta pararentur, duo tantùm inuenti sint, qui causam prædeterminantium susciperent. En vbi *albescant* præmotiones huic Doctori, vbi *iucundissimus* earum splendor illucescat. Hinc verò patescit, morbo illum oculorum teneri & quidem periculoso. Quod ex eo etiam liquet, quia cum loco cit. inter Sorbonicos Doctores quorum suffragia prætexit, eos potissimum Magistros commendet, quibus *se fœliciter vsum* gloriatur, & rursus cap. 36. num. 3. nominet Philippum Gamachæum, *splendidissimum Sorbonæ lumen, Præceptorem suum, cui plurimum debeat*; perspicuum tamen est, ex operibus huius Doctoris in lucem editis, ipsum quoque prædeterminationibus infensum esse. Neque fieri aliter potuit vt Sorbona sibi constaret, essetque consentiens hodierna pristinæ. Siquidem olim ea definiuit quæ cum physicis præmotionibus stare nequeunt, vt facile comperiet qui excusserit ea quæ addita sunt ad 4. sent. Est igitur nostra hæc, & propria quædam gloria in hac disputatione, quòd Sorbonam sequimur Scholarum cæterarum parentem.

§. VII. S. AVGVSTINVS ET CONTARENVS.

NIHILO VERIORA sunt quæ iactat S. August. & Cardinalis Contareni suffragia. Et vt ordiar ab

eo qui propior est, non possum satis mirari quomodo huiusce Cardinalis purpura tegi putauerit doctrinam suam vniuersam, quem ne nominare quidem vnquam potuit nisi cum probaret *libertatem in Amplitudine sitam esse.* Hoc igitur est *stare libertatem exercitij cum necessitate antecedente?* Hoc est, *prædeterminatione facultatis aboleri potentiam dissentiendi libertate illæsa manente?* Hoc est, *nefarios homines à Deo præueniri vt committant actus qui cœlo terraque detestabiles sunt, quatenus actus sunt, & quatenus liberi, & quatenus humani?* Hoc est, *voluntatem efficaci gratia excitatam non posse cum illa coniungere resistentiam suam & dissensum?* Ita sensit, quicumque dixit libertatem sonare *amplitudinem* aliquam? O miram mentis illius *amplitudinem* in qua res adeò absurdæ locum inueniunt!

Restat vt de S. Augustino dicamus aliquid; de cuius auctoritate quæ proloquutus est iste Doctor, si eò spectabant vt commendaretur tanti viri nomen: exigua fuerunt: sin autem vt præsidium quæreretur physicis præmotionibus, inania. Hanc enim doctrinam qui melius callent, quique S. Aug. familiares sunt, numquam adduci poterunt vt eas illi aliquando venisse in mentem suspicentur, ne dormienti quidem. Quamobrem mihi nequaquam probatur opinio quæ insignes aliquot viros obtinuit, D. Augustinum dum Pelagianos & Semipelagianos hæreticos vehementius insectatur, tanto impetu recessisse ab eorum placitis, vt difficile fuerit eius orationem in æquilibrio semper stare: sed videri nonnumquam iniquiorem libero arbitrio. Ita significarunt duo maxima superiori sæculo Ecclesiæ Gallicanæ ornamenta, Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis in Epist. ad Carolum nonum quam editioni Origenis ann. 1574. præfixit, & Claudius de Xaintes Episcopus Ebroicensis in libello Atheismorum Caluini. Ita Ecclesiæ Lusitanæ alterum lumen Hieronymus Osorius Syluensis Episcopus lib. 9. de Iustitia. Ita rursus Italicæ alterum Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus in cap. 5. Epist. ad Rom. Ita propugnaculum Germanicæ Albertus ghius lib. 3. de libero Arbitrio. Ita demum Ecclesiæ Romanæ

Romanæ princeps, ordinis S. Dominici decus, & aquila discipulorum S. Thomæ Cardinalis Caietanus ad quæst. 70. primæ p. art. 3. atque hunc fuisse sensum eorum qui suo tempore in *Scholis regnabant Theologicis* docet Erasmus præf. in S. Hilarium: & consentiunt Doctores Parisienses qui adornarunt editionem operum D. Augustini ann. 1571. apud Guillelmum Merlin & Sebastianum Niuellium. Hanc ego, inquam, cogitationem non approbo, neque vtor facultate quam insinuat Cœlestinus Papa in Epist. ad Episcopos Galliæ, discedendi ab Augustino in quibusdam quæstionibus *profundioribus*, & *difficilioribus*, vt est inquit Baronius an. 431. num. 185. quæstio de prædestinatione, quod in ijs quamcumque partem aliquis sequatur, nihil tamen Pelagio concessurus sit, retentâ semper internæ gratiæ necessitate ad omnia salutis opera. Subeo legem à Suare latam to. 1. de Gra. prol. 6. cap. 8. vbi censet, Prudenti Theologo amplectendum quidquid Augustinus in hac materia tanquam certum & ad fidei dogmata pertinens affirmarit. Neque permittam modò; sed petam etiam, vt ex huius S. Patris arbitrio lis tota pendeat. Nempe vbi diuinæ gratiæ interius mouentis necessitatem admiseris ad omnia prorsus opera quæ ad vitam æternam positiuè conducunt; itemque illius quæ dicitur efficax infallibilitatem in eliciendo voluntatis consensu, cognitam ipsi Deo priusquam aliquid statuat de nobis; nihil erit quod S. Aug. præterea requirat.

Nec aliud quidquam significant testimonia ex illo afferri solita: sed detorquentur arte quadam industriaque aduersariorum in argumenta physicarum prædeterminationum: itaque fiunt supposititia. Exempla facilè peti possunt ex ijs locis ex quibus hic Doctor opinionis suæ fundamenta trahere conatus est: nihil enim aliud inde retulit vnquam, quam quæ iam dixi; vt facile experietur qui cap. 22. & 23. lib. 1. volet excutere diligentius.

Sed non possum non indicare nonnulla in quibus S. August. auctoritas religiosius haberi poterat. Et primò.

Effatum illud quod est in Epist. 89. & per omnes fere paginas ab hoc Auctore voluitur; numquam debuit ab eo proponi: quòd præter ipsum nemo alius sit qui eius veritati repugnet. Ita verò habet. Voluntas libera tan-
» to liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quan-
» to diuinæ gratiæ misericordiæque subiectior. Ideò au-
» tem proponitur, vt obtineatur auctore Augustino, nullam esse necessitatem adhærendi Deo qua libertas voluntatis opprimatur.

At interrogo de qua libertate interpretari velit Augustinum? An de illa quam vocat *status*; an de illa quæ propriè constituit liberum arbitrium? Si primum, nihil ad hanc rem: quia nemo nostrum de eo disputat: sed neque etiam Augustinus, vt pote qui eo loco premit Pelagianos solam arbitrij libertatem opponentes necessitati diuinæ gratiæ. Si secundum, quare ipse huic testimonio resistit, quando non modò in cœlo vbi *subiectissima est diuinæ gratiæ* Beatorum voluntas; sed hîc etiam vbi proximè ad illam *subiectionem* accceditur, per *internam viatorum occupationem circa Deum*, libertatem arbitrij seu contradictionis esse vllam solus negat?

Secundò. loco proximum est quod cap. 4. num. 3. infert ex duobus locis S. August.: in quibus vtriusque libertatis, & bonæ qua quis dicitur à peccato liber iustitiæ autem seruus: & malæ, qua liber quis efficitur à iustitia & seruus peccati, argumentum petit à delectatione, quæ tum bonam tum malam operationem comitatur. Ait autem, *hinc elici libertatem animi voluntatisque amplitudine constare.* Optimè id quidem *elicitur*: & vide quàm sit apta & cohærens ista sequela, *Delectatio est argumentum libertatis: Ergo libertas amplitudine constat.* Eam tamen probat hoc assumpto principio, *Delectationem esse amplitudinis atque immensitatis cuiusdam indicium:* quod principium in brutis quæ maximis interdum delectationibus titillantur, constat esse falsissimum.

Tertiò. Eodem vitio laborat quod ib. num. 4. infert ex lib. 3. de Libero Arb. c. 5. vbi docet Angelos beatos habere libertatem ad vtrumlibet, quos tamen constat

non posse peccare. Infert autem , *Libertatem illam in amplitudine positam esse*, in *Amplitudine inquam diuinæ maiestatis*. Quid erit huic Doctori difficile ad probandum qui talia ex talibus inferat?

Quartò. Quæ referuntur eodem cap. 4. ex lib. de Correp. & Gr. cap. 11. Ex Ench. capite 105. Ex 22. de Ciu. cap. 30. sententiam huius Auctoris impugnant. Quia certissimum est , inibi agi de libertate arbitrij propriè dicta; & asseri mansuram in statu beatitudinis cum impotentia peccandi : quòd hic Theologus negat hoc ipso loco num. 4. Vt verbis vtar Scholasticis, S. Aug. in illis locis censet cum necessitate quoad specificationem , qua excluditur potestas malè agendi , stare libertatem quoad exercitium, quæ includit tantùm potentiam suspendendi quemlibet actum bonum : & hoc modo liberum fore putat Beatorum arbitrium; quod negat iste Auctor cum dicit , Indifferentiam agendi & non agendi , seruato ,, etiam ordine finis, non fore perpetuam vt videre est in ,, beatis.

Latet etiam alia fraus in vsu horum locorum; quia quod S. Aug. significat, perseueraturam libertatem arbitrij cum immutabilitate status ac necessitate, perinde accipitur, quasi posset perseuerare cum immutabilitate ac necessitate singulorum actuum: quod perquam alienum est à mente S. Aug.

Quintò. Capite 8. refertur ea doctrina quam tradit S. Aug. lib. 5. de Ciu. cap. 10. cuius hæc esse videtur genuina prorsus intelligentia, si quis eam paulò diligentiùs expenderit. Quærit S. Doctor vtrum voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas: & respondet necessitatem esse duplicem. Prima est illa *quæ non est in nostra potestate, & subjicit nos etiam retinentes*, *vt est necessitas moriendi*. Secunda est quæcumque alia *secundùm quam dicimus necesse est vt hoc sit vel fiat*. Prima libertatem aufert: Secunda, *non est cur timeamus* inquit, *ne etiam auferat*. Non quòd in vniuersum omnis istiusmodi necessitas libertatem compatiatur , alioqui liber sit appetitus brutorum; sed quòd non omnis ei repugnet, aut talis sit, vt id quod

ea ratione dicitur necessarium, dicendum quoque sit *subjici necessitati.* Quod duobus exemplis ostendit. Primum petitur à vita & præscientia Dei: quam etsi necessarium sit esse, non ideò tamen *ponitur sub necessitate.* Est igitur hic necessitas sine subiectione: at non continuò sequitur vt sit cum libertate. Secundum exemplum petitur à nostris voluntatibus. Quamuis enim verè dicamus, *necesse est vt cùm volumus libero velimus arbitrio*: non ideò ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ auferat libertatem. Itaque reperitur hic necessitas, & sine subiectione vt in priori exemplo: & præterea cum libertate. Ex his concludit, necessitate illa quæ oritur ex præscientia futurorum, non adimi libertatem: quippe cùm non aliter necessarium sit vt contingat id quod præscitum est futurum; quàm quo modo necessarium est *vt cum volumus libero velimus arbitrio.* Neque enim ideò peccare hominem quia Deus peccaturum præsciuit: *Sed quia non fatum, non fortunam non aliquid aliud*, ex quo sequi possit peccandi necessitas: *sed ipsum peccaturum præsciuit.* Atque hac summa colligitur doctrina quæ toto illo capite traditur.

In qua referenda & interpretanda quinquies peccatum est ab hoc Theologo. Primò. Quia supponit tanquam ex mente S. August. secundam necessitatem in vniuersum omnem, cum libertate coniungi: ac proinde censet liberam esse Dei vitam. Secundò. Quia definit eandem necessitatem vocandam esse necessitatem im-
„ mutabilitatis. Altera, *inquit*, necessitas est quam non no-
„ minat ipse, *(quasi vero nominauerit primam)* nos vocare
„ possumus immutabilitatis. Sed quo auctore, mi Pater, & quo iure? Ego verò intercedo: neque tibi fas esse volo, vt ita voces. Hac igitur arte vtendum fuit, vt tamquam ex Augustino crederetur *necessitas immutabilitatis* aliqua esse, quæ quidem cadat in ipsum actum voluntatis, & tamen stare simul possit cum libertate arbitrij.
Tertiò. Pergit nihilominus, & ex loco illo hæc recitat:
„ Deus non ideò minùs liber, imò liberior, si non potest
„ non præscire omnia & semper viuere. Quæ verba tam

non sunt apud Augustinum quam neque apud Hesiodum. Quartò. Inter actiones quas S. Augustinum significasse dicit liberas esse cum necessitate immutabilitatis, numerat generationem Æterni Filij, quæ ne nominatur quidem in tota illa disputatione. Quintò. Asserit S. Aug. toto illo capite & superiori, docere præscientiam non obstare libertati : præscientiæ autem nomine non intelligi nudam prænotionem; sed & prouidentiam præscientiâ priorem : nec qualemcumque prouidentiam; sed eam, Perquam Deus voluntates nostras sibi subjicit & ,, inclinat quò vult; ita vt quod facturæ sunt omnino fa- ,, cturæ sint, nec res aliter euenire queat : quod sonat im- ,, mutabilitatem, & tamen non adimit libertatem, sed dat ,, potiùs. Lector Optime, tuam fidem! Satis magnum piaculum fuerat tribuere huiusmodi doctrinam Augustino silenti, quid si etiam contraria pronuntianti? Si de præscientia loqueretur quæ talem prouidentiam inuoluit, negaret-ne *ideò peccare hominem, quia Deus illum peccaturum præsciuit*? Assereret-ne ideò peccare, quia Deus non præsciuit fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum? An non præsciuit aliquid aliud ex quo sequeretur præscientia peccati, si præsciuit prouidentiam illam suam qua *subjiceret sibi voluntates nostras & inclinaret quò vult, ita vt res aliter euenire nequeat*? Iterùm peto à te, mi Doctor, num adhuc perstes in ea sententia, censeasque omnino præscientiâ futuri peccati priorem esse prouidentiam, qua Deus peccantis voluntatem inclinet quò vult? Si quò vult Deus inclinat voluntatem peccantis, *ita vt res aliter euenire nequeat*, quomodo facies vt peccatum in eius qui commisit potestate fuerit? Si non præscit futurum nisi ad quod priùs *inclinauerit* prouidentia; quomodo negabis inclinasse ad peccatum quod præscitum est? Cui autem displicere possint Lutheri & Caluini blasphemiæ, Si hæc illi doctrina placuerit?

Sextò. Cap.30.num.5.&6.Negat,S.Aug.12.de Ciu.cap. 6. Vbi quærit vnde fiat vt ex duobus hominibus æqualiter tentatis, æqualiterque adiutis à Deo ad resistendum

tentationi, vnus consentiat alter non consentiat, soluere integram quæstionem, aut etiam proponere: quærere quidem causam cur vnus succumbat eamque reddere, dum ait illum vinci quia voluit deficere à castitate; Sed,
„ *inquit*, causam quòd iste noluerit deficere non explicat
„ hoc loco, vbi id non agebat; sed causam mali sciscitabatur. Videamus ergo vtrum S. Aug. *sciscitetur* tantùm causam mali. Et 1. quidem occurrit capitis argumentum ini-
„ tio inscriptum in hunc modum. Quæ causa sit beatitudi-
„ nis Angelorum beatorum: & quæ causa sit miseriæ Ange-
„ lorum malorum. En vt *causam mali tantùm sciscitatur*. 2. Propositis duobus illis æqualiter affectis, adiutis, tentatis, *Quid*, inquit, *putamus esse causæ vt in illo fiat*, IN ILLO NON FIAT *voluntas mala*: quod est, *sciscitari causam boni*. Quæstionem autem soluit omnibus pensatis in hunc modum. *Quid aliud apparet quàm vnum voluisse*. (Aduersarius sistere hic vellet Augustinum, sed pergit) *alterum noluisse à castitate deficere*? Quibus verbis clarissimè docet tum illius lapsum, tum istius perseuerantiam in castitate, adscribendam esse libero arbitrio; non tamen ita vt in eo quoque non sint potiores partes diuinæ gratiæ. Sed huiusmodi quodam artificio vtendum fuit; ne foret necessarium confiteri physicam prædeterminationem incognitam fuisse S. Augustino: quando posuit *æqualiter adiutos* esse, tum illum qui deficit: tum illum qui perseuerat.

§. VIII. ADVERSARII.

IN PROPONENDIS opinionibus eorum qui physicas præmotiones amoliuntur, eodem fidei tenore procedit is qui tuendas suscepit, quo in afferendis Auctorum suorum testimonijs.

Et primò, quæ ipsi sequi videntur ex eorum principijs absurda, pro concessis more quodam sumere solet. Ac tum demum zelo veritatis inflammatus, instat oportunè, importunè, arguit, obsecrat, increpat; quæcumque denique sunt Apostoli vota & munia Episcopi In præf. lib. 1. Confictam *à nobis dicit* eam libertatem, quæ Deo

propemodùm aduersetur, quasi iugum eius indignata. »
Eam quæ cum gratiâ non conueniat? Eam, quæ sine »
peccato intelligi vix queat: Eam, quâ Christum vt liber »
sit minus subiectum esse Patri oporteat: Tenuem & ma- »
cilentam: Ieiunam & euanidam potestatem ad ea quæ »
Dei ordine non continentur, prout fors tulerit, excur- »
rendi: Eam demum quæ vbi ad Deum per gloriam re- »
ducitur, euanescat & nulla sit. *Tum verò*, Obstupui pro- »
fectò homines sapientissimos & doctissimos tam magni- »
ficè tamque diligenter NIHIL dixisse &c. Vide quid »
simile cap. 1. num 5. Vbi etiam hortatur ad virtutem. »
Audiant, *inquit*, ac cum profundissima sui demissione »
ausultent eum qui vnus est Magister noster Christum &c. »

Item capite 18. Vbi de scientia media, num. 7. Precor, *inquit*, attendant, se perinde de homine finitæ ac limi- » tatæ virtutis ita de Deo loqui. Item capite 23. Vbi de » scientia media iterum. Atque hoc loco expedit omnia rhetorum tela in eos qui Deum vti putant eâ scientiâ in gubernandis hominibus. Qui estis vos, *inquit*, qui iu- » dicatis Deum? Limites illi ponitis quos præterire ne- » queat? Cui similem fecistis altissimum aut cui adæqua- » stis eum? &c. *Item capite vltimo num.* 4. Nec latere eos » potuit in suâ sententiâ gratiam ad quam potissimùm at- » tendendum fuerat supponi naturæ non præponi non » mediocri creatoris iniuriâ &c. *Et deinde num. 6. Quid* » *absurdius quàm gratiam quia nos subjicit Deo, libertati oppo- ni; ideòque si libertatem conseruare vt fas est velimus; gratiæ quod nefas, obsistendum esse? Quid magis paradoxum quàm libertatem solam interire nostro ad Deum regressu, & nullam Beatis in cœlo libertatem superesse? Quid magis ridiculum quàm libertatem esse solùm ad actus futuros quandiu futuri sunt, & nos quando liberè agimus omnis esse libertatis exortes? Quid magis intolerandum quàm Deum bona illa opera quæ præcipit aut consulit, suadere quidem posse: dare autem reuera non posse? Suasor est & ordinator & remunerator bonorum operum: at si hos Doctores sequimur; nec auctor est, nec esse potest.* Pater mi, videris mihi creare monstra, vt possis Herculem agere. Errores illos qui à te deducuntur; ex eâ doctrinâ

quam impugnas esse connexos, nec admisere aliquando qui eam defendunt: neque tu vnquam probaueris. Concitari autem in peccata fortasse numquam futura cum tot obsideare præsentibus, risu an commiseratione dignius est?

SECVNDO speciatim queritur ex descriptione liberi arbitrij quam ait traditam esse à S. Thoma 1. p. quæst. 62. art. 8. ad tertium, elisas esse particulas illas, *seruato ordine finis*, nempe dum dicunt absolutè, *Liberum arbitrium esse potentiam agendi & non agendi*: vel *Libertatem arbitrij sitam esse in indifferentia ad agendum & non agendum.* Vult enim vtrobique addi, *seruato ordine finis* Et
» miror, *inquit, cap. 12. num. 1.* recentiores istud vel non
» obseruasse, vel si obseruauerint adeò parum curasse: quin-
» imò particulam illam à definitione liberi arbitrij, tam
» studiosè abstulisse. *Et capite 1. num. 5.* Non possum satis
» mirari recentiores quosdam tam ægrè ferre in descrip-
» tione libertatis nostræ, subiectionem illam ad Deum &
» quibuscumque possunt artibus submouere illam. Hinc illi questus, libertatem induci à nobis quæ Deo propemodum aduersetur, indignata iugum illius: Quæ Dei dominium ferre nequeat: Quæ conseruari non possit nisi resistat diuinæ gratiæ &c. Difficile est recensere quam multa hic Theologus peccet in hac sua obseruatione critica.

Et primò. Statuit veluti necessarium fundamentum, liberi arbitrij descriptionem à recentioribus vsurpari solitam, ex D. Thoma esse desumptam. Cuius rei nullam habet coniecturam. Quidni enim ex Aristotele 3. Eth. cap. 5. & 9. Met. tex. 10. Vbi absolutè significat *Libertatem esse potestatem agendi & non agendi*? Quidni ex D. Damasceno
» 2. de fide capite 26. vbi definit. Ea in nobis esse quorum
» sumus liberam adepti potestatem facere & non facere,
» vt mentiri & non mentiri: gaudere in quibus par est &
» non gaudere: similiter & in quibus minimè decet? Hæc enim exempla inter alia subjicit, itaque limitationem tollit de seruando ordine finis. Quidni ex Theologorum

magistro

magistro 2. sent. dist. 24. Vbi tradit definitionem libertatis similiter illimitatam dum ait, *Liberum arbitrium dici liberum quantùm ad voluntatem quæ ad vtrumlibet flecti potest*? Mitto vtrumque S. Thomæ magistrum Albertum Magnum. 2. p. quæst. 91. memb. 1. & Alexandrum Alensem. 1. p. quæst. 26. memb. 4. art. 3. Mitto eiusdem condiscipulum D. Bonauenturam 2. sent. dist. 25. quæst. 3. aliosque innumeros qui liberam exhibent libertatis definitionem ab illa restrictione, *seruato ordine finis*: & quæro ab isto Theologo, quare id quod prostabat apud tam multos; ex vna S. Thomæ officina sumpsisse nos iubeat?

Secundò. Sumenda fuerit ex D. Tho. libertatis descriptio: at quare potiùs ex loco iam designato vbi hoc non agitur, cùm sit quæstio tantùm, vtrum Angelus Beatus peccare possit; quàm ex quæst. 6. de malo, quæ est de *Electione humana*: vbi in corpore art. nudè pronuntiat *voluntatem indeterminatè se habere ad multa; & vt talem à Deo moueri non ex necessitate*? Hoc enim dicere est absolutè *Libertatem esse potentiam ad vtrumlibet scilicet agere vel non agere*. Quare potiùs quam ex quæst. 83. 1. p. quæ est de lib. Arb. vbi Art. 1. Libertatem hominis in eo ponit. *Quod homo ex proprio cognoscendi modo, circa particularia operabilia sit potens in diuersa ferri*? Aut ex art. 2. Vbi præcisè docet, *Liberum arbitrium indifferenter se habere ad benè vel malè eligendum*? Aut ex 3. Vbi pariter in eo tantùm ponit libertatem arbitrij, *Quod possimus vnum recipere alio recusato*? Quare potiùs quàm ex prima secundæ quæst. 13. art. 6. cui titulus est *Vtrum homo ex necessitate eligat an liberè*? Et respondet *hominem non eligere ex necessitate*, rationem autem esse, *Quia possibile illi est eligere vel non eligere*; esse autem hoc possibile *eo quod homo possit velle & non velle, agere & non agere, velle etiam hoc aut illud*? Quare inquam, putat hic Doctor Libertatis definitionem in vno illo angulo articuli 8. quæst. sexagesimæ secundæ, primæ par. quæ est tantùm de perfectione Angelorum in esse gratiæ & gloriæ, tanquam in scrinio quodam esse reconditam, potiùs quàm expli-

catam in alijs in quibus de hac ipſa re inſtituebatur quæſtio; vt præuaricatio quædam ſit particulas illas, *ſeruato ordine finis*, ſemel tantùm adhibitos à D. Thoma, centies omiſſas, non adhibere ſemper? An eſt æquum obiurgari eos qui malunt exemplum petere philoſophandi ex eo quod ſæpe factitatum à S. Doctore comperitur, quàm ex eo quod ſemel ab illo vſurpatum eſt, idque in loco non ſuo?

Tertiò. Sed eſto. Demus ex loco illo ſolo eruendam fuiſſe rationem libertatis. At, cur potiùs ex ſolutione tertij, quàm ex ſolutione ſecundi? Lubet enim alterum cum altero locum conferre. Ad ſecundum ita loquitur. Virtutes rationales ſe habent ad oppoſita in illis ad quæ non ordinantur naturaliter. *Senſus eſt vt conſtat ex cor-* » *pore art.* Virtutes rationales poſſunt elicere oppoſi- » tos actus circa quodcumque obiectum exceptis Deo » clare viſo & communi ratione boni. *Ad tertium.* Quòd » liberum arbitrium diuerſa eligere poſſit, ſeruato ordine » finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis: ſed quòd » eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad » defectum libertatis. Hic, inquis, definitur libertas arbitrij: imò, inquam, illic. Et vide ne maius ſit mihi ius ita ſentiendi. Definitiones enim ſunt rerum vniuerſarum, quæ præciſæ ſunt à quolibet ſtatu particulari, ac proinde tum à perfectione tum à defectu qui exinde naſcitur: nec quiſquam exiſtimaret definitam eſſe naturam animalis ab eo qui diceret, *Quòd animal vti poſſit quinque ſenſibus, hoc pertinet ad eius perfectionem: ſed quòd vtatur tantùm duobus, hoc pertinet ad defectum.* Non eſt ergo definita libertas vbi dictum eſt, *pertinere ad eius perfectionem quòd non poſsit diuertere ab ordine finis*, vt in beatis, *ad defectum verò quòd poſsit*, vt in viatoribus. Nempe libertas ad ſtatum beatitudinis prouecta perfectiſſima eſt; citra illum ſtatum minùs perfecta. Quo igitur pacto illam definies prout eſt vtrique ſtatui communis? Certè ita vt in eius ratione non ſumatur vel illa perfectio quæ contingit ipſi coniunctæ cum beatitudine, vel ille defectus qui ſequitur ſeparatam. Hoc autem dico factum eſſe potiùs in

ſolutione ſecundi quàm tertij, vt conſtat.

Quartò. Hic Auctor non negat liberum arbitrium in Deo eſſe: fatetur etiam tunc non eſſe limitatam illius potentiam conditione illa *ſeruato ordine finis*. cap. 1. num. 5. & alias ſæpè. Denique ſignificat agnoſcere ſe communem quandam rationem libertatis, quæ tum Deo tum creaturis conueniat. cap. 6. num. 11. & cap. 7. num. 4. & 5. Definiat ergo quæ tandem ſit notio liberi arbitrij creato & increato communis: & cùm ſe in omnes partes verterit, nihil occurret niſi, *Liberum arbitrium eſſe potentiam agendi & non agendi* præciſè. Nam ſi adderet, *ſeruato ordine finis*, non conueniret Deo vt ipſemet concedit: ſi diceret eſſe potentiam *abſolutam* ab omni ſubordinatione, non conueniret creaturæ. Vnde igitur didicit recentiores qui libertatem arbitrij definiunt, non definire communem illam? Et quare carpit quod ipſe imitari cogitur?

Quintò. Dum quoſdam recentiores reos facit deprauatæ deſcriptionis Liberi arbitrij, bis fallitur. 1. Quia quoſdam tantùm accuſat, cum omnes debeat. 2. Quia recentiores ſolùm, cùm antiquiores quoque in eodem ſint crimine. Nego enim penes ipſum eſſe, vel vno exemplo probare Arbitrij Libertatem in vniuerſum ſeu medijs ſeu infimis temporibus ita expoſitam eſſe, vt fieret mentio de *ſeruando finis ordine*. Quâ ſententiâ cum comprehendantur etiam diſcipuli atque interpretes D. Thomæ manifeſtum eſt à nemine creditum, deſcriptionem libertatis aſſignatam eſſe loco illo qui eſt deſignatus ab hoc Auctore. Intempeſtiuam igitur criticam exercuit in recentiores; & veluti eximiam obſeruationem protulit illam, quam ſolus cæterorum omnium contemptus facit ſingularem.

Sextò. Dum commentitium illud crimen recentiorum admiſſum eſſe interpretatur in contemptum diuini dominij ac ſupremæ poteſtatis, quaſi libertatem adamauerint *Deo propemodùm aduerſantem, iugum eius indignatam principio & fini non obnoxiam, &c.* Dum inquam patitur ſe huiuſmodi ſuſpicionibus infeſtari, latiſſimè aberrat.

Nemo illorum quos petit hæc calumnia dubitauit aliquando, quin præceptum & obligatio standi semper intra ordinem finis perpetua sit. Sed putant cum necessitate præcepti quæ tantùm *moralis* est, coniunctam esse in viatoribus potentiam physicam transgrediendi: esse autem tum libertatem tum meritum in eo *qui potuit transgredi & non est transgressus*, vel ipso Auctore Deo. In beatis vtramque necessitatem agnoscunt non diuertendi ab ordine finis: sed simul fieri putant vt singuli eorum actus, vno aut altero tantùm excepto, ita exerceantur, vt neutra illarum necessitatum impediat quo minus suspendi possint, itáque dicunt esse liberos. Atque hoc est quod S. Thom. expressit 1. p. quæst. 19. art. 10. cum dicit.
» Impossibile est quòd Deus velit malum culpæ: & tamen
» ad opposita se habet, in quantum potest velle hoc esse
» vel non esse sicut & nos non peccando possumus velle
» sedere, & non sedere. Vides vt agnoscit cum necessitate omnimoda non peccandi, libertatem faciendi hoc vel illud? hoc ipsum sentiunt illi quos hic Auctor laudat capite 33. lib. 1. num. 13. Rectissima igitur doctrina, eaque communissima, sed non satis animo comprehensa, causam omnem præbuit iniquæ suspicioni.

TERTIÒ. In ea quæst. quæ tractatur capite 13. Vtrum detur actus indifferens in indiuiduo, 1. Recentioribus tantùm attribuit affirmantem opinionem. Atqui eadem etiam est S. Bonauenturæ & Scoti, quos iste Auctor se & secuturum promittit & sequutum iactat. Est etiam Okami, Gabrielis, Almaini, Angesti & aliorum complurium, vt sciunt ij quibus illi Auctores familiares sunt.

Secundò. Vtitur verborum ambitu quodam sicuti
„ esset impietatem aliquam annuntiaturus. Recentiores,
„ *inquit*, nonnulli, SAPIENTIAM ET PIETATEM PROFESSI,
„ doctrinam hanc D. Thomæ & ex ipsis sapientiæ fontibus
„ liquidissimè manantem, ET PIETATI adeò mirificè con-
„ sentientem, impacto isto ariete, SED VERÈ STRAMINEO
„ labefactare sibi videntur, &c. *Et mox*, Tantine vero est

argumentatio ista, vt propterea VENERANDA D. THOMÆ DOCTRINA DESERI debuerit? Tantine vero est, mi Pater, tua erga sanctos religio, vt in gratiam D. Thomæ impetere audeas D. Bonauenturam, quasi verò non habuerit rationem *sapientiæ ac pietatis* quam *profitebatur*?

Tertiò. Ex principijs huius opinionis fingit homines ita dispositos vt dicant, Video mihi ô Deus à te esse quòd vestibus corpus contego, quòd accedendo ad ignem frigus depello, quòd comedo, quòd bibo, & cætera huiusmodi vitæ subsidia & solatia: nec tamen ea tibi dedico, sed mihi indulgeo, &c. *Tum verò*. Quem satis validum obicem opponere possunt huic vt sic loquar ABSVRDORVM TORRENTI? Torrentem vocas mi Doctor, vide ne stillæ tantùm sint, quibus ne mediocria quidem ingenia madefiant. Fortè etiam elementa commutas, & aquam dicis quod ventus est. Nemo illorum quos impugnas, tam inurbana, tamque inepta narratione Deum detinet: cùm vel inter homines ipsos, apud eum à quo accepisti quamplurima beneficia, inofficiosa sit atque intempestiua commemoratio eorum quæ præstare non debeas, aut nolis erga illum. Vis igitur audire quid Deo narrent quibus hæc opinio probabilior visa est? In hunc modum loquuntnr. Video tibi ô Deus, tantam esse in me atque in res omnes creatas potestatem, vt ius etiam sit præcipiendi quod libuerit, & nobis necessitudo incumbat opere præstandi quidquid à te fuerit imperatum. Sed quæ tua bonitas est, cum vetare possis ne sit vllus liber nostræ voluntatis motus, qui non dirigatur in bonum aut diuinum prorsus, aut certè honestum; hoc tamen infirmitati hominum condonas, vt possit aliquis esse, qui sistat in naturali commodo, quando illud turpe non est. Quid quæso in tali quadam oratione occurrit indignum ijs hominibus qui *sapientiam & pietatem professi sunt*?

Cæterùm quòd vocat *stramineum arietem* illum quo contraria sententia impetitur, ostendit muros sibi fuisse arundineos; ex ea enim solutione quam explicat à num. 7. tanta intelligitur facta esse conquassatio, vt ei gloriosius fuerit ferreum prædicare quàm *stramineum*.

QVARTÒ. In controuersia de necessitate scientiæ mediæ quæ tractatur capite 18. & 23. in primis opinionem quam refellit ea oratione repræsentat, qua Deus intelligatur à priuatione, vt loquuntur, illius scientiæ transire ad habitum. Attribuit enim Aduersarijs „ quòd sentiant, Necessarium esse vt Deus exploret & „ consulat creaturam suam: vt scrutetur & rimetur humani cordis recessus: vt homines lustret eorumque fibras, & alia id genus, quæ propriè in eos tanùm quadrant, qui cum tempore aliquid discunt, suoque labore transferuntur à tenebris ignorantiæ ad lucem scientiæ. Vir antiquæ simplicitatis breuiter diceret, opinionem illam hisce placitis contineri, Necessariam esse Deo scientiam omnis veritatis: Ex suppositione quod agens liberum ponatur in his circumstantijs, consensurum diuinæ gratiæ, & ex suppositione quod ponatur in alijs, eidem non consensurum; esse quasdam veritates, vt manifestum fit ex euentu: Igitur esse necessarium hoc scire Deum, idque quamprimùm Deus est; atque hanc esse scientiam mediam.

Secundò. Fingit nullam aliam ab ijs assignari causam illius necessitatis, quàm quia requiri videtur ad prædefinitiones actuum liberorum, & eorum omnium quæ Deus pendere vult à libertate creata. Iterum fallitur. Prima & præcipua ratio cur oporteat inesse Deo huiusmodi scientiam, hæc est. Quia Deus, Deus est, pollens infinitè perfecta intelligendi virtute: quam proinde verum latere nullum potest. Quemadmodum autem infinita potentia, quæ Deo primùm necessaria est, quia Deus est, consequenter est etiam necessaria vt vniuersum creet ac regat: ita & hæc scientia consequenter dicitur esse illi necessaria, vt administret creaturam liberam.

Tertiò. Pariter fingit, Scientiam mediam ex ea sententia comparari studio quodam & cura diuinæ voluntatis, cùm dicit *Deum alligari eidem sollicitudini*, cui alligatur, vel homo qui computat sumptus qui necessarij

ſunt ad perficiendam turrim quam vult ædificare: vel rex qui cogitat ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. ita cap. 22. num. 7. Item, Deum hoc facere *Diffiſum ſuæ omnipotentiæ*. ib. num. 9. Item, *Sedulò diligenterque luſtrare hominum fibras &c.* Sed ab hiſce deliramentis innocens eſt, vel ipſe ſomnus eorum qui accuſantur. Scientia media nullius ſtudij fructus eſt: eodem iure poſſidetur eâdemque facilitate paratur quâ & ipſa diuinitas: nec aliam poſcit diuinæ voluntatis curam.

Quartò. *Aduerte*, inquit capite 18. num. 7. *conſenſum illum ſub conditione futurum non dependere à Deo.* Hæc autem admonitio vel ridicula eſt, vel falſa. Nam ſi *aduertere* nos iubet, non exiſtere abſolutè operationem Dei aliquam, per quam fiat vt quod eſt ſub conditione futurum, ſit ita futurum; ridiculum eſt: cum hoc idem ſit ac monere vt *aduertamus* ſcientiæ mediæ propugnatores non eſſe ineptos; ſed conſequenter philoſophari. Sin autem putat conditionem quæ per ſcientiam mediam ſupponitur vt futurum præſciatur, non eſſe etiam conditionem diuinæ cooperationis; ac proinde illam vt conditionatè exhibendam, non eſſe neceſſariam: falſum dicit. Deum ſcire quippiam eſſe futurum conditionatè, non eſt aliud quàm ſcire, ex hypotheſi quòd agenti libero ſub his circumſtantijs exiſtenti offeratur diuina cooperatio, fore vt acceptetur, & agat: ſcire autem aliquid non eſſe futurum contingenter tamen, eſt ſcire, ex hypotheſi quòd eidem agenti diuinus pariter concurſus offeratur, fore vt non acceptetur, neque agat: atque ita de quacumque re conditionatè dicitur *illam fore*; ſenſus eſt, *fore dependentem à diuina cooperatione.* Id quod adhuc manifeſtius eſt in operibus gratiæ, in quibus non ſupponitur tantùm ſimultaneus concurſus: ſed & præuium ſeu præueniens Dei auxilium

Quintò. Quod dicitur ab ijs qui ſcientiæ mediæ vſum defendunt, ſine illa futurorum prædefinitiones eſſe non poſſe; alioqui periculum fore ne Dei voluntas fruſtra ſit ita interpretatur, quaſi putarent hoc poſſe contingere:

ideóque illis metum eiusce rei frequenter attribuit. Quin etiam erigere illorum spem & confirmare conatur hisce verbis cap. 22. num. 9. *Quare formidas, quare trepidas, ne cor humanum illi clausum sit, &c.* Hæc verò cohortatio non potest non esse periucunda. Non quòd ea quisquam indigeat; sed quia genus quoddam recreationis est, cernere hominem occupatum & satagentem, vt ab eo morbum depellat qui sanus est. Vis scire, mi Doctor, quid ab ijs hominibus timeatur quibus animos facis? Non dicam ne cœlum ruat, qui priscorum olim Gallorum metus fuit: sed ne Deus, esse Deus desinat. Quanta huius rei securitas est: tanta & infallibilitatis ac certitudinis diuinarum prædefinitionum. Quod ergo dicitur, si Deus sine præscientia futurorum ex hypothesi statueret aliquid circa libertatis vsum, periculum esse ne non potiretur
„ optatis; ita est simpliciter interpretandum, Si fieri posset
„ vt Deus non præsciret quid facturæ sint causæ liberæ, ex
„ suppositione quarumlibet circumstantiarum, in quibus
„ exerceri debet libertas: vel non posset prædefinire ali-
„ quid certum: vel posset frustrari eius intentio. Quæ sen-
„ tentia quid quæso asperum sonat, magis quàm ista, Si fieri
„ posset, vt Deus approbaret id quod est intrinsecè ma-
„ lum: & falleretur & peccaret?

Sextò. Ex eâdem doctrinâ dicit; *Deum quærere extra se diffisum suæ omnipotentiæ* media implendæ voluntati suæ idonea, itáque *subijci humanæ imbecillitati.* Quæ res adeò videntur absurdæ, vt habenas cogatur animo suo dare in indignationem: & veluti disputaret cum terrigenis quibusdam, interrogat, *Et qui estis vos qui iudicatis Deum, &c.*

Sed perspicuum est totam illam accusationem aut falsum pro verò supponere: aut verum pro falso & absurdo. Nam quò repræsentari Deum putat ab ea sententia, *tamquam suæ omnipotētiæ diffisum, & humanæ subiectum imbecillitati, falsum* est. Quòd autem *quærere extra se*, hoc est præter se, *causas* & circumstantias idoneas exequendis prædefinitionibus diuinis circa liberos actus; adeò non est falsum absurdumve, vt sit etiam euidentissimum ex sola notione terminorum.

Esse enim prædefinitum actum liberum creaturæ, idem est, ac esse prædefinitum, vt præter Deum alia quædam causa in quibusdam circumstantijs liberè Deo cooperetur. Ergo est impossibile constare diuinæ prædefinitioni suum effectum, nisi & causa præter Deum, & circumstantiæ quærantur, in quibus liberè cooperatura sit. Ideòque immeritò petit, *& qui estis vos?* Nisi forte dicere voluit incognitos sibi esse, qui vera, qui necessaria, qui perspicua loquerentur.

Septimò. Imputat hoc etiam eius scientiæ Auctoribus, *quòd tribuant sibi salutis initium post damnatas Pelagianorum reliquias.* capite 23. num. 9. Sed meminerit nemini vnquam sapienti venisse in mentem, vt suspicaretur initium rei quæ vel est vel erit absolutè, cuiusmodi est animæ salus, ab eo repetendum esse, quod absolutè nec est, nec fuit, nec erit vnquam, cuiusmodi est obiectum scientiæ mediæ ante omne decretum Dei liberum. Et vt verbo dicam, scitum olim est, nullum aliud salutis initium à Semipelagianis pertinaciter obstrusum; quàm cui deberetur initium diuinæ gratiæ quæ vulgo datur vt dici posset primum diuinæ gratiæ auxilium dari secundum merita. Eius autem rei cuius ex aliqua conditione suspensa est existentia; perspicuum est, ius etiam omne suspensum esse ac meritum: quare nec impedire quo minus si quid detur, censeatur dari præter omne debitum. Est igitur indebita prorsus gratia qua salus inchoatur & perficitur: quamuis prius fuerit, bonum illius vsum conditionatè præsciri, quàm eam dari. Atque hinc patet scientiæ mediæ Aduersarium turpem ei laruam imposuisse, veritum ne placeret, si nuda produceretur.

QVINTÒ. Circa potentiam peccandi, vtrum ea sit libertas aut pars libertatis, multa perperam supponit, & Vasquezio ac Lessio nominatim inuidiam conflare conatur, cap. 31. à num. 5. Et primo. Potentiam peccandi non esse libertatem nec partem libertatis, doctrinam dicit esse Clarissimam, certissimamque, & quam

» NEMO HACTENVS REVOCARE IN DVBIVM AVSVS FVE-
» RAT. Quoſdam tantùm neotericos, præſertim Gabrie-
» lem Vaſquez, & Leonardium Leſſium SANCTITATEM
» EIVS VIOLARE NON ESSE VERITOS. Vide quàm ex-
porrectam frontem gerat in ea re, in qua neceſſarium fuit admoneri hominem intimâ vel fidei deficientis, vel modicæ literaturæ conſcientiâ! *Hactenus*, inquis, *nemo reuocare in dubium auſus fuerat doctrinam illam?* Audi Gabrielem Biel 2. diſt. 44. quæſt. vlt. art. 2. Vbi con-
» cluſionem primam ita probat. Omnis libertas eſt crea-
» turæ à Deo collata: OMNIS POTENTIA PECCANDI
» EST LIBERTAS: Ergo, &c. *Iterum in probatione tertiæ*
» *concl.* Etiam potentia peccandi eſt libertas voluntatis.
» *Et paulo ante art. 1.* Potentia peccandi non eſt pars inte-
» grans rationem libertatis: Eſt tamen pars ſubiectiua.
Audi Durandum vnum ex Optimatibus illis, quos eſſe voluiſti tuarum controuerſiarum iudices. 3. diſt. 44.
» quæſt. 1. num. 12. Ad ſecundum dicendum, quòd poten-
» tia peccandi, EST POTENTIA LIBERI ARBITRII. Audi Scotum, alterum item iudicem à te ipſo appellatum.
» In report. ſuper. 2. ſent. diſt. 34. quæſt. 1. Et ſic dico,
» *inquit*, quòd voluntas creata per ſuam differentiam ſpe-
» cificam eſt proxima ratio contingens actus boni & actus mali. Vides vt potentiam actus mali attribuit differentiæ ſpecificæ voluntatis creatæ? Hoc verò coïncidit cum illa Gabrielis ſententia qua dicit, potentiam peccandi *partem ſubiectiuam libertatis*. Idem iterum diſt. 34. quæſt. 1. docet, *voluntatem in quantum defectibilem, non eſſe niſi voluntatem in quantum liberam.* I nunc, & prædica in ore Vaſquezij ac Leſſij primò natum eſſe crimen illud, *ſanctitatis violatæ*, quo potentia peccandi Libertas eſſe dicta eſt.

Secundò. Ib. num. 7. Refert Leſſium in opuſc. de
» prædeſt. ſect. ſecunda, ratione octaua, ſentire, Non eum
» ſolùm laudabilem eſſe qui non tranſgreditur cum poſſit,
» quod vnum perhibet ſcriptura: ſed ipſum per ſe tranſgre-
» di poſſe, laude dignum eſſe. At hoc quoque præter ve-
» rum. Leſſij verba perſpicua ſunt. Laus & gloria Sancto-

rum in eo ſita eſt, quòd abſolutè potuerint tranſgredi & „ omittere bona quæ fecerunt, & tamen non ſunt tranſ- „ greſſi. En vt laudem Sanctorum petit, *ex potentia tranſgrediendi*, non ſola, ſed coniuncta cum exercitio *faciendi bona & non tranſgrediendi*.

Tertiò. Vel hoc ipſum illi abſurdum videtur, ib. num. 8. Potentiam peccandi facere ad laudem Sanctorum, &, paruam eſſe laudem ſi quis benè tum operetur cùm malè non poteſt. Egregiam verò laudem, *inquit*, & glo- „ riæ amplam ſegetem, hominem id poſſe, quo nonniſi „ vituperio & dedecore dignus fiat. Duo hic peto. Pri- „ mum, vt quod dictum eſt *paruam eſſe laudem*, interpretetur, *eſſe minorem* cæteris paribus. Hoc enim ſenſu loquitur Leſſius. Secundum, vt ſententiam illam ita expoſitam traducat certe quàm volet ridiculè, non tamen aſſerat primum illius Auctorem eſſe Leſſium, cum ſit etiam Spiritus Sanctus, qui commendat hominem, qui *potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus*. Quæ tanta potuit eſſe libido Ieſuitis obtrectandi vt Spiritum quoque ſanctum cum Vaſquezio Leſſioque eodem probro inuolueret?

SExtò. Vaſquezium iterum crudeliter excipit capite 32. num. 14. quòd dixerit peccandi potentiam eſſe à Deo. Nouit, *inquit*, D. Thomam, D. Bernar- „ dum, Richardum, Capreolum, & alios pleroſque con- „ trariam ſententiam ſecutos, religiosè ſemper docuiſſe „ potentiam à Deo non eſſe. Addit ad marginem referre „ illos Vaſquezium ipſum, & ſubjicit. SED ILLORVM AV- „ CTORITATE CONTEMPTA, IN RE IN QVA VEL VERBA „ IPSA MODVSQVE LOQVENDI PENE HORROREM INCV- „ TIVNT, peccandi potentiam Deo adſcribere maluit: ſe- „ cutus vt ſibi videtur Magiſtrum, ſed reuera propriam „ mentem non Magiſtri. „

Hoc loco primo queror vſurpari ab hoc Auctore ſupremam Eccleſiæ poteſtatem, dum Cardinales loco mouet & in meros Abbates commutat. D. Bernardi nuſquam meminit Vaſquezius, ſed tantùm D. Bonauenturæ. Bonus Doctor initialis vt reor literæ ſimilitu-

dine deceptus, conuertit illos, & ex Franciſcano Ciſtercienſem creat.

Secundò. Dum ſe *inhorruiſſe* fingit ad *verba modumque loquendi* Vaſquezij, Scotum quoque horribilem facit, qui ad diſt. illam 44. 2. ſent. eadem dicit quæ Vaſquezius. Eſſe debet horribilis & Durandus, ib. quæſt. 1. „ num. 10. dum dicit. Tertius defectus eſt quantum ad „ principalem concluſionem, quia ponunt quòd potentia „ peccandi, quantùm ad defectibilitatem, non eſt à Deo. „ HOC ENIM NON EST VERVM, quod patet ſic, &c. *Con-* „ *cludit poſtea.* Ergo poſſibilitas deficiendi in eligendo erit à Deo. Quis credat, *clariſſima* nuper *ſidera Scholæ Pariſienſis*, ad quorum radios apricare philoſophando ſe velle ſimulabat, *horridùm* ei iam lucere? Mitto Gabrielem, cuius hæc eſt concluſio ad eandem diſt. quæſt. vn. Quan- „ tùm ad ſecundum articulum, eſt Concluſio prima & re- „ ſponſiua. POTENTIA PECCANDI A DEO RATIONALI „ CREATVRÆ EST COLLATA. Sunt & alij quam plurimi quos prætereo. Et monſtrum eſt, horrendum, immane, ingens, quod tot eruditiſſimorum hominum veſtigijs inſtiterit Vaſquez? Videat qui hæc objicit, ne *horrore* illo ſuo probet, inacceſſos ſibi eſſe antiquorum Doctorum lucos.

Tertiò. Neque verum eſt quod ait, *contemnere* Vaſquezium *auctoritatem S. Thomæ atque aliorum*, cùm ſe ne diſſentire quidem ab illis profiteatur. Fieri enim poteſt ob diuerſam rationem interpretandi quæſtionem hanc, vt & qui negant & qui affirmant vnanimes ſint. Neque deeſt hoc loco S. Thomæ ſuffragium & quidem perſpicuum. 2. ſent. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. ad ſecundum. Actus, *in-* „ *quit*, malus perfectior eſt in malitia quàm potentia mala: „ quia in actu malo eſt malitia ſimpliciter: ſed in potentia „ ad malum eſt malitia ſecundùm quid & ideò actus malus „ ſimpliciter non dicitur à Deo eſſe, ſed ſecundùm quid. „ POTENTIA AVTEM AD MALVM DICITVR SIMPLICI- „ TER A DEO ESSE. Num adhuc lapideſcis, mi Doctor, *horrore incuſſo* à Vaſquezio?

Quartò. Negat Vaſquezio ita ſentiendi Auctorem eſſe

Magiſtrum in illa diſt. 44. ; agere enim ibi *de potentia nocendi*, non verò de *potentia declinandi ad aliquid illicitum.* At quidni Vaſquezio quoque adhibet piam illam interpretationem, vt locutum dicat de ſola nocendi potentia? Non poſſunt, inquies, eam ferre illius verba. Ergo neque Magiſtri: eadem enim ambo dicunt. Magiſtri diſtinctio citata inſcriptam gerit interrogationem hanc, *De potentia peccandi, an ſit homini vel Diabolo à Deo.* Vaſquezius capiti 10. diſp. 129. in primam ſecundæ argumentum hoc præfigit, *Deum eſſe cauſam potentiæ ad peccandum.* Ille oppoſitam ſententiam ita proponit. Putant quidam potentiam rectè agendi nobis eſſe à Deo, potentiam verò peccandi non à Deo, ſed à nobis vel à Diabolo eſſe, &c. Vaſquezius ita, Nonnulli Theologi hoc loco non parùm laborant in eâ quæſt. an Deus ſit cauſa potentiæ peccandi, quæ eſt in libero arbitrio. Magiſter ſoluit quæſtionem in hunc modum. Sed pluribus Sanctorum teſtimonijs indubitanter monſtratur quòd POTESTAS MALI A DEO EST. Vaſquezij modus loquendi eſt adhuc mitior, Alij cum Magiſtro contendunt Deum eſſe Auctorem potentiæ quæ peccare poteſt: quæ ſententia rectè intellecta mihi probatur. Quis non iam affatim rideat, dum hominem conſpicit hoc loco erga Magiſtrum quidem blandum, *horridum* vero erga Vaſquezium, quaſi margaritas quidem ille loqueretur: hic autem vomeret colubros?

SEPTIMÒ. Rurſus huic Auctori vapulat Vaſquez circa illam quæſtionem quid ſit, aut vnde ſit, τὸ *morale* ſeu τὸ *liberum* in actu voluntatis. capite 32. num. 13. Recentiores, *inquit*, nonnulli conſequens fateri velle videntur, cùm dicunt libertatem quæ ineſt actibus humanis, non eſſe à Deo, ex euidentiſſimo abſurdo NOVVM DOGMA ſuſcitantes, PIETATI PARVM CONSENTANEVM, A VERITATE PRORSVS ABSONVM. In quo etiam eò vſque progreſſi ſunt aliqui, vt de Deo loquentes dixerint, nihil illi eſſe cum ente morali: ſcilicet creaturam rationalem independentem à Deo ſtatuentes. SIT HOC ANIMALIS CREATVRÆ, AT NON

„ RATIONALIS. &c. *Et mox.* Inter illos Auctores eminet „ Gabriel Vasquez. *Et paulo post*, Doctrina prodigio similis. Labitur aduersarij fides 1. Quia recentiores & præcipuè Vasquezium auctores constituit eius doctrinæ quam illi ex antiquioribus se hausisse probant. Refert Vasquez consentientes in idipsum S. Bonauenturam, Alexandrum, Antisiodorensem, Canum & Sotum ambos Thomistas. Sed maluit tacitos præterire, ne non posset castigare Vasquezium, dum videt tales viros eâdem implicari censurâ.

Secundò. Errorem impingit Vasquezio eiusque socijs à quo illi sese purissimos probant omnibus qui se vel legendi causa vel audiendi adierint: quòd scilicet *statuant creaturam rationalem independentem à Deo.* Ne suspicio quidem rei tam absurdæ vnquam incessit.

Tertiò. Reticentur Vasquezij verba illa, quæ si audiantur statim constabit innocentissimam esse doctrinam quam hic Auctor execratur, & velut impiam traducit. „ Ita enim ille loquitur loc cit. Suppono deindè hanc ra- „ tionem conuenientiæ & inconuenientiæ, & rationem „ liberi quod est veluti fundamentum vtriusque, CON- „ SISTERE IN RELATIONE SOLVM RATIONIS. *Et deindè,* „ Ratio seu denominatio libertatis in actu humano, NON „ EST QVID REALE ET PHYSICVM: Sed est solum deno- „ minatio quædam extrinseca, quam ens morale appella- „ re libet. Viden vt *nihil reale*, *nihil physicum* subtrahit Vas- „ quez primæ causæ? Viden vt id quod Deo non attribuit est tantùm *relatio rationis*? Quod est igitur illud *dogma pietati parum consentaneum à veritate prorsus absonum?* Quod tam grande nefas dirâ illâ imprecatione dignum, *sit hoc animalis creaturæ, at non rationalis*? Immane aliquid locutus est Vasquez, Quid tandem? Inquinauit pias aures proborum omnium. Ecquo sermone nefando? Aperuit in cœlum os suum. Quæ illius blasphemia est? Negauit scilicet aliquod *ens rationis esse à Deo.* O doctrinam prodigio similem! Tribuere Deo noluit, id quod rebatur *neque reale neque physicum esse*: hoc est noluit Deum esse *causam nihili*, cùm tamen diceret esse

causam *potentiæ quæ peccare potest*; O verba modumque loquendi horribilem! At, inquam, O pietatem absurdam, & studio atque artificio quæsita in homines amore dignos odia!

Vt autem iuuetur huius Auctoris philosophia; nouerit eos qui *denominationis* alicuius *extrinsecæ* vt loquuntur causam quærunt, nihil aliud quærere quàm formam à qua proximè fit appellatio ei quod *denominari* dicitur. Et ita dum petunt à quo & sit& dicatur imago *visa*, minimè ad Deum recurrunt, sed ad videntem oculum. Non vt affirment videri potuisse nihil adiuuante Deo: sed vt negent ex modo quo se Deus habet ad visionem fieri vt ab eo dicatur imago *visa:* Atque hoc modo τὸ *visum* in imagine non est à Deo, sed à visione aut oculo vidente. Eodem pacto tametsi quidquid rei est in opere artis producatur ab eius instrumentis, aut innatâ vi concurrentibus aut aduentitiâ: producatur etiam à Deo tanquam ab Agente Primo: neutri tamen attribuitur ratio artefacti, quòd ea mera sit *denominatio* ex speciali conditione atque operandi modo ipsius Artificis: vnde & ab eo solo dicitur esse *artefactum* qua tale. Voluit igitur Vasquez similiter nihil rei esse in actu voluntatis quod non faciat Deus, quod non etiam habitus: rationem tamen *Liberi* & *Moralis* esse appellationem meram actui attributam ex eo *tantùm* quòd sit à voluntate ita ipsum eliciente vt possit supprimere; non autem ex modo quo Deus ad illum concurrit: atque ita fieri vt τὸ *Liberum &* τὸ *Morale* in actu voluntatis non sit à Deo. Sed quia id genus cogitationes non facile occurrunt ijs hominibus qui procul positi à tumultu Scholarum in *summâ versantur Amplitudine*; cùm primùm insonuit rationem *Moris* aut *Liberi* non inesse actui à Deo, sed à voluntate: periclitari visus est Deus; nec quidquam aptius occurrit confirmando ipsius in res omnes supremo dominio: quàm si Vasquez, qui cœlo minitabatur suâ illâ opinione, deleretur è numero rationalium, atque inter animalia mera deinceps computaretur.

OCTAVÒ. Capite 23. num. 9. ita loquitur. Quod
„ spiritus est in gratia, & quasi gratiæ gratia & de-
„ cus, energiam scilicet & efficaciam, non tuæ (*Deum al-*
„ *loquitur quasi vera narraret*) aut vocationi aut gratuitæ
„ electioni; sed homini ipsi deputare non erubescunt. Quis eorum qui negant physicas prædeterminationes ita vnquam homini adscripsit efficaciam gratiæ, vt excluderet vel Deum vel ipsiusmet gratiæ vim? Imò quis non propensissimo animo confessus est semper, Diuinam gratiam esse quæ vires homini subministrat in omnem actum salutarem à principio ad finem? Quis vel hoc ipsum dicere voluit, vices esse reciprocas: & gratiam quidem vires dare, sed & accipere? Quæ causa est igitur tam iniquæ expostulationis? Et quæ hominis licentia crimen imponentis nec probatum nec probabile? Extorquere vult fortasse vt dicamus opera salutis Deo tantùm abscribenda esse, cum exclusione hominum liberè cooperantium: & hoc illi atque Caluino dandum esset, nisi prohiberet Apostolus, qui se cooperatorem adiungit gratiæ Dei: nisi etiam Augustinus, qui Deum voluisse docet opus bonum *& suum & nostrum esse: suum vocando, nostrum sequendo.*

NONÒ. Eâdem prædicat præmotionum Aduersarios dicere *ipsum agere nostrum non esse à Deo.* Ita
„ capite 26. num. 10. Iis auctoribus, *inquit*, cum quibus res
„ nobis est ita sentire visum non fuit, sed dicunt agens
„ secundum liberum, ita purè agere & mouere seipsum
„ VT NON RECIPIAT SVVM AGERE ALIVNDE; benè
„ quidem agendi virtutem, SED NON AGERE IPSVM.
„ &c. *Et capite vlt. num. vlt.* Vbi ad executionem venitur,
„ homo post acceptam piam cogitationem, adde & piam
„ cordis affectionem, cum quibus duobus est plenè indif-
„ ferens, ipse dumtaxat est qui se mouet, vt illi philoso-
„ phantur, ipse qui se applicat, ipse qui se determinat
„ DEVS AVTEM MINIMÈ. Dicerem huic homini rem esse cum nascituris hostibus, nisi postremo loco nominaret Suarem.

Suarem. Primò igitur falsum narrat, dum id eos sentire dicit quorum nemo vnus est qui non contrarium procliui animo prolixaque oratione, & asserat, & probet, & defendat, Deum scilicet post creatam liberam causam, continuóque seruatam, instructam etiam omni virtute ad agendum necessariâ, adde & admotam circumstantijs omnibus ad agendum requisitis, quin etiam auxilio speciali præuentam atque excitatam interius ad omnia salutis opera; coagere insuper immediatè: ita vt illius agere, sit etiam identicè intrinsecè atque essentialiter agere ipsius Dei.

Secundò. Quod à Suare dictum est indefinitè, voluntatem creatam vt se determinet ad hunc actum *non indigere alio determinante actiuè*, dictum refert in vniuersum, & ad actus supernaturales applicat, de quibus Suarez ne cogitabat quidem: cùm censeat esse etiam à Deo *prædefinitos*.

Tertiò, Hoc quod est, *voluntatem non indigere alio determinante actiuè*, interpretatur quasi dictum esset, non indigere alio cooperante, vel coëfficiente. Quod procul abest à mente Suaris, qui nihil aliud intendit, quàm etsi Deus intimè atque immediatè attingat quidquid rei est in effectu atque actione causæ secundæ liberæ; quia tamen ita se habet in hoc negotio, vt ei potestatem faciat vel vtendi vel non vtendi sua cooperatione; fieri vt rationem quidem habeat principij per se ac principaliter operantis, dum sequitur actio: non tamen principij determinantis vt sit actio potiùs quam non actio: eò quòd placuerit ei hoc permittere libero causæ arbitrio. Quod in omnibus saltem actibus qui mali sunt admittendum est: cùm sit absurdissimum censeri Deum determinare vt sit actio quæ furtùm dicitur, potiùs quàm eius negatio. Atque hinc liquet quo loco eam oporteat esse doctrinam, in quam necesse fuit Censorem inferre quod denotaret.

EPILOGVS
AB AVCTOREM OPERIS
DE LIBERTATE DEI ET CREATVRÆ.



I Pater. *Quamuis Hactenus citra sudorem laboratum sit in exercitatione ista, neque materia desit operi longiùs producendo: quia tamen ea quæ diximus & tibi ad instructionem, & mihi ad defensionem eorum qui à te parum honestè habiti sunt, & omnibus ad æquum de tota controuersia iudicium abundè sufficiunt, scribendi finem facio. Si priùs tibi veluti compendium quoddam exhibuero totius lucubrationis,, paucis hisce capitibus comprehensum.*

Primum est, instituti nostri, hoc est tui meique homines minimè decere de colligenda doctrinæ fama esse sollicitos, sed si qua eiusce rei cura quemquam tangat, vnumquemque propria virtute ad gloriam debere niti, non per contemptum aliorum contumeliosè grassari.

Secundum. In examine veritatis oportere vacuum esse animum, tum ab omni alia perturbatione, tum potissimùm ab æmulatione atque liuore: quòd vsu-uenire soleat vt dum suffragium nostrum æmulis inuidemus, denegemus illud veritati.

Tertium. Nouas cogitationes premendas esse dum maturuerint, neque gestiendum vt fruantur publico quæ communibus opinionibus aduersantur. Offendi enim vti ad præcoces fructus gustum ijs assuetum sententijs, quas multorum annorum meditatio, variarumque tempestatum probatio, & calor frequentium disputationum incoxit: itáque contingere, vt dum nomen studiosiùs quærimus, non nisi ridiculum inueniamus.

Quartum. Perceptam esse debere comprehensamque animo quæstionem illam cuius arbiter esse vltrò aliquis velit. Periculum enim esse nè de facili, & tanquam de alieno artificio pronuntient qui secus faciunt.

Et spissæ risum tollant impunè coronæ.

Hæc si seruaueris in ea quam promittis disputatione de gratia, næ illa gratiam inueniet apud æquos rerum æstimatores. Vale, tuique amantibus benè precare, Hoc enim mea plurimùm refert.



APPENDIX
AD CAMERARIVM.



NE abirem hoc inſalutato Philoſopho importunitas amicorum fecit. Is in 2. parte Selectarum quæſtionum philoſophicarum, quæſtionem nonam, quæ eſt de phyſica prædeterminatione, fusè proſequuturus, veſtigia preſſit illius à quo iam diſceſſimus, iiſdemque ad philoſophandum ventis impulſus eſt, vt ei quidem videtur ſecundis, ſed ventis tamen.

ET PRIMÒ, *Futilitas argumenti Suariſtici*, *Ridicula Suaris ſolutio*; *Inepta Aduerſariorum obiectio*, *Scientia media ſeu Moliniſtica*, *Nouitium Molinæ commentum*, *Eat nunc Moriſanus Hirlandus*, aliaque id genus verborum ludibria, gemmæ ſunt queis diſſertationem ſuam inoculauit. Quid quod ſolutionem quandam Moriſani eo nomine rejicit, quòd tradita ſit à Ieſuitis. Secundò, *inquit*, „ *pag.* 90. *ante medium*, hæc eius reſponſio proficiſcitur „ à Ieſuita cuius ille ſcripta hac de re ſuo nomine edi- „ dit, &c. Fac proficiſci etiam à Scythâ, quid tum? Num officit probabilitati ſententiæ nomen Auctorum? Quid ergo ſperari ab ijs debet qui animum hiſce præiudicijs occupatum afferunt ad diſquiſitionem veri? Huic tam illiberali homini tria hæc repono. 1. Bonæ cauſæ tuendæ diſceptantium modeſtiam noxiam eſſe minimè poſſe, nec opus eſſe veritati patrocinio procacitatis. 2. Auctores quos impugnat in hac potiſſimùm controuerſia modera-

tiores in loquendo ſemper fuiſſe, neque ſapienter facere illum qui eorum virtute vinci ſe patitur, quibus doctrina ſuperior videri vult. 3. Quamuis non probè ſcio huius hominis fortunam propriaſque rationes, & quid debeat ijs quos inſectatur (Siquidem ipſe beneficiorum acceptorum nuſquam meminit) nihilominus tamen dum audio eſſe natione Scotum, Romæ in ſeminario Scotorum educatum, emenſum etiam Philoſophiæ curriculum trienne, præterea defunctum vltimo periculo publicarum diſputationum, ſuſpicor eorum alumnum ac diſcipulum fuiſſe quibus modo calces impingit. Quod ſi eſt ita, homini Scoto per Italiam Galliamque, nationes cultiſſimas & ciuilitatis perquam ſtudioſas peregrinatio quid profuit?

SECVNDÒ. Nemo vnquam hoc Camerario felicior fuit in colligendis aliorum ſuffragijs. Sententia quam » defendit Eſt, *inquit*, omnium veterum dub. 1. Eam ſe- » quuntur cum Guillelmo de Rubione Scotiſtæ omnes ve- » teres. Item, D. Bonau. & alij veteres, Ex recentioribus » Ianſenius Gandauenſem intelligit, Vega, Driedo, Ruar- » dus, Carthagena, Puteanus, Toletus, Henriquez, Pererius, quis non? Sed in primis ab eo peto, vt pro iure neceſſitudinis ac ſocietatis initæ cum Anteſignano ſuo, ei ne repugnet. Iam vidimus illum cùm tota ex antiquitate auctores Scholaſticos quinque tantùm ſententiæ ſuæ allegiſſet, in recentioribus adeò nihil inueniſſe præſidij, vt quæſtionem mirabundus inſtitueret, lib. 1. capite 36. *Cur hæc doctrina minus communis?* Et, *Quibus ex cauſis contraria tam multùm inualuerit?* Diceres hominem de inſolita quadam inundatione aquarum, aut terræ motu diſputare.

Secundò. Peto etiam vt quæſtionis huiuſce ſtatum diſtinctè concipiat. Neque enim quæcumque motio vel præmotio ſecundæ cauſæ à primâ in controuerſiam cadit: Sed quæſtio eſt, vtrum poſt creatam cauſam ſecundam & continuò conſeruatam, & inſtructam omni virtute requiſitâ, & admotam circumſtantijs ad agendum

necessarijs, & adiutam cooperatione ac simultaneo concursu, sit insuper necessarium physicè illam præmoueri impressione cuiusdam entitatis *Innominatæ*, *& Ineffabilis*, & *Mirabilis* & *Mirificæ* vt loquitur Franciscus Cumel tom. 2. disc. 5. sect. 2. quæ cum actione adueniat auoletque. Item quæstio est, vtrum in agentibus liberis præmotio illa sit eius naturæ, quæ cum sit ipsa independens à libertate, actionem tamen ita necessariò inferat, vt sit impossibile illi coëxistere non actionem. Hoc est punctum quo vtraque sententia terminatur. Hic Lydius lapis quo vno exploratum sit, qui Thomistas sequantur, qui Iesuitas præferant. Ex illis autem omnibus quos Camerarius vel nominat, vel reticet (recentiores Thomistas semper excipio, & paucos alios consentientes ijs) nego vllum esse quem huiusce præmotionis suspicio vnquam mouerit: neque ipse hoc aut probat, aut probare potest. *Redeat* ergo *Morisanus Hirlandus*, quem hic Scotus tale aliquid objicientem, viciniæ immemor, *ire* iusserat. Atque hæc est illa distinctio vulgaris alicuius præmotionis quæ interdum insinuatur ab Auctoribus, & propriæ illius prædeterminationis qua de agitur hodie, quam Suarez expressam voluit, vbi *ridiculam* viri scilicet triobolaris *responsionem* pronuntiauit hic Sesqui-philosophus. dub. 2. pag. 87.

Tertiò. Non solùm nusquam apparet physica illa præmotio apud veteres & recentiores illos Driedonem, Ruardum, Vegam, Iansenium, &c. Sed præterea leguntur passim in eorum scriptis de libertate causarum creatarum eiusmodi sententiæ, quas nemo cum ea conciliauerit. Cuius rei fidem facient, quæ tum alij, tum præsertim Didacus Ruiz congessit in opere *De scientia Dei*.

Quartò. Imponitur Toleto in comm. illo capitis 17. D. Ioannis. nihil enim habet quod faueat prædeterminantibus. Mens Pererij dissimulatur, quam statim aperit 8. ph. capite 9. dum negat voluntatem moueri ad agendum *necessariò*: item, Causam liberam positis omnibus quæ requiruntur ad agendum ex parte obiecti, Ita vt nihil desit nihilue obstet posse TVNC agere & non„

agere, item agere quod proponitur vel contrarium. Tegitur id quod docet Henriquez capite 14. num. 9.
„ Non implicare speculatiuè loquendo, vt duorum homi-
„ num omnino æqualium in naturalibus bonis, in habiti-
„ bus & causarum concursu, motorum etiam auxilio omni-
„ no æquali ex parte obiecti & potentiæ, alter operetur &
„ conuertatur, altero non conuerso. In praxi verò illum
„ qui conuertitur habere semper de auxilio præuenienti
„ plus aliquid morale. Si gratia eius qui conuertitur ei qui alius non conuertitur superaddit tantùm *aliquid morale*; si *speculatiuè loquendo* fieri potest vt ne hoc quidem superaddat; vbi est necessitas & vsus physicæ prædeterminationis? Puteani doctrina truncatur ad primam secundæ. qu. 111. art. 1. dub. 4. Quia post conclusionem illam quâ definit Deum prædeterminare interdum voluntatem *illæsâ libertate*; aliam ponit inqua pronuntiat *Deum ordinariè non vti huiusmodi prædeterminatione*, hoc autem est negare illius necessitatem, quæ est veluti primum principium oppositæ
„ sententiæ. Huius etiam conclusionis rationem hanc po-
„ nit. Probatur, *inquit*, Conclusio quibusdam rationibus.
„ Prima ratio est quia prædeterminatio physica tollit libertatem. Qua ratione prior quoque conclusio radicitus conuellitur. Et quæcumque tandem inibi sit contrarietas sententiarum, postrema definitio mea est.

TERTIÒ, Ex his patet recudendam esse narrationem illam quæ habetur dub. 1. Aliqui è Societate, inquit, determinationem demedio sustulerunt Salmanticæ in publicis disputationibus, vt repugnantem libertati, anno ante hunc 48. vel 49. Bannes conspiciens eos docere noua & priùs inaudita audacter & generosè se opposuit, Molina suis auxilio venit, re ad Clementem octauum delatâ anno 1597. & coram diu disputata, sententiam ille admittentem prædeterminationem definire proposuit, sed ad mortem vsque, hoc est octo circiter annis, impeditus est varijs maximisque negotijs. Inprimis scire velim vbi nam esset homo Scotus cum ea Salmanticæ primùm ac deinde Romæ gererentur? Num

quis apud eum publicas rei gestæ rabulas deposuerit? Quis denique conduxerit ad historiam huiusmodi componendam? Ego, inquies, ita accepi. Atqui hæc ipsa est eorum excusatio qui pecuniæ adulterinæ impendia faciunt. Hoc tantùm ab eo scitè factum puto, quod huic sectioni in qua nulla quæstio tractatur, sed refertur solùm hæc historia quam dixi, titulum præfixit, *Dubium primum.* Quid enim aptius dici poterat? nisi fortè aliquis maullt inscribi debuisse, *mendacium.* Quidam, inquit, de Societate sustulerunt de medio prædeterminationem Quis autem intulerat ante illam ætatem? Vidit Bannez illos docere *noua & priùs inaudita.* Nimirum ante illud tempus nemo negauerat in causis liberis agendi necessitatem antecedentem & independentem à libertate: Nemo liberorum actuum prædefinitiones absolutas & efficaces: Nemo prædestinationem præuiam scientiæ meritorum: Nemo dixerat gratiam efficacem & sufficientem esse vnquam physicè pares: Nemo efficaciam illam exposuerat per solam congruitatem cogitationis: Nemo in eo distinxerat liberam causam à necessaria, quod libera cum omnibus ad agendum requisitis coniungere possit alterutrum, agere scilicet aut non agere. Et qui aliquid horum dicat potest ille non tollere de medio prædeterminationem?

At, inquies, Auctores eiusdem cum Molina familiæ dicunt eam opinionem ex illius ingenio natam, vt constat ex vita Bellarmini. Nempe, quia quod omnes ferè supponebant, ille ad disputandum seposuit, clariùs expressit, fusiùs explicuit validiùs confirmauit & in vsum conciliandæ diuinæ gratiæ cum libertate creaturæ redegit. Quòd si præterea de suo aliquid miscuit (neque enim facere aliter poterat acerrimo vir ingenio tam longa præsertim disputatione) nihilominus tamen hoc quod est totius controuersiæ caput; scilicet, nullam esse liberorum agentium physicam prædeterminationem cum qua non possit pro eorum libertate componi liberi actus cohibitio, Molinæ inuentum esse nemo vnquam qui gnarus esset huiuscemodi quæstionum asseruit.

Atque hæc vna erat causa illa quæ in capite vltimo lib. 1. de Libertate Dei & Creaturæ frustra quærebatur, Cur aduersa prædeterminationibus sententia tantopere inualuisset. Nempe quia intellectum est passim, Molinam & Socios in suo nequaquam desudasse, sed quod erat commune omnium ad elaborandum muniendumque suscepisse. Vnde factum, vt hoc sequendo nemo crederet vni se homini vel familiæ mancipari; sed communi iure id occupare quod esset publicum. Alioqui neque vnum tam multi sequerentur, neque nuperum studiosi antiquorum, neque Hispanum Galli, nec Sorbonici Iesuitam.

Hinc licet intelligas declamatio illa istius Auctoris contra Molinam, quæ habetur dub. 4. quàm sit intempestiua. Significauerat Molina si ratio conciliandæ humanæ libertatis cum diuina gratia quæ petitur ex vsu scientiæ mediæ, ita semper fuisset exposita distinctè ac modò est; exinde iuuari potuisse qui & olim contra Pelagianos, & nuper contra Lutheranos pugnauere. Id quod iste Auctor dictum interpretatur in contemptum S. Augustini & Concilij Tridentini, & demum Ecclesiæ vniuersæ. Quasi verò nefas sit credere lucis aliquid afferri posse ad ea quæ Sancti Patres tradidere, nec crescat Ecclesiæ splendor vsque ad perfectum diem, dum subinde aliquid retegitur, quod erat quidem traditum priùs, sed non tantopere enucleatum.

Est verò insuper accusatio hæc absurda, quòd eodem prorsus crimine teneantur qui Molinæ diem dicunt. Siquidem ea quoque ratio componendi gratiam efficacem cum libero arbitrio quæ ab illis traditur, & *omnium probabilissima* dicitur ab isto Auctore, dub. 3. num. 3. & ab eo qui præcessit, *noua*, in Epistola ad Summum Pontificem. Vbi hoc etiam addidit, hâc viâ quam ipse prior muniuit
„ vitari Odiosiores quasdam offensiunculas, quæ scripto-
„ res huius ætatis aliò auerterunt, excutique scrupulos
„ aliunde iniectos. Et quamuis ea manare dicatur ex Antiquis Patribus: hoc tamen ita exponitur cap. 36. lib. 1.
„ num. 7. Vt quod implicitum & inuolutum in eorum prin-
„ cipijs DELITESCEBAT, explicatum & euolutum atque in lucem

lucem prolatum modo sit. Quid igitur Molinæ iam obtrectant? Quis credet, *inquit Camerarius*, vsque ad Molinæ tempora latuisse Ecclesiam Dei modum conciliandi libertatem cum diuina prouidentia? Quidni verò credere hoc possit, qui credit modum illum *delituisse* etiam vsque ad tempora Gibieufi? Pergit, Quis credet Molinam à Deo missum, vt post mille quingentos & tot annos, Ecclesiæ quæ est columna & firmamentum veritatis modum illum aperiret? Quis autem hoc non credat qui credere potest missum Gibieufum etiam post mille sexcentos, & quod excurrit, vt eundem modum eidem Ecclesiæ *explicaret, euolueret, in lucem proderet?* Vehementer aueo scire quid dicturi sint, ne se hoc loco deprehensos esse fateantur.

Ad extremum, quod refert, Clementem VIII. proposuisse animo sententiam ferre in gratiam prædeterminantium, sed ne faceret impeditum esse negotijs; paulo aliter habet. Si enim id erat omnino constitutum, quæ negotia Pontificem impedire potuerint, ne ab anno 1597. quo hæc controuersia Romæ agitari cœpta est, ad annum 1605. quo est ille vita functus, pronuntiaret? Quæ tanta potuit esse occupatio, vt octo circiter annis non concederetur spatium trium verborum quæ rei conficiendæ satis erant? Quidni potiùs credatur, quamuis alieniore animo esse à doctrina Molinæ, impeditum tamen & successu disputationum, & magnorum virorum consilio, & occulta Spiritus Sancti prouidentia, quæ Vicarium Christi numquam deserit, ne sententiam præcipitaret? Est verò inprimis memorabile quod Magnus ille Ecclesiæ interpres antiquæ, vindex hodiernæ Illustrissimus Cardinalis Perronius, cùm Romæ id temporis versaretur, edixit Summo Pontifici, curaturum se, si quod meditabatur definiret, vt Germaniæ Galliæque Sectarij decreto illius subscriberent, suamque doctrinam sancitam esse faterentur. Erat eiusce rei non obscura iam fama; sed ne quis in posterum incertam fuisse putet, testem habeo præsentem, eumque vel ob Auctoritatem Episcopi, vel ob nomen Literatissimi, vel ob meritum

HHHhh

Optimi Pijssimique omni exceptione maiorem, Reuerendissimum D. D. Habert Ecclesiæ Cadurcensis Antistitem, cuius in oculis hæc eduntur, quique se id accepisse testatur ex ore ipsius Cardinalis Perronij.

Huc spectat quod hic Auctor refert dub. 4. ex vita Bellarmini. Negauisse illum constanter Clementem VIII. quod statuerat definiturum vnquam, & si definire moliretur, vita potiùs deserendum. Hoc verò prædicari putat veluti quoddam Bellarmini vaticinium, dubitatque benè an malè fecerit scriptor qui literis mandauit. Sed de vaticinio quod dicit, fallitur; neque enim versatur prophetia circa consequentias. Duplex erat Bellarmini persuasio: altera spectabat supremam Summi Pontificis auctoritatem, altera doctrinam Iesuitarum. Cùm ergo non dubitaret & infallibilem esse Papam in definiendis fidei controuersijs, & gratiam efficacem non includere physicam prædeterminationem, sequuturum vt si contrarium definire aggrederetur Pontifex, vitam finiret priùs quàm negotium perficere sineretur, & vidit & pronuntiauit. Iam verò dubitare *benè an malè* fecerit qui hæc narrat, suspiciosi hominis est. Quid enim mali continet hæc narratio? Num futilis est? Num aliena à vita Bellarmini? Num Romæ damnata, vbi edita est cum solita facultate atque approbatione? Num incerta, quam Cardinalis à Monte iureiurando confirmauit, publicoque instrumento testatam voluit post obitum Bellarmini? Nempe quod quoquo modo aduersarijs incommodat, id omne huic Auctori *malum* est.

QVARTÒ, Vt aliquid delibemus ex ijs quibus ille in hac controuersia eruditionis suæ ingenijque specimen dedit: hoc in vniuersum affirmari potest, communem illi esse rationem tuendarum præmotionum cum eo quem paulo ante refutauimus, adeò vt interdum verbatim repetat quæ iam ab illo audiueramus, vt constat præsertim ex dub. 3. Quare quidquid antea contra philosophiam illam obiecimus, eundem quoque hic locum habent. Quòd si peculiare quippiam requiras, Lector, cedo

vnde intelligas, quantum hic Auctor præmotionum caussam iuuare potuerit.

Primò. Hæc est in hac controuersia princeps difficultas, quomodo non destruatur prædeterminatione libertas, postquam eâ fit vt voluntas non possit non producere actum ad quem prædeterminatur. Proponitur autem dub. 2. num. 1. & rejicitur quidquid hactenus à Thomistis responderi consueuit, præsertim verò illud, voluntatem prædeterminatam posse non agere in sensu diuiso; esto, non possit in sensu composito. *Certum est*, inquit, *illam definitionem* (quâ caussa libera dicitur *positis omnibus requisitis, &c.*) DEBERE INTELLIGI IN SENSV COMPOSITO, & hoc varijs modis atque instantijs probat.

Postea verò dub. 5. Vbi obiectionem illam versat per multas paginas, in eandem ipse solutionem volens nolens recidit. Respondet enim pag. 113. ex eo quòd prædeterminatio voluntatem addicat fini tantùm, medijs verò eatenus solùm quatenus per illa necesse est tendere in finem; fieri, Vt sicut quando ordo finis exigit ad media accedo, ijsque vtor; ita quando ordo finis non ampliùs exigit, vel etiam oppositum exposcit, ab illorum ope & vsu supersedeam. Quasi diceret, esto, pro illa suppositione qua medium aliquod exigitur ad finem, non possit voluntas non amplecti talè medium *in sensu composito*, efficiendo vt hæc duo simul sint, *medium esse positum in ordine finis* seu quod idem est, *esse prædeterminationem ad illud, & omitti vsum illius*; nihilominus tamen pro aliâ suppositione qua medium illud non exigitur, Deo non prædeterminante illius vsum, hoc est, *in sensu diuiso*, potest.

Addit pag. 114. posse homines passim deficere ab ordine finis, atque ita non amplecti medium aliquod etiam tum cùm illius vsum finis ordo postulat. Eo quòd prædeterminatio non ita potentiam immutet, quin eam relinquat in suâ defectibilitate, & deprauatione. Hoc verò non potest etiam aliter defendi, quàm per distinctionem allatam. Quæro enim, an ita sit defectibilis voluntas prædeterminata vt efficere possit coëxistentiam & simultaneam compositionem non actionis cum prædetermina-

tione, vel non? Si dicit posse, concedt posse deficere in sensu composito itaque dat manus & partes Thomistarum deserit: si dicit non posse, ergo potest deficere tantùm in sensu diuiso. Quid hic opponet, nisi forte neget se illam distinctionem improbasse? Quare igitur nusquam soluit argumenta quæ ad illam improbandam attulit? Et quid iuuat *noua via modusque omnium probabilissimus*, si nos in antiquis salebris hærere sinit? Manet enim semper magnus ille *scrupulus*, Dissentire à Deo mouente est componere dissensum cum motione; seu, quod idem est, dissentire in sensu composito: Voluntas potest dissentire à Deo mouente: Ergo potest componere dissensum cum motione, & dissentire in sensu composito. Minor est Tridentini. Maior nota esse videtur ex terminis. Quia dissentire est ponere dissensum: & non est ponere dissensum antequam Deus moueat; quia hoc idem esset ac pugnare cum aduersario nondum nato: neque postquam mouere desijt; quia hoc idem esset ac pugnare cum mortuo: superest ergo vt dissentire sit ponere dissensum eodem tempore quo Deus est mouens; quod est facere vt dissensus & motio coëxistant & componantur. Neque dicas, impedire ne Deus moueat hoc esse dissentire. Tum quia est impossibile in vniuersum, Deum impediri ne moueat, tum quia hoc non esset dissentire à Deo mouente, sed moturo: tum quia demum sequeretur motionis existentiam pendere à libertate recipientis.

Secundò. Est etiam hæc capitalis difficultas in hac materia, quòd iuxta doctrinam SS. PP. libertas pati non possit antecedentem agendi necessitatem, quæ tamen inuehitur per physicam prædeterminationem. Respondet dub. 5. pag. 122. negando *absolutè* quamcumque necessitatem antecedentem tollere libertatem: & SS. Patres intelligendos *De illa necessitate quæ prouenit ex prædeterminatione intrinseca, quæ est ex natura rei limitans & determinans ex intrinsecis principiis aliquid ad aliquem determinatum effectum*: non verò *de illa quæ prouenit ex determinatione proueniente à fine vel à primo agente*. Et postea subdit

tanquam ex D. Thoma *necessitatem hanc non esse absolutam sed conditionatam:*

Hic rursus quæro quos *scrupulos* tollat, quas *offensiunculas* vitet *noua via & modus omnium probabilissimus?* Memini enim me iampridem legisse totam illam solutionem apud Didacum Aluarez disp. 22. Quin & apud Caluinum 1. inst. capite 16. sect. 9. Vide enim an non satis aptè distinctionem eandem expresserit hisce verbis? *Interea quod statuit Deus sic necesse est euenire, vt tamen* NEQVE PRÆCISE' NEQVE SVAPTE NATVRA *necessarium sit. Exemplum in Christo ossibus familiare occurrit. Quùm induerit corpus nostro simile, fragilia fuisse eius ossa nemo sanus negabit: quæ tamen frangi fuit impossibile. Vnde iterum videmus non temerè in Scholis inuentas fuisse distinctiones de necessitate secundùm quid &* ABSOLVTA. *Item consequentis & consequentiæ?* Non vides excludere illum à voluntate quam negat esse liberam, agendi necessitatem *absolutam*, & quæ *suapte natura* illi conueniat, hoc est quæ proueniat *ex intrinsecis principijs* vt tute dicis? Quo igitur ab illo differs? Et quomodo *scrupulum* eximis, qui exinde restat? Quia scilicet, per hoc præcisè necessitas antecedens obest libertati, quod & sit necessitas & sit à libertate independens vndecumque proueniat. Quid enim quæso iuuat quod non vinciar à meipso necessitate agendi, si perinde vincior ab alio? Quinimò si alterum eorum conciliari posset cum libertate, quis non videt suauius futurum à seipso & ab intrinseco ligari quam ab alio? Quis nescit propiùs accedere ad rationem violenti, quod extrinsecus impellit, quàm quod mouet intrinsecus? Quòd si quis obtendenti se ad aliquod scelus necessitate adactum, hoc tantùm regeret, Non es adactus à te ipso & ab intrinseco, sed es adactus aliunde & ab extrinseco, & ideò dabis pœnas; ille non videretur esse ineptus?

Restabat alius quoque *scrupulus* Quia ratio quam afferunt SS. Patres quare Dei prouidentia & præscientia non officiat libertati, *quòd* scilicet *non imponat necessitatem agendi*, sic erit interpretanda iuxta solutionem hanc, vt sensus sit, prouidentiam non obesse libertati, quia non

imponit necessitatem quæ oriatur ex voluntate intrinsecè; sed quæ oriatur tantùm ex ipsa prouidentia extrinsecè: quod est, prouidentiam non imponere aliam necessitatem quàm eam quam ipsa imponit, quo quid inanius fingi potest? Quid igitur fiet D. Dionysio qui potissimum abesse iubet à voluntate ἐπεγκείμενον ἀνάγκην capite 8. de Diuinis Nominibus?

De necessitate conditionata quod additur, lusorium est. Neque enim intelligunt ita esse conditionatam vt conditio pendeat ex libertate voluntatis creatæ, quod intendit S. Thomas: sed ita vt pendeat ex solo Dei beneplacito, eoque antecedenti, quod nihil prorsus iuuat vt patet. Hi sunt scrupuli, quos ex Thomistarum solutione relictos *noua via* minimè tollit.

Sed & addit alium meo quidem iudicio importunum. Objiciebatur motum voluntatis prædeterminatæ non esse naturalem, eo quòd sit à principio extrinseco. Respondet hic Auctor loco citato, pag. 124. lineâ ante infimam quartâ, Moueri à Deo non esse moueri ab alio, multominus extrinseco Quia Deus est meum esse laudabile vt loquuntur Platonici, est αὐτὸ τὸ αὐτό ipsum metipsum, est mihi intimior intimo meo &c. Quando objicitur necessitas quam infert Deus prædeterminans; negatur *prouenire ex intrinsecis principijs*, vt paulò ante vidimus: & quando opponitur non esse naturale ita moueri; negatur esse hic motus *ab extrinsecis*. Quid poterit inueniri satis dignum hac tam cohærenti & connexâ philosophiâ?

Tertiò. Difficultas communis iuxta & grauis est, si necessaria sit prædeterminatio, sufficienti gratia carere qui peccant omittendo bonum actum, quandoquidem carent prædeterminatione, ideóque ne peccare quidem. Respondet neminem carere prædeterminatione. Benè habet, scrupulum iam tollit. Sed statim molam alligat. Cum applicatio *inquit* & prædeterminatio sit amor & desiderium finis siue summi boni, tamen in omnibus iugiter perseuerat desiderium istud: omnia enim appetunt beatitudinem & ex appetitu illo operantur.

Ex his concludit tandem *hinc patere quam ineptè objiciant aduersarij, non omnibus dari sufficientiam auxilij, si ad agendum prærequiritur prædeterminatio.*

Sed quæro. 1. Quomodo possit desiderium illud summi boni, quod est *naturaliter* inditum, complere facultatem actus *supernaturalis*, cuius omissio peccatum est? 2. Quomodo potest idem desiderium, vel si foret supernaturale, dici sufficiens auxilium, cùm non habeat adiunctam intentionem Dei, hoc est decretum absolutum & antecedens quo necessarium est vt fiat efficax, ex pag. 114. lineâ post primam quartâ? 3. Quo sensu præterea dicitur hoc desiderium, quod creditur esse applicatio & prædeterminatio ipsa, perseuerare iugiter in omnibus; cum antea dictum sit dub. 3. pag. 100. non habere esse firmum & permanens? Si quæras, *inquit*, » vtrum huiusmodi præmotio habeat esse firmum & per- » manens an-non? Respondeo ex D. Thoma non habere » esse firmum & permanens. Subdit habere esse *fluxum* » cuiusmodi est virtus impressa proiectis, color in aëre, virtus artificis in instrumento artis. Heus tu mi Doctor, quod neque firmum neque permanens est, quod rebus maximè omnium fluxis ac mobilibus comparatur, hoc iugiter perseuerat in omnibus? Et vbi tam aptè philosopharis ipse, audes obiectionem Aduersariorum *ineptam* dicere?

Quartò. Celebris illa difficultas de prædeterminatione ad actus qui mali sunt, quæ adeò molestè habuit Aduersarios vt in diuersum egerit, alijs approbantibus alijs cum stomacho respuentibus huiusmodi prædeterminationem, ab hoc philosopho sic soluitur, vt admittat Deum mouere ad actum etiam intrinsecè malum, inquantum actus est, ita pag. 115. ad secundum argumentum. Et pag. 121. post medium, concedit *Deum mouere ad omnes circumstantias peccati secundùm quod illæ habent rationem entis.* Ad argumentum verò quod inde sequatur Deum esse Auctorem & causam peccati, respondet negando sequelam, *Deum enim non prædeterminare ad actum malum vt malus est, vel prout deformitati substat* ita:

pag. 118. Sed quid minus antea dixerant assertores prædeterminationum ad actus malos, addo & Caluinistæ? videntur enim illa verba ex Clypeo Molinæi esse desumpta sect. 20. prop. 11. Qua ergo ratione excutientur scrupuli qui adhuc supersunt. Et 1. Cum homo sit ipse sibi atque alteri causa peccati, quamuis neque se neque alium determinet ad actum vt malus est, quod malitia illa sit præter intentionem, & per accidens, vt loquitur S. Thomas 1. 2. quæst. 75. art. 1. in corp. sed ex eo tantùm quod determinat ad actum quem scit esse prohibitum & malum: quidni hoc ipsum sufficiat Deo, vt causa & Auctor peccati sit? 2. Cum entitas actus mali malitiam trahat ex eo præcisè quod sequatur ex causa secunda defectibili; & iam dicatur Deus per suam prædeterminationem esse causa cur inde sequatur, quomodo negari potest esse causa cur malitiam exinde contrahat? Nam ita etiam dicimus quamuis hominis visio v. g. non sit ipsi Deo vitalis, sed hoc habeat ex ordine ad creatum oculum, Deum tamen qui causa est cur ad oculum illum ordinetur, causam esse cur ei vitalis sit. 3. Potest ne concipi Deus præcipere alicui vel dare consilium, non quidem vt peccet mentiendo, sed tamen vt liberè velit proferre id quod scit esse mendacium, malum, vetitumque tum cum illud scit? Potestne inquam hoc suadere Deus, quin censeatur esse Auctor mentiendi? Atqui plus facit prædeterminando ad indiuiduam illam mentiendi voluntatem. 4. Deus non prohibet tantùm malitiam moralem actus, sed ipsam etiam entitatem, præsertim cum circumstantia libertatis. Quid enim censes, permittere Deum vt quis ipsum libere oderit, prohibere autem solùm ne oderit malè? Atqui hoc implicat. Ergo si ad entitatem actus prædeterminat, etiam vt liberi; causa est prædeterminatæ voluntati faciendi quod prohibet. Quod si malitiæ coniunctio non patitur, vt quod est in actu naturale liberè fieri ab homine permittat Deus; pati poterit vt liberè fieri ab eodem prædeterminet & prædefiniat? 5. Quis igitur erit Auctor peccati? homo enim qui peccare dicitur non erit.

erit. quia ne peccabit quidem. Quid enim facere illum vis vt non peccet? Poteſtne impedire ne malitia contrahatur ab actu ex ſuppoſitione quod ſit liber, & ſciatur eſſe malus & prohibitus tum cùm fit? hoc autem repugnat. Poteſtne igitur facere vt non ſit entitas actus, vel libertas, vel prohibitionis conſcientia? Atqui prterquam quod hoc etiam repugnat, eſt prterea abſurdum ſuppoſita prdeterminatione, cum id demum ſit contra Deum ipſum niti. Ecquid igitur fingi poteſt exigere Deum ab eo qui peccat prdeterminatus ad actum qui malus eſt, ſecundùm omnem rationem entis omneſque circumſtantias?

Hi ſunt contrariæ ſententiæ ſcrupuli de multis pauci, qui certè adeo non ſunt minuti vt non ſint etiam importuni. Eorum tamen moleſtiam neque ſenſit iſte Auctor, neque ſi qui forte ſentirent, quicquam attulit quo leuari poſſent. Nam quod addit pag. 120. initio, Nos tantùm prædeterminari ad finem, & per finem ad me- » dia, non autem ad id quod auertit à fine. *Item.* Præ- » motionem eſſe conformem diuino præcepto, & alia id » genus verborum cymbala, inexplicabilem continent ſententiam, ſi ad vnum illum indiuiduum actum applicentur, quo aliquis eligit malum medium, furtum v. g. vel adulterium, vt benè ſit. Quia vel intentio qua præmoueri à Deo dicitur is qui furatur reſpicit determinatè hoc medium quod eſt futurum, vel non: ſi primum quomodo dicitur *retrahere à malo*? Si ſecundum, quomodo eſſe poteſt prædeterminatio ad hunc numero actum?

Quintò. Quod objici ſolet coïncidere hanc ſententiam cum ſententia hæreticorum ſoluit pag. 120. Sed quàm ſit inanis ſolutio facile intelligetur ex ijs quæ diximus antea capite 1. propoſ. 17. 18. 24. & deinceps. Summa difficultatis in eo conſiſtit. Caluinum non errare proferendo tantùm illa verba, *Deum eſſe Auctorem peccati*, vel, *Hominem non eſſe liberum*: ſed concipiendo in Deo quendam modum ſe habendi circa malum actum cui conueniat oratio illa qua dicitur *Auctor peccati*: & in homine quendam modum operandi cui etiam illa con-

LIIii

ueniat, *non esse ipsum liberum.* Quærimus autem ecquid concipiat Caluinus vel in Deo circa malum actum, vel in homine circa bonum & malum, quod non etiam concipiatur ab ijs quibuscum disputamus? Neque hoc tantùm quærimus, sed monstramus idoneis testimonijs eandem esse vtrorumque cogitationem. Nam de modo operandi hominis, fatetur Caluinus ipsum reuera *agere* etiam in operibus bonis. lib. 2. Inst. cap. 3. sect. 14. & cap. 5. sect. 14. & 15. Item fatetur *agere sine coactione* ib. cap. 2. sect. 5. & cap. 5. sect. etiam 5. Item *affici ex corde* ad agendum eodem cap. 3. sect. 14. Item non agere necessariò *necessitate absolutà:* sed tantùm *necessitate secundùm quid.* lib. 1. capite 16. sect. 9. Item illam necessitatem non oriri ex intrinsecis principijs, sed ex diuina prædefinitione, hoc enim perpetuò supponit. Quod si quis contendat sufficere hoc vt homo dicatur liberè agere, *Per me licet* inquit Caluinus eodem lib. 2. cap. 2. sect. 8. Dicant modo Aduersarij quid ipsi vltrà citraue cogitent? De modo quo se Deus habet erga malum actum, sentit Caluinus prædefinire ipsum huiusmodi actum; sed prædefinire vt malum, ita vt actui malitia conueniat quatenus est à Deo, & non tantùm quatenus est ab homine, non solùm ab illo nusquam asseritur, quin potiùs apertè negatur, tum alias tum maximè
» lib. 1. Inst. cap. 17. sect. 6. dum asserit. Totum malum
» in hominibus deprehendi, penes Deum non esse nisi
» legitimum malitiæ vsum, *& paulo ante*, Deum tantùm
benè vti malis instrumentis. Molinæus in Caluinistarum mysterijs, & suo iudicio, & aliorum suffragio eruditus, in Anatome Arminianismi sic loquitur cap. 3. num. 5.
» Quemadmodum in generatione Embryonis sol & homo
» simul agunt, quod si monstrum generatur, id non adscri-
» bitur soli sed homini. Nempe ideò monstrum nascitur
» quia causa vniuersalis agens abducta est à consueto tra-
» mite per defectum organorum vel malam affectionem
» materiæ. Ita ad actiones humanas Deus & voluntas
» humana concurrunt, quod si quid inest prauitatis in
» actione, NON DEBET EA ADSCRIBI DEO, sed disposi-

tioni voluntatis humanæ. *Et num. 15.* Deus, *inquit*, effi- »
caciter influens in creaturam non adimit ei liberam con- »
tributionem virtutis suæ. In actione humana, si quid »
peccatur ab homine est, DEI CONCVRSVS NATVRA- »
LIS EST, CREATVRÆ VERÒ MORALIS. Quod in esu »
illo pomi vetiti naturale fuit, â Deo fuit; quod morale »
& deuium à tramite iustitiæ, ab homine fuit. Quemad- »
modum Deus dat animali claudicanti vim incedendi &c. »
Hic iam quæro ab Aduersarijs quid in eiusmodi doctrina reprehensione dignum putent, præter hoc vnum, quod additum est à Molinæo loco proximè citato, *Deum efficaciter influere in creaturam dum peccat*: Actum illius esse, *definitum* à Deo: Esse *certò præordinatum* cap. 6. num. 9. Quamuis sit *liber* & *liberrimus*, vt loquitur cap. 31. num. 15. nihilominus tamen esse *necessarium*, vt addit mox num. 16. & cap. 35. vbi dicit num. 8. *Necessitatem tantùm coactionis*, vel etiam *physicam, ad vnum determinatam*; *qualis est inclinatio grauium ad centrum excusare à peccato?* Nihil inquam aliud occurrit in Hæreticorum libris vnde conjicere possimus facere ipsos Deum Auctorem peccati. Atqui hæc ipsa ab Aduersarijs asseruntur. Vnde sequi videtur necesse esse vt vel eos absoluant, vel ipsi sese reos esse fateantur.

Neque occurrit hoc loco quid respondeant nisi forte illud quod Camerarius subindicat pag. 121. Hæreticos quamuis ita loquantur vt diximus, reuera tamen aliter sentire. Atqui hoc est Ecclesiam quæ illos condemnauit exponere ludibrio; quod sit proprium istius iudicij, vt nemo nisi confitentem reum damnare iure possit. Erit etiam fortasse qui hoc addat, Molinæum vt est versipellis & ingenio mobili ac fide cereâ ductilique in vsus temporum, emendauisse Caluinistarum sententiam, & ad formam orthodoxæ composuisse. Sed viderint qui hoc dicunt pro suâ sapientiâ quæ plurima est, num sibi satis decorum esse putent illius hominis consensum, quem vel Arminiani abominantur in hac controuersia de Auctore peccati, vt sacrilegum & blasphemum. Mihi omnino certum est, ne latum quidem vnguem discedere à

Pontificiorum ſententia, quos Molinæus cap. 35. illi ſuæ doctrinæ ſignificat eſſe contrarios.

Hactenus videri potuit Camerarius communem cum multis difficultatem pati: ſed vt conſtaret quàm ſit generoſus ac fortis, ſententiam addidit horrore plenam. *Nullum eſſe actum peccati quem Deus non poſſit in nobis ſine nobis facere, in pœnam peccati.* Hæc ſunt eius verba pag. 117. lineâ ante infimam quintâ. Confirmatur, *inquit*, „quia nullus eſt actus peccati qui non poſſit ESSE IN NO- „BIS SINE NOBIS A DEO IN POENAM PECCATI. Ex „quo ſic argumentor. Ille actus taliter conſideratus erit „omnino à Deo, & ſi fiat poſtea noſter per hoc fiet quod „à regula deficiamus, & ad creaturas nos conuertamus: „ergo nulla eſt difficultas in præmotione ad actum pec- „cati, in quantum actus eſt, etiam fatentibus Aduerſarijs. „Conſequentia patet &c. Antecedens eſt certum. Et „ſanè &c. Hic ego non miror hominis confidentiam, qui rem inauditam non aliter probat quàm quia *eſt certum.* Neque hoc etiam premo, eſſe illum à ſeipſo diuerſum, quando pag. 120. ex eo cogi putat Caluinum facere Deum cauſam mali, etiam vt malum eſt, quòd dicat nos ſpontaneè tantùm concurrere ad actum malum Verba „illius ſunt paulo ante finem. Affirmant hæretici Deum „neceſſitare voluntates noſtras ad malum tam quoad ſub- „ſtantiam actus, quàm quoad modum eius; cum dicant „nos ſpontaneè aut paſſiuè tantùm ad vtrumque con- „currere. Vnde perſpicuè ſequitur, ſi Deus actum malum quo aliud peccatum punitur in nobis producat *ſine nobis*, hoc eſt nobis aut nullo modo, aut ſaltem non liberè ſed *ſpontaneè* tantùm aut *paſſiuè* concurrentibus ad illius entitatem, & quod inde conſequens eſt ad maliciam; ſequitur, inquam, Deum eſſe cauſam illius actus, *non tantùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum*, quod tribuebatur hæreticis. Sed ego hæc omitto, & illud tantùm expendo, in quo Caluinus ab hoc Auctore ſuperatus videri queat, fieri potuiſſe vt Deus in Iuda proditore, in Deicidis Iudæis, in Impio Herode alijſque huiuſmodi ſceleratis, deteſtabiles illos affectus quibus prio-

ra ipsorum peccata puniebantur excitaret, *sine illis*. Nihil huc pertinet anathema Tridentini sess. 6. can. 6. In eos qui dicunt *Deum in nobis opera mala ita vt bona operari*, disparem enim esse operandi rationem hic Auctor profitetur, cùm censeat fieri etiam posse vt Deus magis operetur mala quàm bona. Neque enim operatur bona *sine nobis* cum sit definitum nos ad ea liberè concurrere. Sed hæc potius ad eos pertinent quorum officio fidei catholicæ conseruandæ cura coniuncta est. Quos ego spero non passuros suam in hoc negotio prouidentiam desiderari.

Sextò. Demum hoc dandum videtur huic philosopho, vt argumentum audiamus quod ipse putat *insolubile* negantibus physicas præmotiones. Est autem illud quod explicare incipit dub. 2. pag. 93. Poniturque in eo difficultas, quòd Deus non possit conuenire cum creaturâ ad concurrendum simultaneè, nisi prædeterminet illum concursum, ac proinde causam ipsam, quod fusè probat percurrendo varios modos quibus id explicari posset. Sed ne vexetur dicam illi quomodo possit hoc intelligi. Constitue duos homines in iisdem circumstantiis, quorum alter vnum quendam actum eliciat liberè, amorem verbi gratia voluptatis, alter eundem liberè non eliciat. Dico Deum antecedenter vno eodemque decreto vtrumque præoccupare, quod decretum his aut similibus verbis exponitur. *Volo ita huic homini adesse, vt sit in eius potestate amare illud obiectum hic & nunc, aut non amare pro ipsius libertate. Volo ita & illi.* Quod si iuuat cum iis sentire, qui putant determinationem actuum quoad indiuiduam differentiam à Deo esse: ita concipiendum erit illud decretum. *Volo huic homini sic adesse, vt sit in eius potestate elicere hic & nunc circa tale obiectum hunc numero amorem ex infinitis omninò similibus, aut nullum pro ipsius libertate. Volo ita & illi.* Vi talis decreti præcisè ac sine vllo alio, dico diuinum concursum vni hominum illorum exhiberi reipsa, fierique illius actionem identicè & essentialiter actionem Dei. Hoc in alio reipsa non fieri, pro eorum libertate. Item vi illius decreti præ-

cisè, fieri dico, vt Deus sit causa cur ille qui operatur producat hunc numero amorem potiùs quam alium ex infinitis omnino similibus: homo verò non sit talis causa, sed sit tantùm causa sine qua hoc non fit. Viceuersa hinc fit, vt homo sit causa cur producatur amor potiùs quàm non amor, Deus autem non sit talis causa, sed sit tantùm causa sine qua hoc non fit. Loquor de actu liberò præcisè, non autem de actu bono & supernaturali quem Deus suadet & amat, & cupit & ea intentione ad eius productionem concurrit adiutâ etiam infirmitate potentiæ à quâ producitur præter & supra illlus exigentiam, vt ideò meritò dici possit esse causa cur talis actus fit. Quamuis autem Deus non sit causa cur producatur amor potiùs quàm non amor; nihil tamen est in amore producto physicum, nihil reale, quod non intimè & essentialiter pendeat à Deo, secundum omnem rationem positiuam quam quoquo modo includit, multò magis quàm pendeat à causa creata: quòd & nobiliori modo, & magis necessario causetur ab illo, quàm ab hac.

Hic iam quæro ecquod sit argumentum illud *insolubile?* Ponitur, inquis, in Deo *indigentia* & *potentialitas*. Imò verò ponitur summa perfectio & actualitas; quod ei talis ac tanta potestas & iurisdictio tribuatur, vt cùm nulli domino subdatur ipse, habere tamen possit subditum sibi dominum suæ operationis agens liberum. Subditum, inquam, postquam nullum esse potest eius dominium, nisi quod antecedenti decreto illo fuerit priùs constitutum. Et ideò decretum illud est proprius & perfectissimus actus determinans illam Dei virtutem ac protestatem qua sibi subjicere potest causas liberas. Deus, inquis, expectabit concursum voluntatis vt in genere causæ secundæ *antecedentem*, ex qua sequuntur nescio quot absurda. Falleris, nulla enim est *antecessio* illa: quòd repugnet causam cur aliquid fit, priùs illud producere, quàm causam sine qua pro duci nequit. Instas, Deus non erit actus purus. O te subtilem? Quid nocere potest puritati actus Dei, extrinsecum nescio quid, quod cum eo nullam in compositionem venit? Pergis, Quo-

modo ſciet Deus ſuum concurſum abſolutè futurum? Quomodo, inquam, nouit cætera futura contingentia. Sed hoc aliàs. Iam enim conſtat quid de cæteris argumentis ſentiendum ſit, poſtquam illud quod vnum eſſe inſolubile putabatur ex ſtamine adeo tenui contortum eſt. Valeat hic Philoſophus, floreat, triumphet: ſed vt Chriſtiano aptum eſt, ſplendore virtutis, animi modeſtiâ, orationis innocentiâ, maturitate iudiciorum, religione ſententiarum, ſtudio deninqe veritatis *ſincero.*

L. D.



INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

D

G

H

Pelagius

Q

R

S

T

Veritas

FINIS.